

A
42-275



61-2


227-



Leiva de la Conf
ante libro.



61
2 a.



El P. José de Leiva de la Conf
de Jesus compró este libro.



11. 33
dōgōnō sōtōnō

R. 4083

M E D V L L A PAVLINA, sive DILVCIDA AC PERBREVIS EPISTOLARVM B. PAVLI APOST.

Expositio, ex vberrimis eruditissimorum virorum
GVLIELMI ESTII S. T. D.

ET CORNELIA LAPIDE è Societate IESV

De M coll^o de Ya ^{Theologi} Co^{ng} de J^{es} de Granada.
In easdem Epistolas explanationibus deponpta,
labore Joannis à Gorcum, Presbyteri.

Opus verbis substrictum, sensibus diffusissimum, quo litterae
Apostoli ~~argouit~~, ac germanus sensus recta ampliorum
voluminum prolixitate, solidè & perspicue proponitur, nihil
ut præterea ad veram Apostoli intelligentiam nullo prope
labori comparandam deiderari posse videatur.

ACCESSIONT

JOANNIS MARIANAE E SOCIETATE IESV,
lucubrations in omnes Canonicas Epistolas, ut p[ro]m[ot]e Lector
uniuersum Apostolicarum Epistolarum corpus uno
hoc manuali explanatum baberet.



LUGDUNI
Sumptibus MICHAELIS CHEVALIER.

M. DC. XXIII.

६४०५.६

CANDIDO LECTORI.

EA sacrarum Litterarum profunditas & maiestas est, beneuole Lector, ut non is à scopo aberrasse censemendus sit, qui profundo & vorticoso eas torrenti, aut Oceano fundum ignorantis compararit. Ut enim hunc peruadare & transire commode nemo potest, quin undarum violentiam in præceps rapiatur, nisi cymbæ se committat: ita illas temere nemo vel legendo vel explicando aggredi, nisi vel diuini timoris, præ maiestate deterritus cymbam concendat, vel profunda humilitate nixus, illarum quodammodo vadum tentet. Sensuum namque arcanorum, in Scriptura diuina reconditorum, varietas occurrit tanta, eaque materiarum quas prosequitur diuersitas, ut disciplinas ipsa omnes, & quidquid ab homine sciri potest, suo complecti sinu videatur, atque adeò quædam scientiarum omnium esse universitas, scientia: uniuersas vel formaliter vel eminenter continens, ac velut mundus quidam intelligibilis, suis quatuor partibus ceu quatuor elementis egregie & symmetricè constitutus; cuius terra est velut in centri medio, ipsa videlicet historia sensusque litteralis: circa quam instar aquarum moralis intelligentiae abyssus circumsecius diffunditur: circa duas hasce partes quasi in-

feriores aër ille naturalis scientia longè latèque
circumvoluitur: extra omnia denique igneus ille
empyrei cali ardor, id est, diuinæ naturæ cōtem-
platio, quam Theologiā dicunt, circumglobatur.
Quamobrem, paucis ut perstringam, uti sensus
illius historicus terræ, tropologicus aquæ, sic non
in scitè allegoricus aëri, anagogicus igni & atheri
comparari posse videatur. Adeò scilicet Scriptura
fertilis & uber est, ut pote è qua, velut è paradiſo
terrestri quatuor illa flumina celeberrima omnē
circum undique regionem irrigantia prorumpe-
bant, quatuor horum sensuum fluenta profluunt.
Non tamen quod omnis Scriptura hosce semper
& ubique sensus patiatur, et si litteralem omnis
habeat: nam in novo Testamēto vix allegoria lo-
cum babet, in Epistolis verò ipsis rariissima est
tropologia. Quas inter Paulinæ non postremum,
quini mò facile primum, locum obtinent: harum-
que duplex in genere obiectum est, doctrina sci-
licet, & morum Christianorum cōformatio. Prior
enim cuiusque ferè Epistolæ pars dogmatica est,
in qua nimirū quæ ad fidei nostræ spectant my-
steria, Apostolus perstringit. posterior ethica, in
qua morum vitæq; formam tradit fidelibus, idq;
variè & mistim, Hebreorum veterum ritu, &
more epistolice scriptio perfamiliari. Inter si-
dei autem mysteria, tria potissimum suo tempore
imprimis scitu necessaria, Apostolus inculcat; pu-
ta primò Christiæconomiam & gratiam, ipsum-
que

que unicum esse nostrum Redemptore, à quo nimirū gratia omnis, iustitia & salus omnis expe-
ctanda sit. Deinde Iudaicas legalēsque cérimo-
nias, per nouae Christi legis inductionem, peni-
tus esse abrogatas. Denique hæreses iam tū sup-
pullantes, quas p.issim perstringit & iugulat,
imprimis autem Simonis Magi(à quo ceu vtero
viperino plurime aliae soboles virulētæ proserpse-
runt, Menāder videlicet, Saturninus, Basiliades,
Gnostici, Carpocrates, quæ itē à SS. Petro & Iuda
Apostolis suis depinguntur coloribus) tum verò
& Ebionitarum & Cerinthianorum dogmata,
cane peius & angue esse fugienda. Hinc quæ de
cauenda Philosophia, de falsa Angelorum reli-
gione & cultu, de superstitioso ciborum delectu,
deq̄ horum similibus inculcat, non aliter intelli-
genda sunt, quam quatenus sua ex Poëtarum
figmentis ac Philosophorum erroribus dogmata
Simoniani conflareant. Posteriore verò epistole
parte virtutes tradit Christianas & Ethicam sa-
cram, idq̄ non per continuos discursus, ad instar
Aristotelis aliorūque Ethics magistrorum, sed
per breues gnomas, neruofasque sententias, easq;
promiscuè sèpè sine ullo ordine congestas. Hæc
namque Ethics tradendæ ratio veteribut He-
breis in usu fuit, uti è Proverbiis & Ecclesiastæ
Salomonis, & Ecclesiastico Iesu Siracida collige-
re est: Græcisque priscis; exemplo sunt Phocylidēs, Hesiodus, Theognis.

Quoniam autem Epistola hæ teste Apostolo-
rum principe Petro , multa continent intellectu
perdifficilia, quæ instabiles & peruersi corde de-
prauant, & longè secus atque reuera sonant, ex-
ponunt ; hinc tot illarum reperire est interpretes,
qui sano eas sensu, & ad mentem scriptoris Ec-
clesiaeq; uniuersæ consensum exponere sunt co-
nati. Ut enim taceam veteres cum Græcos, tum
Latinos interpretes , Origenem , Theodorenum,
Chrysostomum , Theophylactum , Oecumenium,
Ambroſiaſtrum , Hieronymum , Augustinū, duos
Anſelmos Cantuariensem & Laudunensem ,
Sedulium , Rupertum , Haimonem Halberſtaten-
sem , D.Thomam Aquinatem , Lyranum , Hugonē
Cardinalem recentioris vero etatis Caietanum ,
Dionysium Carthusianum , Catharinum , Clau-
dium Guiliaudum , Titelmannum , Salmeronem ,
aliósque qui in omnes D. Pauli Epistolæ , tum
etiam qui in singulares aliquas commentaria
edidere (hæreticos enim , Caluinum , Bezam ,
Marloratam , aliósque huius farinæ expositores ,
in numero interpretum non habeo, utpote inter-
polatores & deprauatores adulterinos potius ,
quām enarratores genuinos;) post alios iam nu-
perrimè plena & absoluta, omniq; doctrinæ ge-
nere refertiſſima, in eisdem commentaria euul-
garunt, duo duarum Catholicarū in Belgio Aca-
demiarum lumina & ornamenta, nempe, D.Gu-
lielmus Eſtius Sacrae Theologie apud Duacenses

in Regio Collegio Doctor, per annos triginta & eo
amplius celeberrimus, & Vniuersitatis aliquoties
amplissima cū potestate Præfectus ac Rector; &
R.P. Cornelius Cornelij à Lapide Societatis IESV,
linguae sanctæ & sacrarum Litterarum Louanijs
Professor emeritus quidem; sed ad eadem onera
Rome in amplissimo illo orbis terrarum theatro,
in Collegio Societatis IESV, rursus subeunda iam
ab annis aliquot euocatus. Cuius utriusque labo-
ribus omni ex parte absolutis, & ad incudem
denuò reuocatis, quid à quoquam addi posse, non
video: tametsi propterea alios à scribendo com-
mentandōne deterrere nec velim, nec debeam;
cum, ut initio significauī, amplissimus patentissi-
musque Scriptura sacra sit campus, quæ plurimis
ingeniorum aratri subacta & culta, numquam
satis aut ad summū excoli perfici potest, cū sem-
per quid nouo agricole, in quo desudet atque ela-
boret, restet: & puteus sit inexhaustus, è quo mul-
ta licet continēter haurias, semper quod de nouo
haurias, reliquum erit, nec ad imum pertinges
fundum quocumque demum modo connitaris.

Quæ porrò pluribus diffusę, uterque hic co-
mentator est prosecutus, & ingentibus comple-
xus voluminibus, horum breue quoddam ipse
succinctè ac summatim concinnare compendium
studii, ita tamen, nullum ut locum vel verbum
omiserim, quod aliquā includere difficultatem
videatur, quin eius qua potui brevitate, & quo-

ad licuit dilucidam expositionem afferam. Clariora itaque paucissimis & obiter perstringo: quæ vero te remorari posse, Lector, putē ea prolixius, breuitatis tamen quam specie, minimè oblitus, sum prosecutus. Inter legendum occurrere solitas quæstiones reseco, exempla historiæque veteres omitto, variarum interpretationum conciliaciones studio suppresso, lectionum varietatem aut ad Hebraeos aut Græcos fontes rariissimè reuoco, sensuum denique discrimina paucis attingo: nudum litteræ corticem tollere elaboro, latentemq; introrsum verborum nucleus, mentemq; Apostoli eruere, precipuum mihi intentum est. In quo tuis, Lector, commodis non mediocriter consuluisse videor tū molestum ac tetricum longiora legendi fastidiū, quod suboriri nonnumquam vasto in discursu solet, resecando, tū tempus (cuius habendā rationem potissimum sapientes monēt) tibi lucrificiendo. Nec vero est quod commune illud Epitomas carpentiū conuicium, compendia librorum mere esse illorū dispensia sèpè temere afferentium, verear nullum quippe perme vel Apostolus ipse, vel commentatores ambo patiuntur detrimentū, dum ex illorum sententia & expositione nudum Apostolicorum verborū sensum mentemq; scribentis afferre contendō, & nihil quod ambo quidē cognitu habent necessarium, omitto, quin imò materiam ex utroq; suggero, in qua te longius latiusq; si videatur, distendas.

Eft

Est hic ergo velut panis bis-coctus, aridus qui-
dem, sed succulentus; coarctatus, sed substantia
plenissimus. Auxillum hic videbis in elocutio-
ne carnis, sed nerorum, cartilaginum & me-
dullarum in sensibus plurimum, & materiarum
rerumque Paulinarum Iliada in parui huius li-
belli putamine ac nuce conclusam. Videbis quo-
que achatem illum Regis Pyrrhi multa exiguo
in spatio spectanda dantem; nauem quoque scul-
ptoris Myrmecidis, que omnia magna nauis in-
strumenta sub muscalis alae umbraculo clare vi-
denda exhibeat. Cernes hic pugnum clausum,
qui accurata ruminatione patefactus, patentem
explicatamque tibi manum exeret in multos di-
stinctam digitos & articulos. Reperies hic item
multos calyces clausos, qui attenta consideratio-
nis tuae patefacti radiis insignium diuinarum-
que flores rerum excludent. Vestem hic quoque
habebis, sed complicatam & inuolutam: hanc ut
explices iubeo, si in usum eam tuum conuertere
volueris. Inuenies hic denique Archimedis sphæ-
ram multa astra & spiritualia lumina breui in
circumferentia complectentem. Vale, mi Le-
ctor, & hoc quantulocunque labore meo fruere,
mēque tuis Deo optimo maximo suffragis com-
menda. Siluæducis anno partæ salutis M.DC.XIX.
Kalendis Aprilis.

C E N S V R A.

HOc Compendiū Commentariorum
Domini Guilielmi Estij S. T. Docto-
ris, & R.P. Cornelij Cornelij à Lapide So-
cietatis IESV Theologi, in omnes D. Pauli
Epistolas per D. Ioannem à Gorcum pres-
byterum, magno labore concinnatum,
vtilissimum erit S. Theologiæ studiosis.
Quare metitò typis mandari debet, vt
multorum vtilitati inseruiat. Quod ita
censeo 15. Ianuar. ann. 1619.

*Egbertus Spitoldius, S. T. L. Cano-
nicus & Plebanus Antuerpiensis
librorum Censor.*



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
A D R O M A N O S.

C A P V T P R I M V M.

S V M M A R I V M.

Paulus Deo gratias agit pro fide Romanorum: declarat suam promptitudinem euangelizandi omnibus, etiam Romanis. Ex fide euangeliij iustitia. Arguitur ingratitudo sophorum Gentilium, qui Deum ex creaturis cognitum non glorificauerunt: ex quo in idolatriam, mox in ignominiosas libidines, denique in alia scelera prolapsi sint.



A V L V S seruus Iesu Christi] Iesus,
proprium nomen est illius hominis,
qui ex Maria virgine natus, idem est
Filius Dei. quod nomen vocatum est
VER. I.
ab an

ab angelo priusquā in vtero conciperetur, Luc. 2.
Nec enim aliud nomen est sub cælo datum homi-
nibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 4.

*Paulus
in aposto-
latum
vocatus
à Deo.*

Vocatus Apostolus] id est, vocatus ad apostola-
tum, vocatione *Apostolus*, quasi dicat, Euocatus
Dei, Deique *Apostolus*, legatus missus à Christo
per totū orbem euangelizare & docere Gentes.

Segregatus in Euangelium Dei] id est, peculia-
riter delectus ad prædicandum *Dei Euangelium*.
Delectus, inquam, à Spíritu sancto: qui respon-
sum huiusmodi dedit Eccl. Antiochenæ, Act. 13.
Significa-
ta vobis euange-
lium. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad
quod assumpsi eos. *Euangelium*, Græcis bonum
lætumque nuncium significat; lætissimum illud
nuncium & omni acceptione dignum, de redemp-
tione & salute generis humani per Christum.

VERS. 2.

*Quod ante promiserat per prophetas suos in Scri-
pturis sanctis*] quod iam olim à Deo per prophe-
tas ab ipso inspiratos, quorum oracula literis con-
signata haberentur, promissum esset. Scriptu-
rae sanctæ dicuntur scripturæ diuinitus inspira-
tæ, id est, verbum *Dei scriptum*, quo nihil san-
ctius est.

VER. 3.

De Filio suo.] Refertur hæc pars, vel ad *Euan-*
gelium Dei, ut hac parte significetur euangeliæ ma-
teria, vel ad verbum *promiserat*. nam Christum
Dei Filiū à Patre fuisse promissum, vniuersa
noui testamenti *Scriptura loquitur*.

Qui factus est ei ex semine David secundum car-
nem.] Idem verbum Galat. 4. factum ex mulie-
te, factum sub lege. Vox enim *factus* magis si-
gnificat humanam naturam Christi. vult enim
Apostolus eum qui ab æterno est Filius Dei, in
tempore factum esse ac genitum *secundum car-*

nem,

nem, id est, secundum humanam naturam ex semine & posteritate Dauid.

Quis prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.] q.d. Homo Christus, qui factus est ex semine Dauid, seu cui data est essentia & existentia humanæ naturæ, prædestinatus est ad hoc, ut subsisteret in persona Filii Dei: id est, prædestinatus est Iesus ad hoc, ut scilicet qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, idem secundum hypostasin esset filius Dei: hoc est, prædestinatum est, ut hic homo, qui dicitur Iesus, esset filius Dauid, esset simul filius Dei, quia scilicet prædestinatum est, ut hic homo assumeretur à Filio Dei, illique hypostaticè vniatur, ita ut idem esset homo & Deus, sive filius hominis & filius Dei, ita Augustin. de Prædestinatione Sanctorum c. 15. S. Anselmus, Concil. Toletanum II. c. 1. & passim Scholastici 3. p. q. 24. Christus prædestinatus est Filius Dei in virtute, id est, cum potentia diuina, ut scilicet, licet esset filius Dauid secundum carnem fragilem & infirmam, haberet tamen tam potentiam quam hypostasin diuinam: nimirum ut per hanc potentiam, hic homo vnitus Verbo faceret miracula, remitteret peccata, sanctificaret homines; quam potentiam habuit à Spiritu sancto, qui totum hoc unionis hominis cum Deo opus in Christo pergit. Quæ potentia Spiritus sancti maximè se ostendit, maximèque patuit ex resurrectione ex mortuis, id est, in resuscitatione, qua Christus se & alios mortuos suscitauit. Vnde de ea tunc dixit Christus Matth. 28. Data est mihi omnis

VER. 4.

Christi
prædesti-
natio.

pote

potestas in cælo & in terra : & Ioan. Apoc. 5. Dignus est agnus , qui occisus est , accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam. ita S. August. & passim interpretes.

VERS. 5. *Per quem accepimus gratiam & apostolatum]* dicens se apostolatum accepisse per Christum , id est, Christo vocante atque mandante. *acepimus,* id est accepi , gratuitum hoc beneficium , quod est apostolatus, id est, munus ac dignitas apostolica. Pro Christo legatione fungimur , inquit Paulus 2. Corinth. 5. Apostoli ergo erant primi à Christo, Christi vices gerebant, & Christi personam repræsentabant : sicut regis legatus regem ipsum repræsentat.

Ad obediendum fidei in omnibus gentibus] id est, vt obediatur fidei ab omnibus gentibus , scilicet vt Apostoli sua prædicatione inducant omnes gentes , vt se submittant , credant & obedient euangelio. ita Chrysoſt.

Pro nomine eius] id est , pro gloria & fide nominis Christi propaganda & diuulganda.

VER. 6. *In quibus estis & vos vocati Iesu Christi]* id est, in quarum gentium numero etiam vos estis, vt pote iam vocati Iesu Christi, hoc est, gratuita Dei vocatione facti fideles Iesu Christi.

VER. 7. *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis]* subaudi , scribit hanc epistolam amicis Dei ac gratuitæ vocationis eius beneficio sanctis. *Vocatis sanctis ,* inquit , id est vocatis ad sanctitatem , vocatis ad christianismum , vt sint sancti.

Gratia vobis & pax , multiplicetur , siue adimplatur, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo] Patre

Patre nostro, id est, cuius nos filii sumus per gratiam, à quo proinde gratiarum & pacis accessio-
nem meritò vobis precor. & Domino Iesu Christo:
à Christo authore & largitore, & què ut à Deo Pa-
tre, vnde Græci commentatores & Cyrillus, ex
his Apostoli verbis ostendunt Christi diuinitatem
& cum Patre æqualitatem.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum VER. 8.
Christum pro omnibus vobis] id est ob beneficia
vobis impensa, per Iesum Christum, tanquam me-
diatorem nostrum, à quo fides, gratia, & omnia
bona, pro quibus Deo gratias agimus, nobis pro-
ueniunt, ait Ambros.

Quia Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo]
id est diuulgatur. sensus est: Fama, fidei vestræ
multùm lateque per varias mundi partes diffun-
ditur. Etenim Romanî iam antè fidem Christi
suscepérant; idque Petro Apostolo prædicante:
quemadmodum hoc loco testatur Chrysostom.
Gratias ago Deo pro fide vestra, quæ tanta est ut
fama eius vniuersum mundum peruagetur.

Romanî
à Paulo
laudati.

Testis enim mihi est Deus.] Refertur hoc iura-
mentum ad illud sequens: quod sine intermissione
memoriam vestri facio, &c.

Cui seruio in spiritu meo in euangelio filij eius] VERS. 9.
subaudi, annunciando, prædicando, propagando,
vel sensus est: in negotio euangeli. cui seruio, quem
colo, in spiritu meo, id est, cultu interno & spiri-
tuali, qui consistit in fide, spe & charitate.

Quod sine intermissione memoriam vestri facio
semper in orationibus meis.] Sic etiam ad Tim. scri-
bit 2. epist. 1. Gratias ago Deo quod sine inter-
missione habeam tui memoriam in orationibus
meis nocte ac die.

Obse

VER. IO. *Obscurans si quomodo tandem aliquando prosperrum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos]* significat ardens desiderium ac votum Pauli ad consequendum in quod scribit, hoc est, ad visendum Romanos, *in voluntate Dei, id est per voluntatem Dei, Deo volente.*

VER. II. *Desidero enim videre vos] id est, vobis adesse.*

Vt aliquid impertiar vobis gratia spiritualis.] Causa tanti mei desiderij non alia est, inquit, quam ut supra ea quae iam accepistis, aliquid adhuc donorum seu gratiarum spiritualium vobis per meum ministerium impertiar.

Ad confirmandos vos] Græcè, ad confirmari vos, id est, quo fiat saltem ut confirmemini in donis acceptis.

VER. 12. *Id est, simul consolari in vobis per eam, qua inuicem est, fidem vestram atque meam] q.d. Desidero videre vos, vt confirmem vos instruendo & docendo in fide Christi; & hæc mea confirmatio fiat mutua consolatio nostra, ex communi fide mea & vestra, iam per me aucta & confirmata.*

VER. 13. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia sape proposui venire ad vos.]* Excusat Apostolus cur desiderio nondum satisfecerit, docens conatum sibi non defuisse, sed facultatem. id enim est quod sequitur.

Et prohibitus sum usque adhuc] prohibitus, id est impeditus: de hoc impedimento, quale fuerit, habemus infrà c. 15. vbi commemorat Apostolus se prædicando in aliis regionibus euangelio occupatum, eaque occupatione plurimum impeditum fuisse, quo minus adhuc Romanos inuiseret.

Vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus] id est, fructum ex iis colligendum

euan

euangelij prædicatione , sicut iam collegerat ex aliis gentibus. Hic ergo fructus est fides & salus populorum.

Gracis ac Barbaris , sapientibus & insipientibus VERS.14.
debitor sum] annunciandi & docendi euangelij.
Hanc enim doctrinam nec Græci nec Philosopphi percepérant.

Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Roma estis, euangelizare] q. d. Itaque quod ad me attinet, promptitudo mihi adest. Ego quidem vehementer volo; modò ea sit etiam Dei voluntas, satago euangelizare vobis. VERS.15.

Non enim erubesco euangelium] ac si diceret: VERS.16.
Quamuis Christum esse crucifixum , & hoc ipsum palam prædicare pro euangelio , probrosa res & stulta videatur ; non tamen illius me pudet. ratio sequitur.

Virtus enim Dei est in salutem omni credenti] q. d. Euangelium, id est , prædicatio & fides, vel potius res prædicata per euangelium, scilicet Christi mors, merita, Sacra menta, præcepta, promissa licet incredulis pudori sint, scandal & risui ; nobis tamen Dei virtus sunt & potentia, per quam Deus potenter in credentibus operatur salutem.

Iudeo primum & Graco] quia primum ac potissimum à Christo & Apostolis annunciatum est euangelium Iudæis, quibus promissus erat Christus, & id est deinde, Graco, id est Gentili.

Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem] VERS.17.
Probat euangelium esse Dei virtutem in salutem omni credenti, quia in eo, scilicet euangelio, reuelatur iustitia Dei ex fide. Dicitur autem reuelatur, quia de mysterio loquitur ab humanis sensibus ab-

B

scon



scondito. August.lib.de Sp.& lit.c.9. Iustitia Dei, inquit, est iustitia diuina, quia scilicet nos Deus iustificat per Christum, quæque nos reuera in oculis Dei iustos facit. *Ex fide in fidem, ex fide incipiente & imperfecta, in fidem proficiente, perfectam, charitate formatam, similiue modo augescentem, vel in se intrinsecè, vel extrinsecè per charitatem & virtutes alias, quas fides excitat.* q.d. In euangelio reuelatur vera iustitia, quæ est & proficit ex fide in fidem, id est, quæ incipit, alitur, augescit per fidem in dies crescentem, donec credentem ad salutem perducat: quæ euangelij est virtus, ut precessit ita Theoph. Oecumen. Adamus & Pererius.

Sicut scriptum est, Habac. c. 2. Iustus aurem ex fide viuit.] tamquam nō satis sit ad iustitiam semel credidisse, sed oporteat iustitiam adeptam semper ex fide nutritri, conseruari, augeri & perfici. Iustus ita viuit ex fide, ut ex ea viuere non desinat. Iustus credens & sperans in Deum, incipit viuere spiritualiter, incipit habere rectam animam qua placat Deo: ac tunc sum pergens & proficiens in hac sua fide & spe in Deum, pergit pariter & proficit in vita spirituali, in rectitudine & iustitia animæ, in gratia & amicitia Dei, ut magis magisque Deo placeat. Qui iustus est, viuat, id est iustitiae vitam habeat, scilicet ex fide, sic enim loquitur Gal. 2.

Quod autem nunc viuo in carne, nempe vitam iustitiae, id fide viuo Filij Dei. tota vita iusti, qui iustus est, ex fide est: quia tota eius iustitia ab initio usque ad finem ex fide est. Quamdiu enim iustus per fidem ambulat, ex fide viuit.

VERS. 18 *Reuelatur enim ira Dei de celo super omnem impietatem*

In Epist. ad Rom. Cap. I.

pietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent] q. d. Recte dixi iustitiam veram reuelati per Christi euangelium, illudque esse virtutem Dei in salutem: quia est contrario reuelatur tum in eodem euangelio, tum experientia, tum maximè reuelabitur in die iudicij impietas & iniustitia hominum infidelium; reuelabitur, inquam, omnes homines, qui fide euangelij destituti fuerunt, veritatem Dei in iniustitia detinuisse, ideoque esse peccatores, impios & iniustos, ac consequenter Dei irae & vindictæ æternæ obnoxios esse. ita S. Chrysost. Theod. & Oecum. Porro veritatem Dei in iniustitia detinent, *Veritatē
Dei in
iniustitiā
qui deti-
neant.* dum non ostendunt per opera pietatis, &c.

Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis] VERS. 19
propterea quod ea quæ de Deo naturali lumine intellectus ab homine cognosci possunt, fure
re in illis, id est, apud illos manifestè & euiden-
ter cognita: cuiusmodi sunt Deum esse unum,
æternum, mundi principem & gubernatorem,
actum purum, & similia. non defuerunt, inquit, in-
ter illos qui hæc cognoscerent, tametsi alij plus,
alij minus.

*Deus enim illis manifestauit] non dicit, reuelauit, Manife-
stare &
reuelare
differat.
qua*
quasi infuso lumine fidei, sed manifestauit, id est, manifestè & euidenter eos cognoscere fecit, sci-
licet per lumen naturæ, utriam dictum est.

*Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, parea VERS. 20
qua facta sunt, intellecta conspicuntur] inuisibi-
lia Dei, id est, attributa seu proprietates Dei*

quæ corporeis oculis aspici nequeunt, mente cōspiciuntur ex vniuersa hac creatura visibili, quæ mundus dicitur; dum intelliguntur ex iis quæ facta sunt, id est per opera sensibus nostris exposita, tanquam per suos effectus. nam ex operis præstantia cognoscitur ars, ingenium & sapientia opificis.

Sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas] Tria
verò speciatim recenset Apostolus, sempiternitatem,
virtutem seu potentiam, & diuinitatem. Diuinitas
est essentia Dei & maiestas, scilicet Deum
esse primum ens perfectissimum, à quo omnia
pendent. potentia quoque absoluta & illimitata,
quam omnipotentiam vocamus. virtus quasi poten-
tia Dei continetur quoque inter inuisibilia
Dei: est enim æquè ut alia, attributum Dei; eam
tamen præ aliis hīc exprimit Paulus, quia inter
alia maximè reluet & resplendet illa in creacio-
ne & rebus creatis.

Ita ut sint inexcusabiles] potuit sic verti: In hoc
ut sint inexcusabiles, quo significetur cognitionem
illam quam deo Philosophi acceperunt ex re-
bus creatis, reddere eos inexcusabiles in iudicio
Dei.

VERS. 21. *Quia cum cognouissent Deum] Deo pro mundi*
fabrica, sive ac rerum omnium ad suum ysum
creatione & conseruatione.

Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias ege-
runt] Sicut naturali rationis lumine peruererunt
in veram Dei notitiam; ita clarè dictat eadem ra-
tio, Deum cognitum glorificandum esse, eique
gratias agendas. Quocirca inexcusabiles sunt, qui
hæc nō fecerint. Gratias agere Deo, est beneficia à
Deo

Gratias
agere
Deo,
quid.

Deo accepta per agnitionem & laudem in ipsum
referre.

Sed evanuerunt, id est, vani & inanes facti sunt,
in cogitationibus suis] id est disquisitionibus & di-
scursibus, quos ex creaturis de Deo creatore fe-
cerant; quia scilicet iis relictis, ad vana idola, quæ
non erant Deus, colenda deflexerunt. ita S. Chry-
stost. Orig. Theodor.

Et obscuratum est insipiens cor eorum] adeoque
stulti facti sunt, quia veram sapientiam, quæ in
praxi & pietate consistit, respuerunt, & stultissimè
idola pro diis habuerunt & coluerunt.

Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt] cùm VERS. 23
apud homines profiterentur se sapientes, ac sibi
arrogarent magnam sapientiam, videlicet ob re-
rum arcanarum & sublimium cognitionem, à qua
dici solent homines sapientes, stulti facti sunt, id
est, longissimè à vera sapientia, quæ in vera erga
Deum pietate consistit, aberrauerunt, ad extre-
mam stultitiam & insipientiam delapsi.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in si- VERS. 23
militudinem imaginis corruptibilis hominis, & volu-
crum, & quadrupedum, & serpentium] q. d. Idola Idola co-
pro Deo coluerunt hi sophi. allusio est ad ver- luerunt
bum psalm. 105. Et mutauerunt gloriam suam in Philoso-
similitudinem vituli, cui simile illud Ierem. 2. Po- phi.
pulus meus mutauit gloriam suam in idolum.
gloriam suam, intellige gloriam populi, id est
Deum ipsum.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis VERS. 24
corum, in immunditiam] Ostendit autem in quæ & Tradere
quæ turpia peccata fuerint prolapsi merito suæ in deside-
ingratitudinis & idololatriæ memorati sapientes. ria cor-
dis eorū quid, sit.

Quod ergo dicit Apostolus tale est: Deum peccatis illis Philosophorum supradictis offendit, ita eos auxilio suo destituisse, & cupiditatibus ipsorum permisisse, ut in immunditia peccata ac fœdas libidines, proni ac præcipites irent.

Vt contumelias afficiant corpora sua in semetipsis] id est, ignominia seu turpitudine afficiant, nimirum ob fœditatem libidinis qua illud commaculant.

VERS. 15

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium] quia veritatem Dei, id est ea quæ de Deo cognoverant, ut æternitatem, omnipotentiam, ipsamque omnino diuinitatem, transtulerunt ad idola, collentes ea pro diis, & attribuentes quæ diuina sunt. *Mendacij nomine idolum hic & alias sèpè in Scripturis appellatur.*

Et coluerunt, & seruierunt creatura potius quam creatori] id est, religiosè venerati sunt, seruitute seu cultu diuino. non enim significatur comparatio, quasi coluerint utrumque, magis autem creaturam; sed quòd creaturam coluerint, non creatorem.

Qui est benedictus in secula] qui tanquam Deus omnium rerum creator, & omnium nobis bonorum author iure laudandus & prædicandus est

Quid si gnisces amen. per omnia secula, id est omni tempore. *Amen,* vox est hebreæ, passim omnibus nota, & à Christo Dominio frequentata: quam Paulus sexies posuit in hac epistola. sensus est: *Vt verè laudandus est in omnem æternitatem: ita fiat, ut in æternum laudetur.*

VERS. 16

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignomニア] qui erim illa turpia agunt, adeò se totos illis dedunt

dedunt atque immergunt, vt pati magis quam agere videantur, has autem vocat *passiones ignominiae*, id est, *passiones ignominiosas ac pudendas*.

Nam *feminae eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam*] Quæres, cur *feminei sexus hic meminerit, cum de Philosophis ageret? idcirco, ni fallor, ut ostendat punitionem & exempla virorum redundasse etiam in feminas.*

Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis, in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semiperfis recipientes] q.d. compensationem, id est mercedem meritis respondentem; ut quia contra naturæ ordinem cum ignomina creatoris, eo relicto ad creaturæ idolatriam se conuerterunt, hac de causa iustè à Deo permisssi sunt naturæ ordinem pariter in actu generationis inuertere, & pudenda libidine se dedecorare. ita Anselm.

Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum] q. d. Sicuti non curatunt Deum verum nosse, ut rectè de eo sentirent, sed idolis adhaerunt, eaque pro Deo agnouerunt & coluerunt; ita pariter iustè tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conueniunt. Nam, ut docet S. Gregor. qui errant in Dei cognitione, iustè traduntur ut errant pariter in agendis: qui mentem & rationem ab errore non seruant, expoununt se pecunis cogitationibus & vitiis. reprobum sensum vocat Paulus improbat & peruersam mentem.

Vt faciant ea quæ non conueniunt] id est, ea quæ maximè homines dedecent, vt pote res turpis-simas.

VERS. 19 *Repletos omni iniustitate] græcè est, iniustitia. Di-
cit autem repletos omni iniustitia, id est, omni ge-
nere iniustitiae : nam & specialis iniustitia per va-
rias species diffunditur.*

*Malitia] id est, nocendi studio, quod diaboli-
cum est vitium. vnde diabolus per antonomasiam
malus in Scriptura noui testamenti vocatur.*

*Fornicatione] quo nomine comprehenditur om-
nis illicitus concubitus viri cum femina.*

*Auaritia] qua voce significatur studium plus
quam sibi competat habendi, usurpandi, occu-
pandi, quasi dicas pluris habentiam.*

*Nequitia] versutiam, id est fallax nocendi stu-
dium, peruersitatem animi propriè significare vi-
detur.*

*Plenos inuidia, homicidio] Omnis, qui odit fra-
trem suum, homicida est: scilicet aut re aut volun-
tate. Quare & hîc sub homicidio voluntate in oc-
cidendi comprehendere.*

*Contentione, dolo] Contentio est cùm quis cer-
tat studio vincendi, non amore veritatis. Dolus
machinatio est ad fallendum.*

*Malignitate] scilicet ea quæ in moribus appa-
ret, morositate, seu morum asperitate.*

VERS. 30 *Susurriones, detractores] significantur ij qui proxi-
mos occultè mordent, illi vt soluant amicitiam,
isti vt lacerent famam.*

*Deo odibiles] Significat eos quibus Deus exo-
sus est, à quibus Deus abhorret. Cyprianus le-
git, abhorrentes Deo, id est, quibus Deus est horrori,
nimí*

nimirum propter iustitiā qua vindicat in malos.
itaque parit hoc vitium scelerata conscientia.

Contumeliosos] Significatur contumelia facti,
vt est hominum ferocium, qui alios per vim op-
primunt.

Superbos] quod sapientiæ nomine sese ceteris
hominibus præferentes, eam animi superbiam
externo fastu morum ostenderent.

Elatos] id est, gloriosos & iactabundos. Cy-
prianus legit, iactantes fui.

Inuentores malorum] potest intelligi de malis,
id est, nocumentis, ac nocendi instrumentis qui-
bus alij deduntur.

Parentibus non obedientes] inobedientes, im-
morigeros, refractarios, qui monitis nolunt ac-
quiescere.

Insipientes] insipiens cor eorum, significat in-
telligentia destitutos, id est, non recte rationis iu-
dicio videntes. VERS. 31

Incompositos] id est inciuiles, possunt h̄c acci-
pi qui moribus sunt inurbanis & incompositis, &
ab humanitate alienis. Stultitia mentis statim ita
nores redundat.

Sine affectione] sine pietate, hoc est, impios in-
parentes & cognatos, qui nullo tanguntur pie-
tatis aut charitatis affectu.

Absque fædere] id est fædisfragos: dicuntur qui
fidem & fædera non seruant.

Sine misericordia] id est, immisericordes, & ctu-
deles, qui non commouentur alienis miseriis.

*Quicum iustitiam Dei cognouissent, non intellege-
runt*] noluerunt intelligere, considerare, & pra-
etice sibi persuadere. VERS. 32

Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus] Videatur enim Apostolus hic taxare Philosophos sapientiores, qui idolorum cultum, aliisque virtutia iam dicta, licet mala esse scirent, nec passim ea facerent & perpetrarent; illa tamen ab aliis facta probarunt, vel dissimularunt, siue metu legum, siue amore suis placendi, & timore eisdem displicendi.

C A P V T I I.

S V M M A R I V M.

Iudeos Ethnicorum reprehensores ostendit inexcusabiles, ac Dei iudicio reddentis unicuique secundum opera condemnandos, quod legem a Deo acceptam, in qua gloriabantur, non seruarent: cum eis diuerso Gentiles non accepta lege, facerent tamen ea que legis sunt.

VÉRS. I. *P*ropter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui indicas] Quamuis tot & tanta sint peccata Gentilium, tu tamen etiā, o Iudae, qui illos contemnere & tuo iudicio condemnare soles; inexcusabilis es, nec ullam prætexere potes peccatis tuis ignorantiam ratio sequitur.

In quo enim indicas alterum, teipsum condemnas. eadem enim agis que indicas] scilicet alios. Sensus Aposto

Apostoli est : Nam eo ipso quo alium iudicas peccatorem & morte dignum , consequenter etiam te conderinas : eadem enim quæ iudicas in aliis (siue tu qui iudicas alios) ipse agis vel opere , vel voluntate saltem ac desiderio.

Iudicans
alterum
seipsum
condem-
nat.

Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum VERS. 2.
veritatem in eos qui talia agunt] Sensus: Scimus nos Iudei ex lege nobis à Deo tradita , certius quam Gentiles qui legem non acceperunt , iudicium à Deo exercendum secundum veritatem , id est , iuste , & secundum merita operum , absque respectu personarum , aduersus eos qui talia agunt , cuiusmodi suprà de Gentilibus commemorata sunt.

Existimas autem hoc , ô homo , qui iudicas eos VERS. 3
qui talia agunt , & facis ea , quia tu effugies iudicium Dei ?] ac si dicat : Vehementer falle-
ris , ô Iudee , si existimes aut speres te euasum iustum Dei aduersus te iudicium , qui alios peccantes tanquam aut doctor aut peritus legis iudicas , cum ipse eadem facias . imò sic iudicando grauius tibi ipsi iudicium accersis . Ostendis enim te non ex ignorantia peccare , sicut ple-
riique Gentilium , sed scientem prudentemque praeuaricari legem .

An diuitias bonitatis eius & patientie & longa- VERS. 4
nimitatis contemnis ?] diuitias bonitatis vocat exu-
berantem Dei benignitatem . patientia Dei in eo
est quodd malos tolerat , longanimitas in eo quod
pœnam in longum tempus differt . itaque sensus
est : An , ô Iudee , ex magna & superabundanti be-
nignitate & longanimi patientia Dei , securita-
tem

tem & impunitatem tibi promittens permanes
in peccatis?

Ignoras Quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit?] Sensus est: Cum certe ignorare non debeas benignitatem Dei te ducere (sic enim in græco est) id est inuitare & prouocare ad paenitentiam. adducit ergo , id est , adducere cupit & conatur, & quantum in se est, adducit.

VERS. 5. *Secundum autem duritiam tuam & impenitentem cor, thesaurizas tibi iram] id est colligis, accumulas instar thesauri. Thesaurizas tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordia, quos contemnis, & euacuas in te misericordiam Dei. Iram vocat hic Apostolus ultionem, quæ more thesauri collecta deprometur, & vniuersa in peccatores in die iudicij effundetur.*

Dies iudicij dies iræ.

In die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei] quia tunc Deus omnem suam iram & iustum vindictam in impios effundet, ut videatur ira Dei sua omnia tela, fulmina, tonitrua & tormenta in eos depluere & detonare.

VERS. 6.

Qui reddet vnicuique secundum opera eius] hoc enim est iustum exercere iudicium. Queres, an redditurus sit vnicuique secundum omnia eius opera tam bona quam mala. Respondeo, secundum omnia bona, quæ non inuenientur mortificata: & secundum omnia mala, quæ non inuenientur remissa. Nam & illa mortificata, & hæc remissa sic habebuntur in illo iudicio, tanquam facta nunquam fuissent.

VERS. 7. *Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quarunt, vitam eternam] Sensus: Iis qui in bona conuersatio-*

ne

ne perseverantes , nec eam propter vlla aduersa
deserentes (hoc enim significat boni operis pa-
tientia) gloriam & honorem apud Deum atque
in Deo , & incorruptionem, id est , immortalita-
tem querunt, reddet Deus vitam æternam. Posset
etiam sic exponi, secundum patientiam , id est , pro
merito patientiæ, vel per patientiæ. videtur enim
respicere & explicare Apostolus id , quod dixit:
Reddet vnicuique secundum opera sua.

*Iis autem qui sunt ex contentione] id est, conten- VERS. 8
tiosis : eos qui sunt ex circumcisione , vocat
circumcisos , siue Iudæos : sic ij qui sunt ex fi-
de , vocantur fideles. notat Paulus hisce ver-
bis Iudæos contra Gentes , contendentes & ri-
xantes.*

*Et qui non acquiescunt veritati, credunt autem ini-
quiti, ira & indignatio] Iis verò qui contentiosi
sunt, nec acquiescunt veritati diuinæ, id est euangeli-
o sibi annunciatu, siue credenda spectes, siue
agenda: sed magis eligunt credere, id est acquies-
cere & adhærere iniustitiæ , & doctrinis quibus
iniusta & corrupta vita foueatur: iis, inquam, re-
tribuetur à iusto iudice Deo, indignatio & ira , id
est graue suppliciu , quale ab animo irato exspe-
ctari solet. contentionē dicit eorū qui sensa capi-
tis sui, nō ratione, sed animi pertinacia defendūt.*

*Tribulatio & angustia (supple, à Deo retribue-
tur & immittetur) in omnem animam hominis ope-
rantis malum] id est, in omnem hominem.*

*Iudei Primum & Graci) id est, tam Iudæi quam
Gentilis primum tamen ac præcipue Iudæi , vt
hoc pacto qui potior fuit in beneficiis, etiam prin-
cipalior sit in pœnis.*

VER. 10. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum*] Gloriæ & honori pacem adiungit, ut significet bene operantibus futuram omnium bonorum quietam, perpetuam, certam & securam possessionem. per *bonum*, Apostolus intelligit absolutè bonum, quod nos coram Dœo bonos & iustos facit. Sine fide non est vlla recta & bona vita, ait S. Augustinus, & hæc sola meretur gloriam, scilicet veram & æternam, de qua hic agit Apostolus. Constat enim sine fide Christi neminem posse bene vivere: sed etsi in Christum non credens aliqua faciat opera bona, non ea tamen esse eiusmodi, quæ gloriam & honorem & pacem apud Deum iudicē mereantur.

Iudeo primum & Greco] Istud adiicit etiam hoc loco, ut gentem suam honoret, quam in priori parte videbatur depressisse.

VER. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*] q.d. Non respicit Deus, an Iudæus quis sit, an Gentilis; sed vtrumlibet peccantem æquè punit, & vtrumlibet bene agentem præmiat. tantum respicit admerita causæ.

VER. 12. *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem indicabuntur*] Quicumque peccauerūt non accepta lege scripta à Dœo, peribunt: non tamen condemnante eos lege scripta, quam non acceperunt, sed sola lege naturæ, contra quam peccauerunt: qui verò lege à Dœo sibi tradita contra eam peccauerunt, per eam ipsam legem condemnabuntur.

VER. 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*] Iustificari opponit

nit hic Apostolus , perire & iudicari , siue condemnari . Nota , Apostolum supponere hæc opera fieri ex fide & gratia Christi ; agit enim de tota legis obseruatione , deque operibus verè bonis , Deoque acceptis ad vitam æternam , quæ non possunt esse , nisi nascantur ex fide . Tantum enim Apostolus hic probare intendit , solam legis notitiam non sufficere ad iustitiam , sed insuper ad eam requiri bonam actionem & obseruantiam legis . Iudæi credebant Deo & legi : & tamen contra eos hanc sententiam intorquet Apostolus dicens : Non auditores , sed factores legis iustificabuntur . ergo clarum est ex mente Apostoli , non per solam fidem , sed per opera fidei nos iustificari .

Cum enim Gentes quæ legem non habent , naturaliter ea quæ legis sunt faciunt , eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex] Dices cum Sancto Augustino : paulò antè dixit Apostolus , factores legis iustificabuntur , atqui Gentes sine fide non possunt iustificari , ergo cùm eas vocat factores legis , non intelligit illas sine fide , sed conuersas ad fidem . Respondeo , Factores legis , scilicet totius , iustificabuntur ; Gentes autem licet faciant ea legis quæ facilitia sunt , vt honorare parentes , dare , eleemosynam , cauere furta & cædes , non tamen possunt totam legem facere , & implere sine fide & gratia Christi ; quia legem fidei , spei , charitatis , & alias quæ supernaturales sunt , per naturam & naturæ vires implere non possunt . Vbi diligenter attende : non dicit Apostolus ,

*Institutio
operum
Iustitia
manife-
stè agna-
scit.*

VII. 14.

*Gentiles
ante fi-
dē Chri-
sti possunt
aliqua
legis pre-
cepta im-
plere , nō
tamen
omnia.*

stolus, Gentes facere, vel implere legem; sed ea quæ legis sunt, id est aliqua, puta faciliora, legis præcepta facere: cùm verò ait, iustificari eos, qui faciunt; non dicit ea quæ legis sunt, sed legem, scilicet totam & integrum. Hoc autem fieri nequit sine fide & gratia Christi.

V E R S I O N. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*] Significatur enim ita scriptū ut permaneat. ostendunt faciendo ea quæ legis sunt, cùm legem non acceperunt, per hoc enim declaratur quod ipsi sibi sunt lex.

C O N S C I E-
tia refū
& index
malorū
& bono-
rūm ope-
rūm.

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum] Habent enim omnino Gentes, et si legis expertes, conscientiam factorum suorum intus in animo, quæ ipsis testimonium ingerit de iis quæ benè vel male fecerint.

Et inter se inuicem cogitationibus accusantibus
aut etiam defendantibus] Pro cogitationibus, græcè significatur non qualescumque cogitationes, sed quæ fiunt ratiocinando ac disceptando: dum adhibito iudicio rationis animus examinat aliquid, & de eo pronunciat sit ne verum an falsum, bonum an malum. Sensus est, atque ex hoc testimonio conscientiæ sit, vt dū facta sua cogitando expendunt, & inter se conferunt ipsis suis cogitationibus, vel accusentur propter mala facta, vel excusat ac laudentur propter bona. In basilica cordis humani Deus tribunal constituit, legesque in eius tabulis incidit digito suo, rationem creavit iudicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant: vel defendant ipsum hominem reum.

In corde
humano
Deus tri-
bunal
cōstituit.

V E R S . 16. *In die cum iudicabit Deus occulta hominum*] in die

die, id est in diem iudicij diuini: sicut superius, in die iræ. Nam illa cogitationum accusatio vel excusatio nunc quidem fit, sed respicit diem examinationis ac iudicij Dei.

Secundum Euangelium meum] secundum quod de die iudicij, eiūsque pœnis & præmiis euangelizare & docere soleo, edocetus à Christo. ita Quid vo. cct Pau. Theophylactus. Euangelium enim suum Paulus non aliud intelligi vult, quam doctrinam euangelicam, à se prædicatam, quod eam Christo Ius euang. suum. uelante didicisset. Gal. i.

Per Iesum Christum] Hoc adiungendum illi parti, cum iudicabit Deus occulta hominum. Sensus enim est: Deum iudicaturum per Christum hominem, qui constitutus est ab eo iudex viuorum & mortuorum, Act. 10.

Si autem tu Iudas cognominaris, & requiescis in Vers. 17 lege] Supple ex præced. & tamen ipsam legem non facis, nec observas; grauius hac de causa damnaberis. q.d. Si tu, ô Iude, gloriaris, quod sis Iudeus, quodque legis sis peritus, ita ut in doctrina legis conquiescas, & tamen legem ipsam non facis, non impletus, meritò sanè acerbius punieris.

Et gloriaris in Deo] hoc est, gloriaris verum Deum esse Deum tuum, qui te ad cultum suum ex omnibus mundi nationibus elegerit, & populum sibi peculiarem fecerit.

Et nosti voluntatem eius] ex lege nosti, inquit, quid Deus velit te facere, & à quibus abstinere. Hec vocari solet voluntas signi, in præceptis consistens.

Et probas utiliora, instructus per legem] id est, ex C lege

lege sic institutus es, ut noris bona à malis discernerere, ac probè scias quid agere, quid fugere debas. Sensus: Legem habens in promptu, qua te quotidie docet ac instruit.

VERS. 19 *Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt]* Sensus: Arrogas tibi tantam legis scientiam, ut etiam cæcis, id est, errantibus, ducem te præbere, & iis qui in tenebris sunt, id est ignorantibus, lumen doctrinæ possis adferre. confidere pro gloriari legitur etiam alibi.

VERS. 20 *Eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam sciæ & veritatis in lege]* profiteris te magistrum imperitorum, ut qui ex studio legis consecutus sis formam ac rationem, qua etiam alios scientia veritatis imbuere, ac morum præceptis instruere queas.

VERS. 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces]* id est, non viuis ut doces: doctrinam tuam facto non ostendis. Nam turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

VERS. 22. *Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis]* Hæc faciebat Iudæus non solum cupiditate & affectu, verum etiam ipso opere. nam etsi lex manum cohibebat, non animum; in multis tamen effruescens cupiditas erumpebat in actum externum.

Qui abominaris idola, sacrilegium facis] dum scilicet auaritia vietus, res idolis consecratas, vel dæmoniis immolatas, contra legē usurpas, ait Chrysost. & Theoph. Potest etiam intelligi in eo quod gula aut hominum amicitia illecti mensas adibant idolothytis instructas. nam & hoc ad idolorum culturam & dæmonum societatem pertine-

re,

re, Paulus docet 1. Cor. 10.

Qui in lege gloriariſ] tanquam à Deo accepta; VERS. 23
nec enim leuis erat materia gloriandi, legem à
Deo accepit p̄r cæteris gentibus. Nam iudicia
ſua non manifestauit eis, psal. 147.

Per præuaricationem legi Deum in honoraſ] illum
ipſum ſcilicet, à quo legem accepisti. Nam legi
præuaricatio cedit in iniuriā & ignominiam legiſ-
latoři. tollitur enim per eam honor illi debitus,
qui conſiſtit in obſeruatione legi ab eo latæ.

Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gen- VERS. 24
tes] Sensus eſt: Propter vos, id eſt, veftra culpa, qui
legem à Deo traditam palam violatis; male de
Deo veftro Gentes loquuntur, detrahentes hono-
ri & maiestati eius, qui habeat tam malos culto-
res, quaſi eos vel negligat punire, vel non poſſit;
vel etiam ſcelera approbet.

Sicut scriptum eſt] Origenes & alij referunt ad
locum Iſaiæ 52. iuxta versionem 70. quæ ſic ha-
bent: Propter vos ſemper nomen meum blaſphem-
atur in Gentibus. Iam ex his verbis ſatis appa-
ret illa ſuperiora, furaris, mœcharis, ſacrilegium
facis, de extero opere accipienda eſſe, nam pro-
pter ſolum affectum intus latentem non poterat
infamari nomen Dei apud exterias nationes.

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues] Cir- VERS. 25
cumciſio prodeſt, non per ſe ad iuſtificandum fal-
tem adultos, ſed quia facit te eſſe ex populo Dei
ſignato, cui Deus credidit ſua eloquia, ut ait Pau-
lus cap. seq.

Si autem præuaricator legi ſis, circumciſio tua
præputium facta eſt] q. d. Si legem violes, li-
cet circumciſiſ ſis, perinde tamen eſt, ac ſi in

circumcisus Gentilis esses, ac si præputium haberes & gentilismum induisses. Reprimit hic Paulus arrogantiam Iudeorum gloriantium de sua circumcisione. ita Theophylactus.

VERS. 26 *Si igitur præputium, id est, præputiatus Gentilis, institutas legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?*] q. d. Si Gentilis legem custodiat, tunc incircumcisio illi non oberit, sed reputabitur potius, ac si esset circumcisus, quia custodia legis tantum, imò amplius illi valebit quam Iudeo valeat circumcisione; quia, ut Theophylactus, ait, vera circūcisio est præcisio non carnis, sed peccatorum, sive est ipsa actio vera & bona præcisa à vitiis; præputium verò est mala & turpis actio.

VERS. 27 *Et iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem prauaricator legis es?*] Sensus: Nonne Gentilis quem tu iudicare soles, et si præputium habens cum quo natus est, si legem obseruet ac perficiat, sui comparatione condemnabit te, qui cùm litteram, id est legem, in tabulis scriptam habeas, & carne circumcisus sis, atque externa professione Iudeus: tamen huic professioni non respondes, sed legem acceptam prævaricaris.

VERS. 28 *Non enim qui in manifesto Iudeus est, per externam & publicam iudaismi obseruationem & professionem, neque qua in manifesto in carne est circumcisione*] subaudi, hic verus Deoque placens Iudeus, hæc vera Deoque placens circumcisione est.

VERS. 29 *Sed qui in abscondito Iudeus est*] qui scilicet in corde & spiritu, per legis obseruantiam, fidem, & gratiam;

gratiam Christum (qui scopus est legis, quemque lex tota clamat & profitetur) confiteretur. Subaudi, hic verè apud Deum Iudeus est, & filius Abraham spiritualis.

Et circumcisio cordis in spiritu, non litera.] Circumcisio qua cor circumciditur à vitiis & concupiscentiis, ea demum vera Deoque placita circumcisio est, utpote quæ spiritualis sit circumcisio, id est per Spiritum sanctum facta: non autem carnalis iuxta literam legis Mosaicæ.

Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.] qui Iudeus, & quæ circumcisio spiritualis, laudem & commendationem habet non apud homines, qui non vident nisi quæ foris sunt conspicua: sed apud Deum, qui cor intuetur. Qui se Deo interius, non autem hominibus exterius probare & placere contendit, qui non ab hominibus, sed à Deo laudari cupit & querit; hic verè Iudeus est spiritualis.

Circumcisio in spiritu.

CAPUT III.

SUMMARIUM.

Ostendit in quibus Iudei præcellant Gentibus.

Omnès tamen docet esse sub peccato, nec habere de quo glorientur: & proinde egere iustificatione per fidem Christi.

Quid ergo amplius Iudeo est? *Sensus est: Si ita vers. 1.
se res habet, ut dictum est; quid igitur am-*

C 3 plius

plius præ Gentili, quidue eximium collatum est
Iudæo? quid habet Iudæus in quo præcellat?

Aut qua vilitas circumcisionis? id est, quid prodest esse circumcisum?

VERS. 2. *Multum per omnem modum? id est, valde multum amplius est Iudæo.*

Iudæi præ celebant Gentibus iu posse scri pteuraru elo quiorum Dei.
Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei] id est, hoc imprimis & præcipue Iudæus amplius est, quod credita, commissa, tradita sunt eis eloquia Dei. Eloquia sua, id est legem suam, & Scripturas sacras, in iisque promissiones & pacta diuina, futurorumque mysteriorum prædictiones. Erat autem permagnum beneficium habere legem & Scripturas sibi traditas à Deo. Priuilegia Iudæorum præ Gentibus explicat idem Apostolus cap. 9. Quorum est, inquit, adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa; quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem.

VERS. 3. *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? q. d. Incrediderunt, credere noluerunt, scilicet eloquiis Dei sibi creditis, hoc est: non habuerunt fidem promissis diuinis, quæ continentur in Scriptura.*

Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacabit? Sensus: Nunquid illorum incredulitas efficerre poterit, ut Deus promissa sua non præstet, sed inquit datam non seruet? fides hic accipitur, ut alias sapientissime in Scriptura veteris testamenti, pro veritate in præstandis promissis.

Absit!] græcè, ne sit, ne fiat, scilicet, ut hominum malitia Dei fidem euacuet. Si quidem impossibile est Deum mentiri, aut fidem fallere,

Est

Est autem Deus verax, in omnibus dictis & promissis: adeo ut fallere non possit. est enim ipsa veritas. Omnis autem homo mendax] scilicet ex semetipso, & ex inclinatione depravata suæ naturæ.

VERS. 4.

Homo est mendax.

Sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris] Adducit hoc testimonium ex psal. 50. quo ostendat Deum semper in promissis esse veracem, non obstantibus etiam hominum peccatis; adeo ut ex nostra iniquitate magis etiam appareat atque illustrior fiat ipsius veritas & iustitia.

*Hominum
peccata
non mu-
tant Deum**promissa.*

Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commen- dat, quid dicemus?] si nostra iniquitas siue iustitia commendat, id est, apparere facit, & illustriorem reddit, adeoque confirmat Dei iustitiam & fidem erga homines, quid dicemus? scilicet ad questionem ex illis dictis obuiam, quæ sequitur.

VERS. 5.

Nunquid iniquus est Deus qui infert iram?] Sensus: An ob id censemus Deum iniustum esse, qui infert iram, id est punitionem, qui punit & vindicat peccata, ex quibus eius iustitia commendatur?

Secundum hominem dico] id est, secundum hu- manum sensum loquor: obiectionem hanc mo- ueo ex persona hominis diuina nondum capien- tis: cui facile, sicut experientia docet, huiusmodi quæstiones occurrant.

VERS. 6.

Absit] ut ideo credatur Deus iniustus; ut quis de Deo tam absurdè & indignè sentiat.

Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?] q. d. Si propter causam memoratam Deus iniu-

stus censendus est in vindicandis peccatis; igitur non erit idoneus qui iudicet mundum. quod est longè absurdissimum. Sequela manifesta est, quia iudicem totius mundi iustissimum esse oportet.

VERS. 7.

Sienim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? Sensus est: Si fides & veracitas Dei clarior & illustrior facta est per meum mendacium siue iniustitiam; cur ego postea iudicor, condemnor & punior tanquam mendax & peccator?

VERS. 8.

Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona? Sensus: Et cur non potius dico (sicut quidam malè de nobis loquentes aiunt nos dicere) Faciamus mala, cumulemus peccata peccatis, ut veniant bona; quale est Deum glorificari? potest etiam hoc modo: Et cur non potius facimus mala, ut Deus glorificetur? sicut quidam calumniantur nos dicere, Faciamus mala ut veniant bona, &c.

VERS. 9.

Quorum scilicet tam ita sentientium, quam nos calumniantium, damnatio iusta est.

Quid ergo? præcellimus eos? nequaquam] Iudæi ethnici, quasi ob merita nostra, legem aut circumcisionem præ eis vocati simus ad fidem & iustitiam Christi: redit enim hic Paulus ad propositum suum, quod tetigit v. 2. responderet. nequaquam, præcellimus nos Iudæi ipsos Gentiles.

Causati enim sumus, id est causam antea attulimus, iam enim antè probauimus allatis causis & rationibus, Iudeos & Gracos omnes sub peccato esse] id est, omnes esse peccatores, & propter peccata damnatione dignos.

Sicne

Sic
nen es
iustus
diuid
Deum
scunt
Deum
runt
adeo
iustu
O
cet à
inuer
intel
liis b
ex se
done
ceps
truer
bono

A
Nor
facia
nus
grat
nes
infe
S. A
omi
tant
pro
S
bet

Sicut scriptum est: *Quia non est iustus quisquam: Ver. 10.
nen est intelligens, non est requirens Deum]* Non est & II.
iustus quisquam. Eāmque, deinde quasi in partes
diuidit dicens: *Non est intelligens, non est requirens
Deum.* q.d. Quidam non intelligunt, nec cognoscunt Deum, quales sunt Gentiles: quidam vero Deum cognoscunt, sed Dei mandata non requirunt nec custodiunt quales sunt Iudæi: atque adeo nec Iudæus, nec Gentilis, adeoque nemo iustus est inter filios hominum.

Omnes declinauerunt, id est, recesserunt scilicet à Deo. hoc enim quid est aliud quam, omnes inuentos malos, neminem bonum? Verū hæc intellige iuxta mentem & scopum Pauli, de filiis hominum, id est, humano genere, quale est ex sua origine, & qualis unusquisque perseverat, donec iustitia Dei per fidem Iesu Christi particeps fiat. *simul inutiles facti sunt]* id est competrerunt, nullos ferentes bonos fructus fidei, & bonorum operum.

Non est qui faciat bonum: non est usque ad unum] Sine Christi gratia nemo potest bonum facere.
Non est qui ex se, sine Dei, id est Christi, gratia faciat bonum absolute, tale scilicet, ut inde bonus & iustus coram Deo dici dignusque Dei gratia, aut æterna gloria censeri possit; quia omnes ex peccato Adæ corrupti, & concupiscentia infecti in peccata varia proclives declinant. ita S. August. in psal. 13. Hinc ergo non sequitur, omnia opera infidelium esse mala & peccata, sed tantum esse inepta ad iustitiam & gratiam Dei promerendam. Hoc enim hic vocatur *bonum*.

Sepulchrum patens est gutturi eorum. q.d. Quilibet homines peccato & concupiscentia corrupti,

instar sepulchri patentis, spurca, tetra, fœtida, dolosa, maledicta exhalant, proloquuntur & eructant. Linguis suis dolose agebant, linguis suis utuntur ad dolum & fraudem, aliud loquentes, aliud sentientes. Venenum aspidum sub labiis eorum] & quasi qui venenum aspidū, id est nocentissimum, sub labiis vel in labiis gerant, semper parati sunt pestiferum virus latentium cogitationum ex oris pharetra depromere, & in quemlibet eiaculari.

VER. 14. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est] ita ut vix aliud ore proferant in eos quibus offensi sunt, quam contumelias & maledicta.*

VERS. 15. *Veloci pedes eorum ad effundendum sanguinem] id est, ad cædes, & oppressiones innocentium.*

VERS. 16. *Contritio & infelicitas in viis eorum] q. d. Viæ, gressus, & conatus eorum eò tendunt, ut alios & se se inuicem conterant miserisque faciant.*

VERS. 17. *Et viam pacis non cognoverunt] scilicet approbationis notitia: quia pacem & iustitiam veræ pacis conseruaticem, oderunt. ac si dicat: Nolunt ingredi viam pacis.*

VERS. 18. *Non est timor Dei ante oculos eorum] id est, oculis mentis non considerant Deum ubique præsentem, proinde timendum esse, tanquam iustum vindicem malorum.*

VERS. 19. *Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur] q.d. Ne dicas, ô Iudæe, hos versus, qui omnes hominès de tam graibus peccatis arguunt, de solis Gentibus loqui; nam hi versus, sunt versus legis, puta Psalmis & Prophe-*

phetarum, qui non tam Gentibus , quām iis, qui
in lege sunt, id est Iudeis, loquuntur, eorumque
vitia increpant & castigant. ita S. Chrysost. &
Theoph.

*Vi omne os obstruatur (vt nemo audeat se à pec-
cato excusare) & subditus fiat omnis mundus Deo]*
Sensus: Et vt appareat omnes omnino homines,
etiam Iudeos , esse Deo iudici ad æternam mor-
tem obnoxios.

*Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis
caro coram illo] id est , nulla caro , nullus homo
iustificabitur. Nota. Cū Apostolus afferit hīc ne-
minē iustificari ex operibus legis, veteris intelli-
ge, seu iis quæ præscribit lex vetus, seclusa fide &
gratia Christi , idque patet ex eo , quod v. 22. &
passim opponat hæc opera fidei Christi. Cū er-
go fidem Christi iustificantem iis opponit , non
excludit , sed potius includit in fide opera facta
ex fide. sic enim pari modo sub lege includit
opera legis, seu quæ facienda dictat lex. ita S. Au-
gustinus lib. de grat. & lib. arb. c. 7.*

*Per legem enim cognitio peccati] Nam lex do-
cet quid faciendum sit , quid cauendum , quid
virtus sit, quid vitium & peccatum. Hinc de ea
dicitur Proverb. 6. Mandatum lucerna est, & lex
lux , & via vitæ. Vnde & lex hebraicè voca-
tur thora , id est , doctrina & institutio. non er-
go per legem, neque ex operibus legis est iustifi-
catio, qua peccatum tollitur & lex obseruatur.*

*Nunc autem sine lege] id est , vt Theodor. & VER. 21.
Ambros. lege veteri cessante, iustitia Dei, id est iu-
stificatio , qua nos Deus à peccatis absoluit in-
fundendo nobis suam iustitiam , id est , gratiam,*
cha

charitatem, aliásque virtutes, per Christi euāngelium manifestata est, quæ olim ante tot secula testificata est à lege & prophetis.] Hi enim quasi testes diuini & certissimi hanc iustitiam per Christum dandam pronunciarunt & assuerarunt. ita S. August. lib. de sp. & lit. c. 9. & 11. Non dixit Apostolus, inquit August. Iustitia hominis, vel iustitia propriæ voluntatis, sed iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cùm iustificat impium, &c.

V. 22. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.]* Sensus est: Iustitia, inquam, Dei quæ est per fidem Iesu Christi; idque in omnes & super omnes credentes in Christum. Hi enim omnes iustificantur, siue Iudei sint, siue Gentiles. *Super omnes*, significat sublimitatem iustitiae, quod scilicet illa super naturæ vires & merita, desuper è celo homini infundatur. ita Anselm. Cùm dicit iustitiam Dei haberi per fidem, aperte significat iustitiam non esse ipsam fidem; quod volunt hæretici. Doctrina enim Apostoli est per fidem acquiti iustitiam; ita tamen ut ipsa fides sit initium iustificationis, atque etiam pars quædam iustitiae.

Nan enim est distinctio] scilicet inter Iudeos & Gentiles. ac si dicat: Nullus est hominū qui possit aut unquam potuerit aliter iustificari, quam per fidem Iesu Christi. Hæc vna & sola via est omnibus proposita, qua perueniatur ad iustitiam.

V. 23. *Omnis enim peccauerunt, & egent gloria Dei]* S. Cyrillus per gloriam, intelligit Christum, qui est gloria Patris hoc ipso, quo est redemptor & iustificator noster, q. d. Paulus: Omnes egent Christo

Christo Redemptore. alij , per gloriam h̄ic accipiunt gratiam,qua glorificatur Deus. Nam Christi gratia est gloria quādam inchoata , sicut gloria est gratia consummata. Egemus enim Christo & gratia Christi ad hoc , vt per eam, gloriam, qua indigemus vt benē beatēqué semper viuamus,in cælis adipiscamur.

Quia
egere
gloria
Dei.

Iustificati gratis per gratiam ipsius] Iustificati, id VER. 24.
est, vt iustificantur, sicutque iusti, & sint iustificati
gratis. Pendent enim hæc verba ab eo quod præ-
cessit: Omnes egent gloria Dei. Gratus dare si-
gnificat gratuito dare sine merito: gratia enim &
gratuitum opponitur merito. Vnde cùm dixisset
Paulus, *iustificati gratis*, explicans subdit *per gra-*
tiam ipsius. gratis à gratia dèducitur.

Gratia
gratu-
ita.

Per gratiam ipsius (quam nanciscemur) per re-
demptionem, que (facta) est in Christo Iesu] id est
per Christum Iesum. Sensus : Peccatores iustifi-
cati per redemptionem , quam appenso pretio
fecit ac meruit Christus Iesus; siue quod idem est,
per Iesum Christum redemptorem. Quamuis igi-
tur quod ad nostra merita attinet, gratis iustifica-
mur ; non tamen absque meritis & satisfactio-
ne Christi, qui sanguinis sui pretio nos à peccato
redemit, atque in libertatem iustitiae vindicauit;
denique omnia bona ad salutem pertinentia no-
bis promeruit: vt proinde recte dicatur, non so-
lū iustificationem nostram, sed & prædestina-
tionem nisi meritis Christi; testante eodem Apo-
stolo, Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi con-
stitutionem. & iterum. Qui prædestinavit nos in
adoptionem filiorum per Iesum Christum. Ve-
rumtamen etiam hoc ipsum fuit gratuitæ erga

Iustifica-
cio èr-
prædesti-
natione
stra ex
meritis
Christi.

nos

nos misericordiae Dei , quod Christum redemptorem & satisfactorem nobis dederit.

VERS. 25

*Q*uem (Christum) proposuit Deus propitiacionem per fidem in sanguine ipsius] q.d. Propitiacionis & reconciliationis Christi voluit nos Deus participes fieri per fidem , qua credimus eum esse nostrum propitiatorem ; qua fide excitamur in spem veniae, amorem Dei , & peccatorum detestationem; itaque disponimur ad iustificationem. ita Conc. Trid. sess. 6. cap. 2. & 6. *In sanguine ipsum*, causa meritoria significatur, id est passio Christi Saluatoris.

Ad ostensionem iustitiae sua] q.d. Proposuit nobis Deus propitiatorem Christum, hoc fine, ut scilicet diutias iustitiae, qua Deus in se iustus est, ostenderet, communicando nobis peccatoribus eandem iustitiam; ostenderet, inquam, se esse illum qui iustificat peccatores per Christum , suamque esse hanc iustitiam , non hominum. Hæc enim iustitia in lege veteri non erat ostensa , nec manifestata.

Quatuor cause iustificationis nostra. Nota, in hisce Apostoli verbis notari & designari omnes causas iustificationis. nam Primo, causa efficiens est Deus. Secundo, meritoria est Christus. Tertio, instrumentalis est sanguis Christi. Quartio, applicans est fides. Quinto, formalis est remissio peccatorum, per gratiam sanctificantem; finalis denique est ostensio iustitiae Dei.

Propter (id est, ad) remissionem præcedentium delictorum] scilicet Adæ, & aliorum ante Christum, vel, propter, id est, per remissionem. q.d. Christus omnia etiam præcedentia peccata aboleuit: iam ergo amplius non est peccandum , post tantum amorem

rem & pretium nobis exhibitum. Sat vitiis, sat
veneri, ventrique datum, nunc viuite Christo,
praecedentium delictorum (quæ fuerunt.)

In sustentatione Dei] q. d. Quæ delicta Deus VER. 26.
sustentauit, id est, tolerauit diu expectans, donec
Christus veniret, eaque expiaret, itaque ostende-
ret iustitiam veram in hoc tempore gratiæ, eam-
que creditibus daret. ita Anselmus.

Ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore] Vo-
lens per hoc significare, Deum misisse filium
suum in plenitudine temporis, hoc est, eo tempo-
re quo iam satis exploratum & compertum esset.
vt sit sensus: Deum tolerasse peccata hominum
vsque ad ostensionem iustitiae suæ, id est, vsque
ad hoc tempus, quo suam iustitiam mundo vo-
luit patefacere & exhibere.

*Vi sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Christus
Iesu Christi*] iustus, id est, fidelis in promissis, vel
potius iustus, id est, sanctus & rectissimus. Adeò
odit peccatum Deus, vt ideò Filium dederit in
mortem, vt pro peccato ex iustitia satisfaceret, &
à peccato homines ad sanctitatē & restitutidinem
suam originalem, in qua à Deo conditi erant, in
paradiso traduceret; itaq; ipse iustus suā iustitiam
nobis comunicaret, nōsq; iustificaret per Christū.

Vbi est ergo gloriatio tua?] qua, ô Iudæe, gloria-
ris & arrogas tibi ex circumcisione, sacrificiis,
aliisque operibus legis Mosaicæ, iustitiam. VER. 27.

Exclusa est. per quam legem? factorum? non, sed Lex fa-
per legem fidei?] Nota ex S. Augustino lib. de sp. &c
lit. cap. 13. Lex factorum est ea, quæ iubet quid
sit faciendum: lex fidei, est ipsa fides, quæ impe-
trat gratiam faciendi quod lex iubet. Lex fidei
qua.

Lex

Lex factorum , est lex vetus : lex fidei est lex noua.

Lex factorum continet præceptum : lex fidei auxilium.

Lex factorum dat lucem , vt sciamus : lex fidei dat virtutem , vt faciamus .

Lege factorum dicit Deus , Fac quæ iubeo : lege fidei dicimus , Da quod iubes .

Lex factorum est ea , quæ externa opera & facta , eaque multa præscribit : lex fidei est ea , quæ actiones interiores ordinat , inter quas prima est fides & amor .

Denique quod hic dicit Apostolus , iustitiam quærendam esse ex lege fidei , non autem ex lege factorum , idem est cum eo , quod dixit cap . 2 . v . 29 . circumcisio nem cordis fieri spiritu non litera .

VER. 22. Si quæras , cur dicere maluit Apostolus legem fidei , quam simpliciter , fidem : aut cur omnino quæstionem sic proposuit . Per quam legem ? respondet Chrysostomus , vt à legis vocabulo non recederet , quod gratum sciebat auribus Iudæorum .

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis] Sensus : Iam ergo colligimus & concludimus ex superiori disputatione hanc nostram propositionem , hominem siue Iudæum , siue Gentilem iustificari per fidem qua iustitiam apprehendat , etiamsi legis opera non adfert , ea videlicet quæ sola cognitione legis adiutus fecerit : vt quæ nihil ad iustitiam conducant . Solerter annotauit S. Augustinus quod S. Iacobus timens , ne quis ex S. Paulo erraret , putaretque so-

Quæ opera à negotio iustificationis exclusa .

lam

Jam fidem iustificare , scripsit suam epistolam
hoc fine, ut doceat opera requiri ad iustificationem.Cùm ergo S.Paulus negat opera iustificare,
intelligit opera legis & naturæ, quæ fiunt per le-
gem & naturæ vires, seclusa fide & gratia Christi : cùm verò S.Iacobus asserit opera iustificare,
opera intelligit facta ex fide & gratia Christi. At-
que vt ait S.August. Paulus intelligit opera quæ
fidem præcedunt , Iacobus verò intelligit opera
quæ fidem sequuntur.

An Iudaorum Deus tantum? nonne & Gentium? VER. 29.
imo & Gentium] Sensus est : Deum quod ad be-
neficium attinet iustitiae & salutis æternæ , non
solum Iudaorum Deum esse, verùm etiam Gen-
tilium; vt qui æquè sint Dei creatura rationis ca-
pax, & ad supernam felicitatem ordinata; nec ne-
cessit eis sit per circumcisionem Iudaicæ nationi
incorporari, vt iustitiae Dei participes fiant.

Quoniam quidem unus est Deus (Iudaorum & VER. 30.
*Gentium) qui iustificat circumcisionem (id est, cir-
cumcisos, puta Iudeos) ex fide, & preputium (id est,
præputiatos, puta Gentiles) per fidem.*

Legem ergo destruimus per fidem?] Sensus: Ergó- VER. 31.
ne legem abolemus, irritam facimus , otiosam &
inutilem reddimus hac nostra de iustificatione
doctrina,qua fidem exigimus, & opera legis ex-
cludimus? respondet:

Absit, sed (potius) legem statuimus] Quia lex Euange-
statuit & confirmatur ex eo, quod illa quæ lex lium est
illa significabat & promittebat , per euangelium
(quod fidem hīc appellat Paulus) completa sunt. cōfirma-
Messias enim in lege noua adimpleuit , & adim-
plendo quasi stabiliuit & confirmauit , quic-
quid Moyses præfigit auit in lege veteri.Opponit
signatio
legis &
prophetarum.

Paulus verbum, statuo, stabilio, facio ut aliquid stet, alioqui vacillans & casurum; verbo, destruo, abeo, irritum facio. Quasi dicat; Ego per euangelium ad eò legem non destruo, non deiicio, ut eam per hoc stare faciam, stabiliam & confirmem. Euangelium enim est confirmatio, ratificatio, ob-signatio legis & prophetarum.

CAP V T I V.

S V M M A R I V M.

Exemplo Abraham ostendit, non ex operibus, neque ex circumcisione, neque ex lege, sed ex fide expectandam esse iustitiam, non Iudeis solum, sed omnibus fidem illius imitantibus.

VERS. 1. **Q**uid ergo dicemus inuenisse Abraham Patrem nostrum secundum carnem] q. d. Quam iustitiam, an fidei, an operum legis dicemus Abraham inuenisse, id est, accepisse? &c, vt Syrus, adeptum esse? Quid dicemus Abraham, qui pater noster est secundum carnem, adeptum fuisse per hoc quod fuit circumcisus?

VERS. 2. **S**i enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum] q. d. Si Abraham tantum habet eam iustitiam, quae ex operibus est legis aut naturæ, seclusa fide; sanè ea parva est & politica, tantum habens gloriam & laudem iustitiae apud homines, qui opera externa vident & mirantur, non autem apud Deum, qui internam mentem & fidem videt & estimat, in eaque collocat veram iustitiam.

Quid

Quid enim dicit Scriptura?] Probat Paulus ex VER. 3.
Scriptura, Genes. 14. quod Abraham iustitiam &
gloriam apud Deum adeptus sit, non ex operi-
bus legis, sed ex fide.

Credidit Abraham Deo, promittenti sibi & Sa-
rae coniugibus, senibus, sterilibus, infirmis, & im-
potentibus ad generandum, semen, id est, poste-
ritateni tum carnalem ex Isaac, tum spiritalem ex
Christo credentium & Christianorum. vnde hoc
credere, reputatum est illi ad iustitiam] quia hic
actus fidei in Abrahamo fuit valde heroicus. quia
fides illa qua Deo credidit promittenti sibi se-
men sicut stellas caeli, erat verum & insigne opus
iustitiae, Deo gratissimum.

Mira si-
des A-
braham.

Reputatum est illi ad iustitiam] Genes. 15. in he-
breo habetur, & reputavit illam, scilicet fidem,
Deus illi ad iustitiam. Sensus: Fides tam Abraham,
quam nostra, quae ex natura sua, ut actus est ho-
minis, non est iustitia, nec iustitiam parere aut
producere potest: à Deo tamen acceptatur ad iu-
stitiam tam Abraham, quam nobis tribuendam, vt
scilicet propter hanc fidem Deus Abraham & no-
bis iustitiam largiatur & infundat, reputetque
nos iustos, amicos, & filios suos. & hoc est, quod
subdit Apostolus v. 5. Secundum propositum gratia
Dei, id est secundum gratiosam, benevolam & li-
beralem Dei voluntatem, quae statuit, vt per actum
fidei formatæ, id est, per contritionem, gratia iu-
stitiae detur sine operibus, id est, sine merito
operum: reputari enim dicitur pro tali, quod in
se tale non est, ut voluntas pro facto reputari di-
citur. ita Concil. Trid. sess. 6. Vbi Nota. Planè
aliud est imputare fidem ad iustitiam, vel pro iu-
sticia, aliud imputare iustitiam.

Abrahā
iustifica-
tur non
ex operi-
bus quo
sensu.

V. S. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.]* In eo quod dixit fidem Abrahæ fuisse ei reputatam ad iustitiam, sonat gratia; quia fides promissorum Dei gratia innititur.

V. S. 5. *Ei vero qui non operatur (id est, qui non affert sua opera suæ naturæ viribus facta, nec ex iis querit aut sperat iustitiam, quasi mercedem iis debitam) credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.]* id est, hic per fidem iustificatur. Abraham iustificatus est gratis per fidem, quia scilicet credit Dœ, qui sua gratia iustificat impium; non autem, quia bene suo marte operatus est, aut quia suis bonis operibus meritus est hanc iustitiam: ergo & nunc hæc iustificatio impiis & peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus & meritis, sed gratis ex fide Christi, quem Deus proposuit nobis redemptorem & propitiatorem: nam quod datur per fidem & gratiam, non merces est, sed gratia: quod vero datur pro operibus, sive pro merito operum, merces est, non gratia. Cum ergo iustificatio Abrahæ & nobis obtingat gratis per fidem; sequitur eam non obtingere ex operibus, ut opatum & meritorum nostrorum sit merces.

Secundum propositum, id est, liberale decretum gratia Dei] Sensus est: Fidem reputari ad iustitiam, & ex ea iustificari hominem, non quod hic iustificandi modus ad primam naturæ pertineat institutionem: sed quia Deus gratiose decreto sic ab æterno ordinavit; quo & ipsam fidem gratis dare constituit.

V. S. 6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus*

Deus accepto fert iustitiam sine operibus] Pro beatitudine in græco est beatificatio : quo vocabulo ipsa iustificatio significatur. & sensus est : Simil modo etiam Dauid in psal. 31. dicit & pronuntiat hominem beatificari seu iustificari, cui Deus imputat iustitiam, id est, quem Deus suo iudicio iustum reputat absque merito operum eius : dum scilicet nullam facit operum mentionem, sed tantum peccatorum præcedentium & gratuitæ eorum remissionis, ait enim :

Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecla sunt peccata] Remissa, gratuita nimis ut condonatio, non meritis operum : hoc enim vult probare Paulus, & hoc propterea est remittere offensas & peccata, scilicet gratis ea condonare. & quorum tecla sunt peccata. tecla, non quasi peccata in iusto maneant & lateant, vel quod Deo dissimilante non imputentur ad pœnam. hoc enim non patitur perspicax & integra Dei iustitia. sed techa, id est obliterata, obruta : ita ut non sint, nec existant amplius. Peccata dicuntur remitti per Dei condonationem, tegi vero per infusionem iustitiae, id est, gratia & charitatis ; haec enim sunt vestes spirituales & pulcherrimæ, quibus animæ nuditatis per peccatum inducta tegitur & ornatatur : haec est enim stola illa prima, qua indutus est filius prodigus, Luc. 15. Haec etiam est vestis nuptialis, de qua dicit Christus, Matth. 22. Amice, quomodo hic intrasti, non habens vestem nuptialem?

Peccata
remittuntur
per
Dei con-
donatio-
nem; te-
guntur
per infu-
sionem

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum] Dicitur autem Deus peccatum non imputare : quia cum delet ac remittit homini peccatum, non iam eum amplius habet pro peccatore : quippe

qui peccato remisso iam peccator esse desierit. Sensus ergo est: Beatus est vir , cui Deus peccatum condonauit , & consequenter non amplius illud ei imputat ; quem deinceps Deus protegit, ne faciat peccatum, quod illi imputet, &c. beatus, immo beatior est , qui postquam a peccatis expurgatus est , iuste deinceps viuit , omnique studiorum peccata; ita ut nihil mali faciat, quod ei Deus in peccatum imputare posset.

V. 9. *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in preputio?*] Hæc beatificatio seu iustificatio de qua Dauid loquitur , tantumne contingit Iudeis circumcisio? an etiam peruenit ad Gentiles non circumcisos? q.d. Ex citatis Dauidis verbis clare concludere potestis , ô Iudei, quod hæc eius beatitudo & iustitia non ad solos circumcisos, sed etiam ad Gentiles pertineat. Iustificatio ergo opus est noni legis , quam vobis arrogatis, ô Iudei, sed gratia, quæ communis est omnibus, tam Gentibus quam Iudeis.

Dicimus enim quia reputata est Abraham fides ad iustitiam] Abraham ante legem, immo ante circumcisione iustificatus est , non ex circumcisione, aliisque operibus legis, utpote quæ nondū erant, sed ex fide. unde & circumcisionem postea accipit, ut esset signum iustitiae acceptæ per fidem. ergo iustitia hæc non est ex lege & circumcisione , nec pro lege & circumcisione sola, sed pro omnibus, qui fidem Abraham se contantur.

V. 10. *Quomodo ergo reputata est in circumcisione, an in preputio?* Sensus est: Qualis & quo in statu erat Abraham , quando ei fides ad iustitiam reputata est? num circumcisus iam erat , an adhuc præputiatus? non in circumcisione , sed in preputio] hoc est,

est, nondum circumcisio, sed adhuc habenti præputium. Ergo iustitia Abrahæ non tantum pertinet ad vos, ô Iudæi, sed etiam ad præputios Gentiles. Rursum ergo Abraham est iustificatus, non ex circumcisione, nec ex operibus legis, ex quibus vos, ô Iudæi, dicitis petendam esse omnem iustitiam; sed ex fide & gratia, quæ communis est tam incircumcisus quam circumcisus.

Abrahæ
ante cir-
cuncisionē
iustus.

Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei, que est in præputio] Circumcisio erat signaculum, id est sigillum iustitiae, quo scilicet testificabatur Deus Abrahæ iustitiam certam esse ac legitimam, iustitiam, inquam, adeptam antè per fidem, cum adhuc esset præputius. Sensus huiusmodi est: Abraham iam antè iustificatus per fidem, postea accepit signum circumcisionis, id est ipsam circumcisionem, quæ pro signo data fuit illi, & eius posteritati.

VER. 11.
Circum-
cisio si-
gnaculum
iustitiae
in Abra-
ham.

Vi sit (Abraham) Pater omnium credentium per præputium, id est, omnium in præputio manentium, puta omnium Gentilium. ut reputetur & illis ad iustitiam] ut eorum fides eis reputetur ad iustitiam, & ex fide sua illi quoque iustificantur, sicut Abraham ex fide sua iustificatus est.

Et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, qua est in præputio patris nostri Abrahæ] Vult enim ostendere Paulus Abraham esse patrem omnium credentium, Gentilium æquè ac Iudeorum. Porro circumcisione tale fuit signum, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, id est, non solis Iudeis, sed & iis (Gentilibus) qui sectantur vestigia

VER. 12.
Circum-
cisio si-
gnum
sunt non
solis Iu-
deis, sed
etiam Gē-
nibus.

fidei, quæ est (id est, quæ fuit & apparuit) in præputio patris nostri Abrahæ, cum scilicet Abraham adhuc esset præputius & Gentilis.

VER. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, ut heres esset mundi, sed per iustitiam fidei] Abrahæ promissa fuit benedictio, id est, iustitia &

Iustitia non per legem aut circumcisionem, sed per fidem. salus omnium Gentium, non per legem & circumcisionem, sed ante eam, ex eo, quia credidit Deo; ergo posteri Abrahæ huius promissionis, benedictionis & iustitiae participes quoque fient, non per opera legis, sed per fidem. In fide enim non in lege hanc iustitiam constituere voluit Deus; & in fide, non in lege, imò ante legem, iustitiam hanc accepit Abraham, ut esset exemplar posteriorum, significans eos, non ex lege, sed ex

Abrahæ heres est mundi per filios & per Christum. fide pariter iustificandos esse. Ut heres esset mundi, ut scilicet in semine eius benedicerentur omnes Gentes. Hæc enim est promissio facta Abrahæ, Gen. 22. ut nimirum Abrahæ fides, benedictio,

& filius, scilicet Christus, omnes gentes sibi subigeret, sicque regnum Christi per omnes gentes dilataretur, & per hoc eas omnes in ipso benedicendas. nam Christum mundi heredem etiam Psalmista canit in persona Dei Patris dicens: Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ, psal. 2. de quo rursus Apostolus Hebr. 1. Quem constituit heredem vniuersorum. Hæc est promissio, benedictio, & hereditas Abrahæ, scilicet Ecclesia toto orbe diffusa, quæ est regnum fidelium, in quo rex est Christus; pater & patriarcha est Abraham.

VER. 14. Si enim qui ex lege, heredes sunt; exinanita est fides, abolita est promissio] Heredes, scilicet promissionis & benedictionis Abrahæ iam dictæ.

Vrgt

Vrget & perurget Apostolus tam h̄ic quam ad Galat. 3. iustitiam nobis obtingere ex fide, non ex lege, & legis operibus: quia si pet legem obtineret, non per fidem; sequeretur ingens absurdum, scilicet fidem & promissionem Abrahæ esse abolitam & abrogatam. Abrahæ enim promissa est benedictio, non ex lege, vtpote ante legem; sed ex fide, quia scilicet credidit Deo promittenti. Rursum si ex lege datur iustitia, ergo non ex promissione: pugnant enim lex & missio; lex & fides (fides enim respondet promissioni, estque promissionis acceptatio & applicatio) quia missio libera est & liberalis, quōdque promissum est datur liberaliter, gratuitè, & ex gratia; quod verò ex lege & operibus legis datur, id datur non gratuitè, nec ex gratia, sed ex iustitia, & ex merito operum.

Lex enim iram operatur, quia nimis lex causa & occasio est, non benedictionis, non iustitiae, non hæreditatis, sed præuaricationis, & consequenter maledictionis, itæ & vindictæ diuinæ, vbi enim non est lex, nec præuaricationis] sive transgressio: id est, vbi lex non est, locum non habet transgressio: quemadmodum & contrà: vbi lex, ibi transgressio. & quia lex quasi per antiperistasis, concupiscentiam accedit: nam semper nitimus in vetitum, intellige, nisi lex iungatur fidei & gratiæ, quæ legem adiuuet, & concupiscentiam reprimat, quod intendit Apostolus. Scopus enim eius est ostendere necessitatem fidei & gratiæ Christi, ad eamque Iudæos omnésque homines deducere, ut iustitiam & salutem assequantur.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.

VARS 15.
Lex non
iustitiae,
sed iram
operatur.

missio omni semini] Ideò, inquit, ex fide, vt promis-
sio agnoscatur gratuita & indebita: & rursum, vt
promissio firmetur ac tata sit super vniuersum se-
men Abrahæ, id est, tam ad Gentiles, quam ad Iu-
dæos extensa, vt qui omnes in semine Abrahæ
computantur, quia Abraham quasi patrem in fide
imitantur.

Non ei qui ex lege est solum (non soli Iudæo) sed
& ei (Gentili) qui ex fide est Abrahæ (qui Abrahæ
*patris fidem quasi genuinus eius filius consecta-
tur) qui pater est omnium nostrum]* tam Gentilium
quam Iudæorum, est, inquam, pater propagatione
non carnis, sed fidei & spiritus. Nam dum Abra-
hæ fidem imitamur, tunc ipse Abraham per Chri-
stum suam iustitiam, gratiam & spiritum in nos
quasi filios suos transfundit, nosque sibi affilicit
& adoptat.

*Abrahæ
pater om-
nium no-
strum no-
propaga-
zione car-
nis, sed
spiritus
& fidei.*

VERS. 17.

Sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium
posui re] id est, constitui te, videlicet præordinatio-
ne ac proposito certissimo.

Ante Deum cui credidit] Posui te patrem ante
Deum, id est, in præscientia & decreto diuino, im-
mobili, certo & irreuocabili; necdum enim Abra-
ham actu erat pater multarum gentium, sed tan-
tum in præscientia & prædestinatione Dei. Abra-
ham vero est pater omnium nostrum, non paterni-
tate carnali, quæ est coram hominibus, sed spiri-
tuali, quæ est coram Deo, cui crediderat. Di-
citur hæc paternitas esse coram Deo, quia fun-
data est in fide, quæ hominem Deo commendat.

Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt,
tanquam ea quæ sunt] Propriè Deus vivificat mor-
tuos, cum eos à morte resuscitat. Hisce enim ver-
bis Paulus commendat Dei omnipotentiam. q.
d.

d. Sicuti Deus potest suscitare mortuos , ita potest facere , vt Gentes natæ in paganismo , spiritualiter renascantur per fidem, siāntque filij Abrahæ ; idque creditit Abraham, cùm credidit Deo dicenti : Patrem multarum gentium posui te.

Deus vocat ea, quæ non sunt , tanquam ea quæ sunt ; quia Deus æquale habet imperium in ea, quæ non sunt, atque in ea, quæ sunt, & ea quæ non sunt, facit ut sint: verbi gratia, hīc facit, ut Gentes, quæ non erant, sint filij Abrahæ.

Vbi Nota. Dei vocare est creare & facere; omnia enim possibilia, cùm nondum actu sunt, sunt tamen & latent in omnipotentia Dei, quasi in virtute & semine, & cùm Deus suo iussu illa inde euocat, hoc ipso facit ut sint : Dei enim dicere & vocare est efficax, idēmque est, quod nostrum facere. ita S. Chrysost.

Dei vocare
est
creare &
facere.

Qui (Abraham) contra spem (naturæ, & naturæ potentia generatiæ) in spem credit] id est, in rem speratam gratiæ & promissionis diuinæ, credit, inquam, quod sequitur:

VERS. 18
Abrahæ
cōtra spē
natura,
credidit
in spē
gratiæ.

Vi fieret pater multarum gentium] id est, se futurum patrem multarum gentium. Nota. Sicuti sperare desperata, est sperare contra spem, sic & credere futura, quorum nulla est spes, est credere contra spem; quod scilicet seni Abrahæ, & sterili Saræ nascetur Isaac, quia id ipsum promisit Deus. ita Theophyl. Anselm. Theodor.

Secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum] Præcesserat illud Dei ad Abraham: Suspicere cœlum, & numerâ stellas si potes. tum sequitur, Sic erit semen tuum, scilicet sicut stellæ innumerabiles.

Et non infirmatus est fide] id est, nullam passus infirmi

VERS. 19

infirmitatem aut vacillationem fidei circa promissionem diuinam.

Nec considerauit corpus suum emortuum] id est præ senio iam effætum & impotens ad generandum.

Cum iam fere centum esset annorum] Dicit autem fere centum annorum, id est, uno minus, habebat enim annos nonaginta nouem.

Et emortuam vuluam Sarę] Vere Abraham tunc fuisse impotentem præ senio ad generandum ex qualibet femina, sed diuino miraculo redditam ei fuisse virtutem, qua ex Sara, Cetura, & quacunque alia proles suscitare & generare posset, ita D. Thomas.

Vers. 20 *In reprobmissione etiam Dei non hæsitauit diffidencia*] Quamuis Abraham audita promissione quæsuerit, ac quasi disceptauerit dicens Deo: Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonage-naria pariet? non tamen id fecit ex incredulitate, sed ex admiratione. Sensus est: Nulla laborauit incredulitate, vt ad promissionem Dei auditam hæsitaret.

Sed confortatus est fide] id est, firma ac robusta fide suscepit Dei promissionem.

Dans gloriam Deo] Gloriam Deo tribuit Abraham credens ac profitens eum omnipotentem & in promissis veracem, per hæc etiam laudatur & glorificatur Deus.

Vers. 21. *Plenissime sciens, quia quæcumque protinusit Deus, potens est & facere*] plena ac certissima fide persuasum habens, Deum sua promissa seu quæcumque promisit, præstare posse, nominat autem potentiam Dei, non veracitatem: quia supposita fide potentia non erat difficile credere Deum fa-

eturum

eturum quod promiserat.

Ideo reputatum est illi ad iustitiam] scilicet eadem VERS. 22
ratione qua & prius fides promissionis ei reputa-
ta fuerat ad iustitiam, Gen. 15. Hinc manifestum
est ea locutione non significari primam iustifica-
tionem. Quoties enim creditit Abraham Deo,
toties ei fides ad iustitiam reputata est. nam, ut su-
prà dictum est, etiam obedientia per quam mul-
tò post in temptatione inuentus est fidelis, reputata
est ei ad iustitiam, attestante Scriptura, 1. Machab.

2. & Iac. 2.

Non est autem scriptum tantum propter ipsum, VERS. 23
quia (quod) reputatum est illi ad iustitiam:

Sed & propter nos, id est, nostræ doctrinæ causa, VERS. 24
quibus reputabitur (nostra fides ad iustitiam) creden-
tibus (si credamus) in eum qui suscitauit Iesum Chri-
stum Dominum nostrum à mortuis] q. d. Abraham
datur & proponitur nobis in exemplar iustificationis,
ac proinde sicut ipse, ita & nos non, ex cir-
cumcisione, lege & Moysè, sed ex fide & Christo.
iustitiam querere & consequi debemus.

Qui traditus est propter delicta nostra] propter VERS. 15
delicta siue peccata nostra abolenda.

Et resurrexit propter iustificationem nostram] Omne
Sciendum est: omne meritum Christi Salvatoris
in passione eius & morte completum fuisse, &
proinde sua resurrectione eum nihil meruisse; vti
nec ascensione in cælum, ac cæteris, quæ egit post
passionem & mortem. Quæ doctrina est omnium
Theologorum, vt traditus in mortem Christus
dicatur propter peccata nostra, id est, vt sua morte
penam peccatis nostris debitam absoleret: resur-
rexisse vero propter iustitiam nostram, id est, vt
sua resurrectione typum quendam nobis præ-

meritum
Christi
morte
eius com-
pletum.

ficeret

ferret resurgendi ad iustitiam seu vitæ nouitatem, secundum ea quæ dicuntur infrà cap. 6. vel certè, ut nobis reconciliatis ipse iam rediuius & immortalis iustificationem nostram, qua scilicet mens nostra renouetur de die in diem, & quæ inde sequitur salutem, apud Deum promoueret.

Illud obserua contra Sectarios iustitiam nostram in sola remissione peccatorum constituentes: Apostolum disertè distinguere hæc duo, deletionem peccatorum & iustitiam, id est, vitæ nouitatem, velut iustificationis nostræ partem præcipuam.

CAPUT V.

SUMMARIUM.

Iustificatorum ornamenta commemorat, Dei eximiam erga nos charitatem prædicat: ac docet, sicut peccatum & mors per unum hominem in omnes transierunt: ita gratiam & vitam ex uno homine in multos deriuari.

VERS. 1. *I*ustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum] ad Deum, id est, erga Deum, cum Deo. monet Paulus, iustificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem habere. Sensus est: Ex fide iam iustificati, illud beneficij imprimis consecuti sumus, quod cum Deo pacem habemus, id est, quod Deo sumus reconciliati, quodque cum nunc habemus placatum

catum, quem propter peccata nostra habebamus offendit, pacem, id est, amicitiam cum Deo in iustificatione acceptam; habeamus, id est conservemus.

Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam] iustificationis & remissionis peccatorum, ex qua pax ista sequitur. Sensus Apostoli: Cuius opera ac merito admissi & adducti sumus per fidem ad hanc gratiam id est, beneficium iustificationis. Porro notandum, et si fides sit initium & pars quædam nostræ iustificationis, rectè tamen & conuenienter dici, quod per fidem habemus accessum & ingressum ad gratiam iustificationis: quomodo per ostium ingredimur domum, quamvis ipsum ostium pars domus sit. fide velut initio iustificationis, eo nos ulterius adduci, ut cæteris donis accendentibus simpliciter iusti simus, ac Deo accepti ad vitam æternam; quemadmodum intrando per ostium eo quis promouetur, ut sit intra domum, in aula aut in conclavi.

In qua stamus] id est, constanter perseveramus, erecti consistimus, firmi permanemus. In qua gratia, inquit, stamus, id est, manemus, persistimus: in qua, id est, de qua, etiam gloriamur sub spe & certa expectatione futuræ gloriae, quæ præparata est, & per hanc gratiam præstanta filiis Dei adoptiuis.

Et gloriamur in spe gloria filiorum Dei] id est, sub spe, vel propter spem, seu quia speramus gloriam præparatam filiis Dei. Cyprianus habet: Gloriamur in spe claritatis Dei. cuius tamen lectionis sensus à priori non variat. nam gloria Dei filiis eius adoptiuis communicatur.

Primus

Sex fructus & excellentia iustitiae.

Primus fructus & excellentia iustitiae est pax. 2. est, spes gloriae. 3. est, magnitudo animi, & laetitia in aduersis ob spem gloriae. 4. est, quod per eam efficimur Deo amici & dilecti per charitatem. 5. est, quod per eam a Deo adeptamur in filios, eoque patre gloriamur. 6. est, merces vitae æternæ.

VERS. 3.

Non solum autem] nec id solum. non solum, inquit, gloriamur de eo quod dixi, id est, de gratia ista:

Sed & gloriamur in tribulationibus] id est, de afflictionibus, pressuris ac persecutionibus, quas propter hanc gratiam, id est quia Christiani sumus, patimur. Gloriamur, inquam, de iis secundum spiritum, tanquam de magno bono: licet infirma caro doleat. Nam tribulationes summopere confirmant spem electorum, quam habent de gloria futuri saeculi.

Scientes quod tribulatio patientiam operatur] Loquitur de iustis constantibus & cordatis, qui ex tribulatione robustiores & perfectiores euadunt; non de timidis & leuibus, qui tribulationi cedunt & succumbunt. tribulatio patientiam operatur, quia nobis proficit ad patientiam.

VERS. 4.

Patientia autem (operatur) probationem] quia reddit eum qui affligitur, probatum & exploratum, ut cognoscat quanti Deum & caelestia faciat, similque eum magis ac magis repurgat ab affectionibus vitiosis.

Probatio vero (operatur) probum] id est, spei robur & vigorem. ita S. Chrysost. & Ansel. probatio verò spem gignit, excitando eam & augendo. Qui enim iam expertus est se nullis aduersis a iustitia & veritate fidei dimotum esse, etiamsi variè tentatus

tatus sit ; mirum in modum erigitur animo in spem gloriae cœlestis.

Spes autem non confundit] id est, non solet pudicere: quia scilicet sperantem non frustratur, nec fallit, sed eum certò perducit ad affectuonem rei speratae à Deo. *Spes*, inquit Bernardus ser. 37. in Cant. non confundit; quia infundit certitudinem: per hanc enim ipse Spiritus testimoniūm perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei. Denique spem charitate formatam intelligi, docet probatio sequens.

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis] Quod dixi spem nos non confundere, patet utique ex charitate, quam Deus nobis copiosè exhibuit, effundendo in nos Spiritum sanctum, tamquam pignus hereditatis promissæ, per multiplicia dona quæ nobis impertivit. Nam ex acceptis confirmamur & certi reddimur de futuris. Quæres, Quænam hic intelligatur charitas Dei? S. Chrysost. Theoph. Ambros. Caietan. & Toletus respondent, quod charitas Dei sit charitas, quæ est in ipso Deo, qua Deus nos diligit: hæc *diffusa vel effusa est in cordibus nostris*. quia in iis efficit charitatem, gratiam, omniaque dona & virtutes Spiritus sancti. Secundò, S. August. Bernar. Anselm. & passim doctores Scholastici, imò Concil. quoque Trid. sess. 6. c. 7. charitatem Dei hic intelligunt non eam, quæ est in ipso Deo increata & æterna, sed eam quæ est in nobis à Deo creata & donata in tempore, quam scilicet Deus nobis infundit, ut eum diligamus; illa enim propriè diffundi vel effundi dicitur. q. d. Paulus: *Spes æternorum non confundit nos, quia charitatem*

Char-
itas tam
increata
quæm
creata
diffusa
est in
cordibus
nostris

habemus, quia Deum diligimus, sumusque Dei amici: Deus autem amicos suos in se sperantes non confundet, immo verò iisdem diligentibus se hæc sperata æterna bona præparauit. Augustinus ita scribit: Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iusti eius munere efficimur, & Domini salus, qua nos saluos facit. Plenissimè erit sensus, si charitatem Dei vtramque accipias, scilicet creatam & increatam, & de vtraque hunc locum explicat Origen. Theodor. Ocum. & D. Thomas: q.d. Paulus: Charitas Dei increata effudit se per charitatem creatam à se diffusam & effusam in cordibus nostris. Nam charitatis Dei in cordibus nostris effusio, secundum effectus diuinæ erga nos charitatis intelligi debet, id est secundum dona Spiritus sancti nobis collata ac nobis inhærentia; quemadmodum ipse Paulus exponit cùm addit: *Per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* vnde fit consequens in nobis esse & cordibus nostris inhærente charitatem reciprocam erga Deum. Nam præcipue dari nobis dicitur Spiritus sanctus propter donum charitatis, quod & cæteris Spiritus sancti charismatis excellens est, & maximè necessarium.

Charitas est
habitus
cordibus
nostris
inhæres.

VERS. 6.

Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?] Sensus est: Christi tantam erga nos fuisse charitatem, ut pro nobis quando adhuc eramus infirmi, hoc est, variis peccatorum languoribus detenti, & proinde etiam impij, id est, iniusti & peccatores; mori non dubitauerit tempore à Patre constituto. tanta est Dei charitas erga nos,

nos, vt dederit nobis Spiritum sanctum, quo ex iniuricis facti sumus amici; igitur non frustrabit nos spe promissionis æternae gloriae. quia si, cum adhuc peccatores essemus, adeo nos dilexit Christus, vt pro nobis mortem oppeteret: quanto magis nobis iam iustificatis & amicis præstabilit cætera quæ promisit?

Vix enim pro iusto quis moritur] græcè morietur, id est, mori paratus sit. vix reperiri aliquem inter mortales qui pro iusto homine liberando velit se dare in mortem. VERS. 7.

Nam pro bono forsitan quis audeat mori] Dico vix reperiri qui pro iusto moriatur; non simpliciter nego reperiri; quia forsitan reperiatur aliquis qui id faciat, id est, pro iusto & bono homine etiā mori audeat, sustineat, in animum inducat.

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis (in nos, erga nos) *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*] Ecce hæc est charitas Dei, & Christi in nos. Sensus: Magna quidem charitas apud homines aestimatur, si, quod ratissimum est, pro iusto aut bono quis oppetit mortem. At Deus suam erga nos charitatem commendat ac testam facit, atque humana charitate longè maiorem ostendit in eo, quod pro nobis iniustis & peccatoribus Christum filium suum mori voluit.

Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.] Si enim mortuus est Christus vt nos peccatores iustificaret; ergo multò magis postquam per eius sanguinem, id est, passionem quæ suum sanguinem profudit, iustificati sumus, per ipsius eiusdem merita seruabimur in extremo iudicio. VERS. 9.

ab ira diuina, id est vindicta & punitione in impios exēcenda.

VER. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliatis sumus Deo per mortem filii eius : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius] quod dicit in vita ipsius, mihi sensus videtur: Filio ipsius iam viuente, nec amplius morituro, præsertim cùm ad dexteram ipsius sedens etiam interpellat pro nobis. Diuersis præpositionibus usus est Apostolus, dicendo, per mortem & in vita; quia in priori pretium significatur & meritum redimentis: in posteriori status eiusdem feliciter regnantis, ad quem per fidem passionem & mortem euctus est: id est, vita immortalis & gloria. tanquam dicat Apostolus: Si nos inimicos reconciliauit Patri Christus patiens & moriens: quanto magis reconciliatos saluabit viuens & regnans?*

VER. 11. *Non solum autem, reconciliati: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus] Gloriamur, græcè, gloriantes, ut participium participio respondeat; non solum reconciliati, sed & gloriantes. Gloriamur, inquam, in Deo, vel ut patre, cuius filij facti sumus adoptione per gratiam reconciliationis; vel ut omnis nostræ iustitiae, reconciliationis & renouationis auctore. Sic enim in Deo glorandum esse passim docet & hortatur Apostolus.*

VER. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit] Sicut per Adam sumus in peccatum lapsi, ita per Christum ad iustitiam reducti. Intendit Apostolus comparare primum hominem cum secundo, id est Adam cù Christo, ut si dicas: Sicut Adam nocuit humano generi Christus profuit. Propterea, quia scilicet tanta*

chari

charitate, vti iam ostendi, nos Christus ama-
uit, vt sua morte reconciliaret nos Patri. Per-
git enim hic Apostolus ostendere magnitudi-
nem charitatis Christi erga homines. q. d. Pro-
pterea, id est, iam vt amplius declarem charita-
tem Christi in homines, propterea dico eum
esse secundum Adam, cùmque propter chari-
tatem, & beneficia in homines collata magis no-
strum esse parentem, quām fuerit Adam; cùm
hic mortis, Christus verò vitae sit auctor filiis
suis omnibus.

*Et per peccatum mors] Scilicet intravit in mun-
dum: mortem corporis intelligit. Sicut enim
Adam per peccatum non solum secundum ani-
mam, sed etiam secundum corpus in deteriorius mu-
tatus est: ita in omnes posteros eandem utram-
que corruptionem transmisit:*

*Et ita in omnes homines mors penetransit: in quo Quid si
omnes peccauerunt] in quo, id est in Adam. Dicun-
tur autem omnes peccasse in Adam, tanquam in
principio & radice totius generis, quoniam in
lumbis eius erant, quando ille peccabat. vnde S.
Augustinus: In quo, inquit, omnes peccauerunt,
quando omnes ille unus homo fuerunt.*

Apostolus ait, peccatum intrasse per Adam, sicut iustitia intravit per Christum: per unum hominem, puta Christum, fuit iustitia in mundum ingressa, & per iustitiam vita, itaque vita in omnes pertransit, in quo omnes iustificati & vi- uificati sunt, quicunque ex Christo per baptis-
mum & gratiam renati sunt.

*Usque ad legem enim peccatum erat in mundo] VER. 14.
De peccato generaliter loquitur, vt etiam actua-
lia comprehendat: quorum omnium fons & fo-*

mes est originale peccatum , siue ea sint transgressiones, siue non. Non solum tempore legis, quando manifesta est transgressio , verum etiam ab initio usque ad tempus quo lex data est , peccatum erat in mundo.

Peccatum autem non imputabatur , cum lex non esset.] Negat Apostolus sine lege peccatum imputari, non simpliciter ; sic enim ante legem iusti fuissent omnes , iuxta illud : Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum ; sed imputari ad transgressionem. quia sicut dictum est capite superiori : vbi non est lex, nec praeuaricatio. Sed quares : Si non imputabatur peccatum ante legem, quomodo tam grauiter à Deo punitum legitur ; vt nunc mundum diluuiio deleret , nunc Pentapolim incendio subuerteret ; Cain vagus & profugus esset super terram , &c. Responsio patet ex dictis. Nam puniti fuerunt hi omnes, non ob transgressionem legis alicuius à Deo posita (neque enim data erat lex) sed propter violata iura naturæ peccatis tam magnis tamque manifestis , vt vltionem prouocarent eius qui auctor est naturæ.

VER. 14. *Sed regnauit mors ab Adam usque ad Moysem.]* Quamuis, inquit, ante legem peccatum non imputabatur, erat tamen in mundo, & propter hoc mors ob peccatum inuecta regnauit, id est, graftata est , tyrannidem exercuit in genus humandum, etiam toto eo tempore quod legem datam antecessit. id enim est ab Adam usque ad Moysem. Nam per peccatum mors , siue illud imputetur, siue non.

Eiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem praeuaricationis Ade] Id est, mors regnauit etiam

in

in eos, qui non peccarunt actu uti fecit Adam, puta in infantes; ex morte enim infantium, re-
etè colligit Apostolus eorundem peccatum: quod
cum non possit esse actuale, sequitur debere esse
originale contractum ex Adam.

Qui est forma futuri] qui Adam est forma fu-
turi, id est, figuram gerit eius qui venturus
erat, scilicet Christi, quem alibi vocat nouissi-
mum Adam, prima Corinthiorum decimo-
quinto. Sunt enim Adam, & Christus velut
duo principia mutuo opposita respectu homini-
num. Per Adam enim peccatum & mors in-
travit in mundum: per Christum iustitia & vi-
ta, sicut Adam solus totam posteritatem peccan-
do perdidit, ita Christus solus moriendo repa-
ravit.

Bed non sicut delictum tua & donum] Non is-
milter, inquam, è contratio compafata, id est,
peccatum Adæ in malum, & gratia Christi in
bonum: cum hæc illo sit multo potentior & effi-
cacious. Delictum his & in sequentibus vocat,
quod superius peccatum. huic delicto & offendæ
opponit gratiam, donationem, & gratuitum be-
neficium Christi, scilicet eius redemtionem, sa-
tisfactionem, meritum gratiæ, & remissionis pec-
catorum: ex quo, quasi causa, manat effectus do-
num gratiæ & iusticie nobis inhærens. q. d. Par-
vus fuit & exiguis easus & ruina Adæ p̄e re-
paratione & gratia Christi; quia bona & beneficia
Christi longè potius & efficaciora sunt peccato
Adæ.

*Si enī vnius delicto multi mortui sunt; multo ma-
gis gratia Dei, & donum in gratia (per gratiā) vnius
hominis Iesu Christi in plures abundauit.*] Nam pet-

Adam
forma
Christi
quo sen-
sūr.

VERS. 15.
Casus
Adæ &
repara-
tio Chri-
sti inter-
se con-
paran-
tur.

vnius quidem hominis delictum seu transgressionem multi, id est, omnes ex eo propagati, mortem incurunt: verum multo magis per gratiam vnius hominis Iesu Christi, id est, propter eius merita, Deus in multos, scilicet omnes electos, vel omnes ad Christum pertinentes, gratiae suae dona largiter effundit.

V E R S . 1 6 *Et non sicut per unum peccatum, supple, Adam infecit omnes, ita & donum] supple, Christi, ab uno tantum peccato liberat, sed à multis, quæ posteri peccato Adæ addiderunt, & addent. ita Theophylactus.*

Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem] Iudicium, Id est reatus, scilicet fluxit ex uno peccato Adæ in condemnationem; ut omnes etiam parvuli essent obnoxii condemnationi, id est, pœnæ damni, et si non sensus, ut docent plerique Scholastici. E contrario beneficium & gratia Christi ex multis delictis processit ad iustificationem; ut scilicet nō ab uno, sed à multis, imo ab omnibus peccatis nos iustificaret. Opponit Paulus gratiam & reatum: rursum, iustificationem & condemnationem.

V E R S . 1 7 *Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratie, & donationis, & iustitie accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum] In vita regnabunt: q. d. Adam inuexit regnum mortis, Christus vero eminentius, & gratia, iustitia, bonisque omnibus abundantius inuexit regnum vitæ: in quo nos reges fecit, ut vitam hinc gratia diuinam, & postea sine morte æternam & gloriosam at lipiscamus in cælis. ita Theophylactus. Nota. Non dicit Paulus,*

Vita

Vita regnauit, sicut dixit, Mors regnauit, quia sua, uius & gloriouſius ſonat, iuſtificati regnabunt in vita per Christum, quām ſi dixiſſet, Vita regnabit in iuſtificatis per Christum.

Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines, VER. 18
ſupple, reatus pertransiit, in condemnationem, ſic &
per unius (Christi) iuſtitiam, id est meritum, quod
eft cauſa noſtræ iuſtificationis & iuſtitiaz, in omnes
homines, ſupple donum & beneficium Chriſti per-
transiit, ſcilicet in omnes homines, qui ſunt ex
parte Christi, ad efficiendam in eis iuſtitiam qua
perducantur ad vitam æternam: ac ſi dixiſſet, ad
iuſtificationem vitalem ſeu viuificam, in iuſtifica-
tionem vita. I] qua à morte peccati ad vitam gratia
& gloria renocamur.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis (Adæ) VER. 19
peccatores conſtituti ſunt multi (omnes Adæ poſte-
ri,) ita per unius (Christi) obediētionem iuſti conſti-
tuentur multi.] omnes ſcilicet qui ex Christo per
fidem & gratiam renaſcuntur. Aduerte hīc, quis &
quantus fuerit fructus unius obedientiaz, & unius
inobedientiaz. Nota etiam Apoſtolum id quod
priūs peccatum & iuſtitiam dixerat, nunc inobe-
dientiam vocare: ex quo intelligitur de actuali
peccato Adæ, dēque actuali iuſtitia Christi, Pau-
lum fuſſe loquutum.

Lex autem ſubintravit, ut abūndaret delictum] q.
d. Obiter & quaſi furtim ad tempus breue, ſcili-
cet uisque ad aduentum euāngeliū intrauit lex in
mundum, ut eſſet Iudæorum quaſi pædagogus ad
Christum. ſubintravit, directè quidem ad hoc, ut
dissolutoſ hominum mores reſtringeret, illōſque
duceret ad Christum, qui eos ſanaret: ſed indi-
rectè ad id, quod ſequitur, ſcilicet, ut abūndarēt
delictum.

VER. 20
Lex data
ut abūn-
daret de-
lictum.

delictum. q.d. Vnde factum est, ut abundaret delictum. Vacula enim ut, consequentiam significat, non causam. Nitimus enim in yetitum semper, cupimusque negata. Lex, inquit Augustin. ideo data est, ut crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur.

Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia] Sensus: Vbi peccata occasione legis inundarunt, & homines conuicti sunt suarum transgressionum; ibi redundauit gratia, id est, benignitas & misericordia Dei peccata remittens, & dona gratificantia tribuens. Nam quanto maior iniquitas peccantis, tanto maior gratia remittens: & quanto maiorem peccatorem quis fuisse agnoscit, tanto maiorem gratiam sibi confitetur impensam.

VERS. II.

Vi sicut regnauit peccatum in mortem ita & gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam, per Iesum Christum Dominum nostrum] Sensus est: Ut, sicut regnauit, id est longè latèque dominium suum exercuit, peccatum in morte sive per mortem, videlicet per trahens homines ad mortem; ita etiam gratia & misericordia Dei latè dominetur, adducens iustitiam, & per eam perducens homines ad vitam aeternam, idque per meritum Redemptoris ac Domini nostri Iesu Christi.

**

CAPVT

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Ostendit non ideo peccandum adhuc esse, vt
gratia abundet: sed ad similitudinem mor-
tis & resurrectionis Christi nos peccato mor-
tuos, viuere debere iustitia; ut cuius serui
iam facti sumus, à peccati seruitute libera-
ti: docetque quād dispar utriusque seruitutis
sit exitus.

Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, VERS. 1.
gratia abundet? absit!] Quoniam dixerat, gra-
tiam abundare, vbi abundauit peccatum; ne quis
propterea putaret immorandum esse peccatis, &
peccata peccatis cumulanda, quo scilicet amplius
abundaret atque commendaretur Dei gratia. Ab-
sit. Quare vt gratia commendetur, à peccatis rece-
dendum est, non in illis manendum.

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc VERS. 2.
viuemus in illo? Jac si dicat: Nam qui peccato bene
mortui sumus, ei profectò non amplius viuere
debemus. Mortuos peccato vocat eos qui respe-
ctu peccati mortui sunt, id est, qui à peccati serui-
tute liberi; quibuscque cum peccato non plus est
negotij aut commercij, quād mortuis esse solet
cum viuentibus. aut certe, mortui peccato dici-
mur, dum neque nos in peccato viuimus, ei ser-
uiendo; neque peccatum viuit in nobis, regnādo.

An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in VERS. 3.
Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?] id est,
baptizati

Baptiza-
ri in Chri-
sto quid
fit.

baptizati in virtute, nomine, meritis non Ioannis, sed Christi. ita Orig. & Ansel. in Christo, id est, per Christum. q.d. Paulus, Per baptismum estis inserti in Christum, quasi rami in nouam arborem, & facti estis de eius corpore, mystico scilicet, quod est Ecclesia. In morte, id est, in similitudinem & representationem mortis Christi baptizati sumus. Nam mors & passio Christi non solum causa fuit nostrae iustificationis, verum etiam eiusdem typus ac figuralis quedam representatio. Significabat enim mortem & interitum veteris hominis, in nobis, quomodo Christus in seipso mortuus fuit vita mortalium. Probat hic Apostolus nos mortuos esse peccato, nec illi viuere debere, ex eo, quod per baptismum inserti sumus Christo, ut viuamus vita Christi, & Christiana: hæc enim ex diametro peccato repugnat.

Vers. 4. *Consepulchrum sumus cum illo per baptismum in mortem]* q.d. Nos, tanquam mortui peccato sepulti sumus in baptismino: sicut Christus mortuus corporaliter traditus est sepulturæ; nemo enim sepelitur nisi mortuus.

Ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vita ambulemus] Per gloriam Patris, id est, inquit Caietanus, per vitam gloriosam & immortalem, quam Christus resurgens accepit à Patre. q. d. Christus resurrexit ad hoc, ut gloriosam & diuinitati convenientem vitam ageret, qualis decet filium Dei. Ut ipsa noua & gloria vita ad quam à Patre resuscitatus est Christus, ipso orante, Pater glorifica filium tuum, Ioan. 17. vocetur gloria Patris. Vnde congruum est, ut & nos baptismino resurgentem nouam vitam, dignam filii Dei agamus, idque conti

contin
ciende
signifi
nes ex
Domini
ciamu

*Si e
tis eius
resurre
Apost
erimus
nem i
quasi
rectio
tem r
mus;
rectio
est, c
sti in
& ref
fiemu*

*H
xus e
videl
rem b
in ty
mort
tusta
quam
hom
etus*

*Vr
Amb
quiui*

continuò & constanter in ea pergendo & proficiendo : hoc enim significat verbum, *ambulemis*. significatur idem quod conuersari, viuere, actiones exercere alias post alias. ita debemus in lege Domini, & in nouitate vitæ ambulare, vt proficiamus de die in diem:

Si enim complantati facti sumus, similitudini mortis eius, simul & (supple complantati similitudini) resurrectionis erimus] Pari modo tacite subdit Apostolus, quòd aliquando complantati & insiti erimus Christo, similitudini, id est, ad similitudinem resurrectionis eius, ut nimirum ex Christo, quasi arbore resurgente, similem nos ipsi resurrectionem sugamus & participemus. Quòd si autem resurrectionis Christi participes esse debemus ; igitur in nouitate vitæ quam Christi resurrectione significat, ambulandum nobis est. Sensus est, q. d. Paulus : Sicut mortis & passionis Christi in hac vita consortes facti sumus, ita pariter & resurrectionis Christi in futura vita consortes sumus.

Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est] tanquam dicat eidem cruci simul affixum, videlicet cum Christo. Cùm & hoc sciamus, veterem hominem nostrum vñà cum Christo (scilicet in typo seu representatione) cruci affixum & mortificatum esse. Veterem hominem vocat vetustatem & corruptionem peccati in homine, quam ex veteri Adam contraxit: vel potius ipsum hominem, in quantum huiusmodi vetustate affectus est.

Vt destruatur corpus peccati] Origen. Chrysost. Ambros. Anselm. & Toletus, *Corpus peccati*, inquiunt, est tota peccatorum massa, quæ quasi

Ambula-
re in scri-
pturis
quid si-
gnificet.

VERS. 5.

Christo
insiti su-
mus ut
rami ar-
bori.

VERS. 6.

Vetus ho-
mo quis
intelliga-
tur.

Corpus
peccati,
quod di-
gnatur.

vnum est corpus hominis veteris , cuius membra sunt libido, auaritia, fornicatio, cuilibet Christiano mortificanda, vt ait Apostolus, Coloss. 3. Destruitur ergo & aboletur in nobis corpus peccati, quando membra eius mortificamus, id est, quando desideriis peccati non consentimus, sed resistimus, eaque in nobis expugnamus & occidimus.

Seruire peccato quis dicas tur. *Et ultra non seruiamus peccato*] Seruit peccato, qui peccati desideriis, &c, vt ita dicam, imperiis obsequitur: qui sub peccati dominio est. Nam peccatum fingit vt personam dominantem quæ subiectis seruis imperet.

Vers. 7. *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato*] q.d. Sicut seruus mortuus, per mortem iustificatus, id est, absolutus & liberatus, est à iure & dominio heri, puta à seruitute, ita vt herus in eum nullum herile habeat ius vel imperium: pari modo & nos à seruitute peccati iustificati, id est liberati & absoluti sumus, hoc ipso quo eidem mortui sumus per baptismum, vt proinde amplius peccato vacare & seruire non debeamus.

Vers. 8. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo*] si mortui sumus peccato, quomodo Christus mortuus est carne: confidimus, sicut ille resuscitatus à morte viuit nouam vitam, ita nos quoque nouam, id est à vetustate peccati repurgatam vitam deinceps acturos.

Vers. 9. *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*] Doce-re vult Apostolus non modò recedendum esse à peccatis, sed in nouitate vitae continuò perseuerandum.

Quod

Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel]
 Sensus : Quod enim mortuus fuit Christus, id semel duntaxat fieri oportuit, factumque est, vide licet ad destructionem peccati : simul ut mors nostra qua peccato morimur, in eius morte representetur. Mortuus est Christus peccato, id est, propter peccatum, ad peccatum in nobis mortificandum & abolendum.

Quod autem viuit, viuit Deo] id est, quod autem viuit iam excitatus à morte, viuit vitâ gloriosam & immortalem, Deoque dignâ, qui immortalis est.

Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro] ita, inquit, & vos cogitate de vobisip̄s, nempe vos semel mortuos esse peccato in baptismo: de cætro autem viuentes esse ac viuere oportere Deo, id est, vitam viuere Deo cōgruam. quam nulla mors peccati v̄terius sequatur: idque per Christum.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpo- VER. 12.
re, vt obediatis concupiscentiis eius] Peccatum intellege, propt̄e dictum. Notat S. Chrysost. & Theodor. non dici, non tyrannizet quasi inuitis vobis peccatum, quia peccatum in nobis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illādque sponte acceptantibus; ac consequenter nobis tyrannizare non potest.

Alij non improbabiliter, metonymicè capiunt Peccatum non nis-
bīc peccatum, vt idem sit, quod fomes peccati, & volentib-
concupiscentia. vnde notant S. August. & Gregor. bus do-
non dicere Apostolum, Non sit, non habitet: hoc minatur.
enim est impossibile, sed, Non regnet in vobis pec- Peccatum pro fomi-
catum, vt scilicet illi vos subiiciatis, eiūsque desi- te peccan-
deriis & concupiscentiis obediatis. ti & cō-
cupiscen-
tia.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniqui- VERS. 13
tatis

tatis peccato] Arma, id est instrumenta setuientia peccato. Neque, inquit, exhibete, sistite, in obsequium date membra corporis vestri peccato, id est fomiti, ut sint instrumenta, ac velut arma quibus peccato militetis, iniustitiae opera, ad quae suo imperio mouet ac impellit, exercentes.

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes] Sed, inquit, exhibete, sistite ac date vosipso rotos quanti estis, in obsequium Deo: sicut facere conuenit eos qui peccato mortui iam viuunt cum Christo, similitudini resurrectionis eius conformati.

Et membra vestra arma iustitiae Deo] scilicet exhibete. Sensus: Et ideo membra vestra exhibete Deo, velut arma quibus ei militetis, ad exercenda iustitiae opera quae vobis imperat.

VERS. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur] Respondeat autem fideles ab ea peccati tyrannide libera-
tos esse per Christi gratiam, ut iam & deinceps peccatum eis non dominetur; ac proinde meritose ab eis exigere tanquam rem facilem, ut de cetero membra sua exhibeant arma, non peccato, sed Deo.*

Qui sub gratia. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia] q. d. Peccatum iis, qui sub gratia sunt dominari nequit, nisi ipsi liberè se peccato subiiciant. sub gratia autem esse dicuntur, qui ex fide per gratiam Christi, iustitiam percipiunt aut expectant. Sensus: Non estis sub lege, quippe iam abolita: sed ab ea translati ad gratiam Christi, cui estis incorporati per baptismum: igitur estis à peccati dominio liberi.*

VERS. 15. *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege,*

lege, sed sub gratia absit] Quia licet simus sub gratia, non sub lege, tamen legem aspernari, aut prævaricari non licet, sed potius per gratiam legem adimplere debemus.

Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, sine peccati ad moriem, sine obediotionis ad iustitiam?] An nescitis quod cuicunque vos ipsos addicitis, obediendo voluntati & imperio eius, serui illius efficimini: siue peccati, quod hominem sibi seruientem trahit ad mortem; siue euangelij, aut (secundum alios) fidei, cuius obedientia praestat iustitiam? Nam in euangelio iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, iustus autem ex fide viuit, supra cap. 1. vbi etiam fides euangelij per obedientiam describitur: quemadmodum & alibi.

Gratias autem Deo quod fuisti (esse desisti) serui peccati, obedisti autem ex corde in eam formam doctrina inquam traditi estis] q.d. Obedisti doctrinæ euangelicæ, in quam quasi in typum immisisti estis à Deo & Apostolis, ut illi, quasi formæ & typo vos apprimatis & conformetis.

Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiae] Gratias, inquam Deo, quod liberati à peccati dominio, serui facti estis iustitiae, nempe per hoc quod euangelio obediuitis, ac si dicat; A probrofa seruitute, cuiusmodi maximè est seruitus peccati, translati ad honorabilem seruitutem, scilicet iustitiae qua Deo seruitur.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae, sicut enim (q.d. Humanum enim est, ut sicut) exhibuisti membra vestra seruire immunditiae, & iniqüitati ad iniqüitatem: ita nunc exhibete membra

F vestra

Quid nomine carnis intelligatur, *vestra seruire iustitiae in sanctificationem*] Nomine carnis intelligi potest ipse homo quatenus carnalis est, ad malum pronus, & ad bonum infirmus. Sensus est: Ego à vobis, ô Romani Christiani, rem exigo humanam, id est, & quam, moderatam & facilem, ut scilicet, tantum, tantoque conatu studieatis iustitiae, *in sanctificationem*, id est, ut in dies magis magisque sanctificemini, quanto olim studiis iniquitati, ad iniquitatem, ita scilicet, ut ex una iniquitate rueretis in aliam, fieretisque semper sceleratores.

VERS. 10. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fructis iustitiae*] *Iustitia.* id est, à iustitia, eiisque pulcherrimo statu. q.d. Cùm seruiretis peccato, expertes fuistis iustitiae, subtraxistis enim vos dominio iustitiae, & quasi omni lege soluti, in peccata ruistis. ita Anselmus. Sensus: Quando eratis serui peccati, liberi eratis à præclara & vnicè exoptanda seruitute iustitiae; liberi, inquam, inquantum non seruiebatis iustitiae.

VERS. 21. *Fructus propriè tantu in- telligitur in bono.* *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*] Ostendit nullum verum fructum ex peccatis percipi; quia fructus propriè in bono intelligitur. cùm autem dicit, *in quibus*, id est de quibus, *nunc erubescitis*, insinuat effectū quendam, qui impropriè fructus dici queat, ex peccatis consequi, sed malum & fugiendum, nimirum pudorem & erubescientiam; qua parte simul innuit se loqui potissimum de peccatis immunditiae, de his enim maximè solent homines erubescere.

Nam finis illorum mors est] adeò nullus ex peccatis fructus percipitur, ut etiam mors inde tandem consequatur. mortem intelligit eam quæ vitæ aeternæ opponitur.

Nunc

Nunc vero liberati à peccato] id est : à dominio VERS.22
peccati, cui serpiebatis.

Serui autem facti Deo] id est emancipati Deo,
nempe per hoc quod addixistis vos operibus iu-
stitia que Deus præcipit.

Habent fructum vestrum in sanctificationem] hoc
est, ipsam sanctificationem sive sanctimoniam, vi-
taque munditiam, velut fructum ex illa seruitute
capitis. Si fructus est sanctitas, utique vera, licet
imperfecta: non igitur imputatiè solùm & sancti
& iusti sumus. loquitur enim de fructu quem in
hac vita percipimus: nam de futura sequitur:

Finem vero vitam eternam] ad hanc enim perdu-
cit tandem iustitiae seruitus, & ad eam ut causam
finalem ordinatur.

Stipendia enim peccati mors] Merces quam pec- VERS.23
catum seruis suis rependit, mors est. considerat
Apostolus peccatum ut dominum ac imperato-
rem, qui non solùm seruis ac militibus suis impe-
ret, verum etiam stipendia soluat, eamque ob cau-
fam usus est stipendijs nomine.

*Gratia autem Dei, vita eterna in Christo Iesu Do-
mino nostro*] *Gratia*, id est gratuitum Dei donum
est, vita eterna. Sensus est: Donum quod Deus ser-
uis suis largitur, est vita eterna accipienda per Ie-
su Christi Domini nostri merita. Vita eterna dici-
tur gratia, quia licet operibus ex gratia factis de-
beatur vita eterna, tamen si labor noster nudè
spectetur, ipsa est gratia, quia non sunt condignæ
passiones huius temporis ad futuram gloriam. ita
Theodoreetus. Theologi communī consensu te-
nent, Deum omnibus suis electis præmia redditu-
rum supra condignum.

C A P V T VII.

S V M M A R I V M .

Docet fideles per Christum legi mortuos esse,
ut Deo fructificant: qui quando sub lege
erant, morti fructificabant, non vitio legis
qua bona est, sed peccati quod per legem co-
gnitam eiusdem occasione magis excreuit.
Nunc quoque propter malum in se reli-
quum, se non ea quae vult agere: sed men-
te quidem seruire legi Dei, carne autem legi
peccati.

VER. 1. **A**N ignoratis fratres (scientibus enim legem lo-
quor) quia lex in homine dominatur quanto
tempore viuit?] dominatur iubendo, terrendo,
reum faciendo, accusando, condemnando. Hic
etiam est dominatus legis. Quanto tempore viuit,
scilicet ipsa lex, inquit Origen. & Ambros. alij
^{Dominatus legis} tamen ut Theophylactus, Oecumenius, ad ho-
minem referre malunt: sed eodem vterque hic
sensus reddit nobis tamen ad legem referri proba-
bilius est, ut sit sensus: lex dominatur & potesta-
tem suam exercet in hominem, quamdiu ipsa vi-
uit ac vigeret; non autem postquam mortua & ex-
tincta fuerit.

VER. 2. **N**am quis sub viro est mulier viuente viro alli-
gata est legi] Comparat autem legem viro, & ho-
mines legi subiectos, mulieri virum habenti. Apo-
stolus hoc capite pulchra vtitur metaphora, vel
sensus al-
legoricus
insignis.

potius

qua o
est ma-
ra mal-
cundu-
les bo-Sia
viri] sc
state r
morteIgi
rit cun
viro.Si
lege ve
ac pro
bitur a
vito.Ita
corpus
ster, ia
ergo r
sub leVos
mariti
mortu
esse d
accusa
lus di
tellig
lenti
mortu
tius &
peri h

potius allegoria: nimurum peccatum, mors, & lex,
qua occasionaliter peccatum & mortem fouet,
est maritus; anima nostra est vxor; proles sunt ope-
ra mala: hoc marito mortuo, transit anima ad se-
cundum maritum, nupsitque Deo, & peperit pro-
les bonorum operum. ita S. Augustinus.

Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege
viri] scilicet à lege matrimonij, qua sub viri pote-
state mulier tenebatur, & à qua liberatur per viri
mortem.

Igitur viuente viro vocabitur adultera , si fue- VERS. 3
rit cum alio viro] id est , si copulata fuerit alij
viro.

Si autem mortuus fuerit vir eius , liberata est à
lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro]
ac proinde non erit adultera, nec ut talis accusa-
bitur aut iudicabitur, etiam si coniuncta fuerit alij
viro.

Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per VERS. 4
corpus Christi] Lex quæ erat quasi maritus no-
ster, iam mortua est, & esse desit per Christum; ergo nos pariter lege liberati & soluti sumus, nec
sub lege sed sub gratia degimus.

Vos mortificati estis] q.d. Lex quæ erat quasi sensus
maritus vester, iam per Christum mortificata & D. Aug.
mortua est, quia scilicet in yobis mortuum est &
esse desit legis illud imperium, quo lex minatur,
accusat, terret, damnat & punit. Cùm Aposto-
lus dicit, *Nos mortuos esse legi, per corpus Christi*, in-
tellige immolatum in cruce, id est, per corpora-
lem Christi passionem & mortem. Per hanc enim
mortua est lex vetus nobis, & nos legi. vel po-
tius & textui congruētiūs per corpus Christi, id est,
per hoc quod sunt incorporati Christo, tanquam

coniuncti alteri viro , & cum eo facti una caro nam sequitur:

Vt si sit alterius, qui ex mortuis resurrexit.] Sensus: Quo sit ut loco veteris legis iam alium virum habeatis, eique coniuncti sitis, cuius deinceps arbitrio regamini; scilicet eius qui à morte resurrexit: ad cuius formam etiam vos oporteat in nouitate vitae ambulare, tanquam ex mortuis viuentes.

Fruitif- *Vt fructificemus Deo] id est, vt Christo tanquam care Deo viro nostro cui coniuncti sumus, ex semine gratia eius fœcundati, bonorum operum fructus quid sit proferamus.*

Vt fructificemus Deo] vt viuas proles ex hoc cum Christo matrimonio patiamus Deo, scilicet opera fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum; quæ ex semine, id est, gratia Christi & Dei, concepimus, vt illa Christo & Deo quasi eorum parenti offeramus. Significat è diuerso eos qui sub lege erant, non fructificasse Deo.

VERS. 5. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.] Sensus. Dico, vt fructificemus Deo, quia quando eramus in carne, id est in statu veteris & carnalis hominis, cuiusmodi sunt omnes qui sub lege sunt, passiones peccatorum, id est motus, affectiones ac desideria peccandi, quæ sunt & excitantur per legem, exercebantur, & ipso opere complebantur in membris nostris: itaque per ea fructificabamus non Deo, sed morti, id est fructus edebamus mortiferos, qui sunt ipsa peccata, quia finis & stipendium peccati mors.*

Quid sit fruitificare mortem. *Nunc autem (per Christi cruelem & mortem) folia*

soluti sumus à lege (quæ erat occasio peccati, & consequenter) mortis, in qua detinebamur] Sen-sus Apostoli est: Nunc autem per gratiam Christi liberati sumus à iure legis, ut pote mortui ipsi legi, in cuius seruitute detinebamur. *soluti sumus,* græcè, eneruati sumus, id est, eneruata in nobis est lex, quia lex vires & neroos suos, scilicet do-minium & ius quasi maritale, quod in nos habebat, amisit.

Ita ut seruiamus (Deo & Christo) in nouitate spi-ritus, & non in vetustate litteræ] non in veteri vi-uendi genere, animali & carnali, cuius magistra est legis littera, non gratia. ita Anselm. Lex enim homini vetustatem suam indicabat quidem & ve-tabat, sed adeò non auferebat, ut per occasionem etiam eandem auxerit; magis refricabat enim, irri-tabat, & incitabat veteres concupiscentiae affe-ctus. Nouitas vitæ vera iustitia est, quæ declaratur bonis operibus: vetustas iniustitia quam osten-dunt opera mala.

Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit] non enim lex in se peccatum est, lex enim à Deo est, ideoque per se bona. Officio legis, quod est mon-strare peccatum, non autem præcipere aut pro-mouere.

Sed Peccatum non cognoni nisi per legem: nam con-cupiscentiam nesciebam (esse peccatum) nisi lex di-ceret, Non concupisces] Per legem cognitio peccati. nam sicut peccatum nullo modo cognoscitur nisi per legem in genere (peccatum enim definitur quod fit contra legem) ita perfectè non cognoscitur peccatum, nisi per legem scriptam, seu positivam, quæ data sit à Deo.

Occasione autem accepta peccatum per mandatum

Nouitas
vite iu-stitia: ve-tus in-iustitia:
VERS. 7.

Cōcupi-
scētia le-
ge cōpre-
sa vehe-
mentius
inarde-
scit.

tum operatum est in me omnem concupiscentiam] Sensus; Concupiscentiae vitium in me latens, occasione mandati illius, non concupisces, per illud ipsum excitauit & produxit in me omne genus prauorum desideriorum. ac si dicat; Multo latius grassari cœpit quam antè, tanquam ipsa prohlbitatione lacessitum ; qnemadmodum de filijs Israël legitur Iudicium z: quod audientes mandata Dei, omnia fecere contraria. nam virtus peccati lex. Vehementius enim inardescit concupiscentiae flamma dum lege premitur; nitimur enim in vetitum semper.

Sine lege enim peccatum mortuum erat] id est, sopotum erat; per legem enim excitatum reuixit. dicit ergo peccatum sine lege mortuum, fuisse, non simpliciter, quasi non esset: sed velut mortuum, quia non cognoscitur nisi per legem; & quia vires suas non exerebat, quemadmodum postea lege superueniente. Consopitum quippe erat donec à lege excitaretur.

VER. 9. *Ego autem viuebam sine lege aliquando*] nimirum tunc, cum adolescere inciperem & peccare, nec tamen legem Moysi edocetus essem; tunc enim viuebam quasi exlex, ac consequenter peccatum non curabam, non agnoscebam, non aestimabam; hinc ad illud non multum incitabar.

Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit] Sensus est; Postquam vero mandatum illud legis, Non concupisces, in notitiam meam venisset, reuixit in me peccatum, scilicet per cognitionem ipsius quam lex præstat, & consequenter per malorum desideriorum exuberantiam, quæ occasionem habet ex lege. reuixit, id est, excitatum est; & vt Augustinus exponit, apparere cepit.

Ego

Ego autem mortuus sum] vel mortuus fui , id VER.10.
 est , manifestè factus obnoxius morti æternæ,
 propter manifestam , vt dictum est , legis trans-
 gressionem . nam mortem æternam intelligi , quæ
 transgressionis est pœna .

Et inuentum est mibi mandatum , quod erat ad Lex ad
 vitam , hoc esse ad mortem] & sic re ipsa compri-
 legem seu legis mandatum , quod à Deo datum
 fuit , & per se ordinatum ut hominem perduce-
 ret ad vitam & salutem , hoc ipsum mihi cedere
 ad mortem : quia morti æternæ me pâlām reddi-
 dit obnoxium .

Nam peccatum occasione accepta per mandatum VER.11.
 seduxit me , & per illud occidit .] Nec mirum si pec-
 catum occidit per mandatum , quando & ipsum
 mandatum occidere dicitur ; quia cùm sanare non
 possit , mortem suis transgressoribus commina-
 tur & irrogat . ita namque dictum est , litera oc-
 cedit , 2.Cor.3.

Itaque lex quidem sancta , & mandatum sanctum VER.12.
 & iustum & bonum] q. d. Hoc mandatum , Non
 concupisces , & quodvis aliud in se sanctum est , quia
 facit hominem purum , castum , sanctum ; & iustum
 est , quia hominem cohibet , ne iniuste alienam
 vxorem , aut rem concupiscat ; & bonum est , quia
 hominem bonum facit , omnésque animi vires &
 motus bene & ritè ordinat ac componit . bona est
 lex , si quis ea legitimè vtratur , 1. Tim.1.

Quod ergo bonum est , mihi factum est mors ?] VER.13.
 Sensus : Num igitur mandatum , quod est aut erat
 per se bonum , mihi factum est mortiferum , id
 est , causa mortis ? scilicet eius quæ est pœna trans-
 gressionis .

Absit .] Non fuit hæc mutatio , vitium & culpa

F 5 ipfius

ipsius mandati, sed peccati & hominis mandato abutentis.

Sed peccatum, ut appareat peccatum) vt robur & vires peccati manifestentur) per bonum (per mandatum, occasionaliter) operatum est mihi mortem] sed peccatum mihi factum est mors; nimis tamen (vt appareat quale quantumque sit malum) per bonum operando mihi mortem, id est per legem.

Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.] S.Hieron. legit: vt fiat peccantius peccatum. S.Aug. legit: vt fiat supra modū peccator peccatum. Loquitur autem Apostolus de peccato velut de persona quapiam. Sensus: Adeoque illud ipsum peccatum in me latens occasione mandati factum est tanquam ingens peccator; dum in me operatur omnem concupiscentiam, & in aper tam praeuaricationem impellit, insuper & occidit.

VER. 14. *Scimus enim quia lex spiritualis est.] Perspicuum est, inquit, non esse culpam legis, dum ea accepta peior quis efficitur. Scimus enim qui cunque recte sapimus, legem spiritualem esse, quia praecipit ea quae obseruata spiritualem & iustum reddunt hominem. quia lex, inquit, spiritualis est, id est, spiritualia praecipit, non carnalia. Dicitur autem tam lex quam homo spiritualis, vel a spiritu hominis, id est, mente, cui carnem opponit; vel potius a Spiritu sancto, cui passim carnem opponit.*

*Lex spiritualis
unde dicitur.*

Ego autem carnalis sum.] Augustinus, de homine iusto & sub gratia constituto totum hunc locum exponit, & exponendum docet; & Apostolus hic & deinceps loqui in sua ipsius persona

sona
tiant
ment
ius m
contr
const
lege
sum,
cupi
lute
nus t
fomi
tem
tantu
tuali
& p
seru
tis, s
sanct
omni
noua
go v
nen
pert
ven
tion
mo
sen
sub
ex
vid
cup

sona & omnium eorum, qui quantumuis sentiant in se legem quandam repugnantem legi mentis suæ, id est concupiscentiæ somitem, cuius motibus incitantur ad ea quæ diuinæ legi contraria sunt: iam renati tamen & sub gratia constituti, mente ac voluntate conquiescant in lege Dei. Quod ergo dicit, *Ego autem carnalis sum, intellige non mente, sed carne adhuc concupiscente contra spiritum.* Quod non est abso-
lute carnalem esse, sed secundum aliquid; quatenus scilicet homo per gratiam renouatus, adhuc somitem peccati circumfert, assidue commouen-
tem in ipso peccandi desideria. Qui autem hoc tantum modo carnalis est, is simpliciter est spiri-
tualis; ut pote legi quæ spiritualis est, consentiens,
& proinde Deo, qui legem dedit.

*Paulus
quo sen-
su se car-
nalem
vocet.*

Venundatus sub peccato.] Sensus: Carne adhuc seruus sum peccati, quomodo dicit in fine capi-
tis, se carne seruire legi peccati. Quo etiam sensu sancta Ecclesia, B. Gregorio authore, in persona omnium fidelium orat dicens, *ut nos Vnigeniti tui noua per carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugno vetera seruitus teneret.* Quam Ecclesiae oratio-
nem opponimus iis, quibus absurdum videtur in persona iusti hominis dici, quod carnalis sit, &
venundatus sub peccato.

Quod enim operor, non intelligo] id est, per ra-
tionem & voluntatem non approbo opera &
motus concupiscentiæ meæ. S. August. hunc dat
sensum. Probat hic Apostolus se venundatum
sub peccato, id est, esse seruum concupiscentiæ,
ex eo, quod faciat non illa, quæ sibi facienda
videntur, sed illa quæ dominus, scilicet con-
cupiscentia, sibi imperat, puta concupiscere; id
dein

*Sensus
optimus
D. Au-
gustini.*

deinde probat verbis consequentibus.

Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.] Sensus: Non enim perficio id quod mente volo, scilicet bonum: sed carné operor id quod mente odi, scilicet malum. q.d. Paulus: Vellem non concupiscere, & nollem concupiscere, & tamen concupisco.

Nota. *facio* significat h̄ic actionem hominis imperfectam, id est, actum concupiscendi appetitus, citra rationis assensum. Vnde explicans subdit Apostolus: Iam nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. q. d. Hic actus concupiscendi, non est meus, non est humanus, quia non est liber & deliberatus, sed est actus inhabitantis in me peccati, id est, concupiscentiæ.

VERS. 16 *Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est]* siue quòd bona sit: Si, inquit, quod mente non volo sed odi, illud ago, videlicet carne concupiscendo; iam consentio legi, verbi gratia, dicenti Non concupisces, tanquam bona: quia voluntas mea qua nolo quod facio, legi consenteña est, quæ vult me hoc nolle. Itaque consentio legi, non solum intellectu iudicans quòd bona sit; verùm etiam voluntate me ei conformans. Quod vtique est hominis iusti ac mente renouati.

VERS. 17 *Nunc autem iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Græcè, *Nunc autem non amplius ego.* Sensus est: Quoniam renouatus per gratiam, legi consentio; nunc non amplius ego operor malum, sicut faciebam constitutus sub lege; sed peccatum in me habitans illud operatur, id est, concupiscentia mihi insita, & sedem in me.

me fixam habens, prauos motus in me excitat non
consentiente.

*Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne VERS. 18.
mea, bonum] noui per experientiam in me quatenus caro sum, id est carnalis, non habitare bonum, sed malum.*

*Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bonum,
non inuenio] q.d. Facultas & bona voluntas volen-
di id, quod bonum est, est in me iustificato: sed
vix, & non nisi difficulter illud perficere possum.
spiritus enim promptus est, caro autem infirma,
imò reluctans spiritui ita S. Augustinus, Anselm.
S. Thomas.*

*Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod VERS. 19
nolo malum, hoc ago] Repetit iisdem penè verbis
quod iam antè dixerat, ad probandum quod di-
xit: Perficere bonum non inuenio. Verbum nolo Verbum
quo significaret voluntatem auersantem, & in
contrarium nitentem. id enim postulat res de
qua agitur. vnde & priùs dixit odi, pro quo po-
stea nolo.*

*Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor VERS. 20
illud, sed quod habitat in me peccatum.] Per hoc
enim innuere voluit Apostolus se facere secun-
dum carnem, quod tamen ipse homo mentis de-
liberatione nolit; ideoque se hominem rationali
ac deliberata actione illud non agere.*

*Inuenio igitur (in meipso) legem volenti mihi VERS. 21.
facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.] Igitur
inuenio ac deprehendo in me legem seu incli-
nationem quandam, qua scilicet malum mihi ad-
iacet, & faciendum tanquam lege quadam inge-
ritur; in me, inquam, volente facere quod bonum
est. Inuenio, quoniam mihi volenti bonum facere
malum*

Concupiscentia
lex peccati quo
sensu.

malum adiacet. Est enim malum, inquam, concupiscentia mihi innata, quae bono & legi Dei repugnat. Sic igitur concupiscentia, quae fomes peccati est, eadem etiam lex vocatur, lex, inquam peccati, quatenus nimis ad peccandum sollicitat incitatque.

VER. 22.

Interior
homo
quis
Paulo
dicatur.

Condelector enim legi Dei secundum interiorum hominem.] Sensus est: Delectat me lex Dei, ut propter lex sancta, iusta & bona; delectat me inquam, non quis parte mei, sed secundum mentem seu partem intellectuam, quae iam per Christi gratiam sanata est. Interiorum hominem interpretor mentem, non autem hominem nouum aut renouatum. Non enim Apostolo idem est homo interior & nouus: ut nec idem homo exterior & vetus. Nam & in peccatoribus est interior homo, sed nondum renouatus. In iustis autem interior homo cum novo homine coincidit. Iustus igitur condelectatur legi Dei secundum interiorum hominem, non iniustus.

VER. 23.

Lex mea
bororum
qua &
dicatur.

Video autem aliam legem in membris meis.] Sensus: Sed experior aliam legem in membris meis, id est, in corpore meo, & in toto homine exterior, qui durante hac vita non renouatur, sed corruptitur, 2 Cor. 2. Ideò autem dicit *in membris*, quia in membris quibusdam, quae pudor nominari vetat, maximè percipitur & appetit rebellio, quam excitat lex ista peccati de qua sermo est.

Eadem
ex Dei,

Repugnantem legi mentis mea] id est, contraria militarem, rebellantem, ac si dicat, Quae lex bellum mouet aduersus legem mentis meæ, id est aduersus legem Dei, in qua secundum mentem condelector, est enim eadem lex Dei & lex

mentis

mentis : sicut ē diuerso eadem est lex peccati & membrorum.

& lex
mentia.

Et captiuantem me in lege peccati, quae est in membris meis] motione, non consensione, ait S. Augustinus, ut scilicet captiuus reddar, & subiiciar legi peccati, id est concupiscentiae, ita ut etiam inuitus & reluctans, vitiosas eius inclinations, dictamina, impulsus, sentire cogar, & eius laqueos & motus euadere non possim. De facto enim omnes, non sub peccato, sed sub concupiscentia quasi captivi tenemur. Dicitur concupiscentia *lex peccati*, quia est fomes ad peccatum sollicitans, peccatum dictans & suggestans.

Vitiosas
inclina-
tiones
sentire
cogun-
tur &
iusti.

Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis huius ?] Exclamatio est gementis sub iugo ac seruitute peccati secundum carnem, & ad libertatem anhelantis. *Infelix*, id est miser, ærumnous, *de corpore mortis huius*, id est, ex hoc corpore mortali: ut demonstratio sit corporis, non mortis. Cur autem dicat, de hoc corpore mortis, cum tamen hactenus non de morte, sed de peccato fuerit locutus; ea ratio est, quia durante hac mortalitate manet in corpore lex & seruitus peccati iam dicta. Optat autem ita liberari, & eripi de mortali hoc corpore, ut idem aliquando recipiat immortale, atque ab omni corruptione & seruitute peccati libertum; videlicet per resurrectionem. Liberari à corpore mortis, inquit Sanctus Augustinus: est omni sanato languore concupiscentiae carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberauntur unquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad æternæ tormenta reddentur.

VER. 24.

Corpus
mortis
quod di-
catur.

Gratia

VER. 25 *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*] supple, liberabit me quandoque à corpore mortis huius, puta in futura resurrectione, dādo mihi corpus immortale & gloriosum. *Gratia Dei*, id est, gratuita Dei bonitas per Christum liberabit me de hac corruptione.

Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati] quasi dicat: Interim verò dum adhuc detineor in hoc mortali corpore, dūmqne plena liberatio mea ad quam suspiro, differtur: ipse ego Paulus mente saltem & ratione seruio legi Dei, licet carne adhuc seruiam legi peccati. Docet S. Augustinus in hac vita perpetuam esse hanc luctam, & sufficere nobis, si non consentiamus malis concupiscentiis, itaque futurum ut in altera beata vita illam non sentiamus.

C A P V T VIII.

S V M M A R I V M.

Docet iis qui sunt in Christo nihil damnationis esse reliquum: ut qui damnato per Christum peccato, spiritu Dei agantur, sintque filii Dei, spem certam habentes gloriae futurae: et si interim adhuc corpore mortales. Deinde magnitudinem charitatis Dei erga suos electos describit: negans eos villa vi posse à Dei charitate separari.

VER. 1. **N**ihil ergo nunc damnationis (nihil damnatione dignum, nihil damnable, nulla damnabilis

bilis culpa, ita Concil. Trid. sess. 3. can. 5.) etiam si
motus concupiscentiae sentiant, est iis qui sunt in
Christo Iesu] id est, qui sunt iustificati, Christoque
in baptismo insiti per fidem, spem & charitatem.

*Qui non secundum carnem ambulant] ambulare
secundum carnem , est viuere secundum carnem.
Carnem igitur Apostolus intelligit carnalem
concupiscentiam spiritui aduersantem , quæ per
omne genus vitiorum spargitur.*

Lex enim spiritus vita in Christo Iesu (id est, per Christum Iesum) liberavit me à lege peccati & mortis] Legem spiritus vocat gratiam Christi; quia lex Dei per Spiritum sanctum scribitur in cordibus nostris. Qui spiritus vitae, id est viuificus dicitur, quia vitam tribuit, qua Deo viuimus, & in æternum victuri sumus. Pro liberavit, Tertullianus legit, manu misit. Fuimus enim quasi mancipia peccati & mortis; sed à Christo manumissi, & libertate donati sumus. iam lex spiritus vita, id est lex spiritus viuificantis, puta lex gratiae & charitatis, per Christum liberavit me à lege peccati & mortis, hoc est, à dictamine; iure, dominatu, reatu concupiscentiae; ut licet eam sentiam, non tamen consentiam, ita Augustinus.

Nam quod impossibile erat legi (Moysaicæ, etiam naturali, & decalogo) in quo infirmabatur per carnem] q. d. Quatenus lex impotens erat & inutilis propter carnem nostram peccato & concupiscentia infectam, quæ sanare non poterat. ita Theophylactus. Mens Apostoli hoc loco est, et si verbis obscurioribus expressa, id nobis præstatum per gratiam, quod lex præstare non potuit.

*Deus filium suū mittens, Græcè, Deus suo ip̄sissim⁹ filio
G miss⁹,*

Quid,
ambula-
re secū-
dūm car-
nem.

Lex spiri-
tus vita,
gratia
Christi.

Vers. 2.

Vers. 3.

missō, quem infra vocat proprium filium, in similitudinem carnis peccati] id est, carnis peccatricis, habentem speciem carnis peccato obnoxiae; nempe in eo quia mortalis natus est, ac miserias & mortem passus, quae debentur peccatoribus. Vnde & per aeneum serpentem à Moysi erectum præfiguratus est: ut qui videretur habere venenum peccati, reuera tamen non haberet. Deus missō Filiō suo in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: atque ita contulit nobis quod lex non potuit, legis scilicet implementationem.

Et de peccato damnauit peccatum in carne] Condemnauit autem & destruxit peccatum Deus in carne, id est, per carnem Filij sui suspensam & mortificatam in cruce. non quod omnino iam extinxerit: adhuc enim habitat peccatum in carne renatorum, excitans prava desideria: sed quia dominium eius abstulit, & reatum soluit; tandem ipsum prorsus aboliturus, quando eos liberabit de corpore mortis huius.

VERS. 4. *Vi iustificatio legis impleretur in nobis] q.d. Vi iustificatio à peccatis quam lex exigebat, impleretur in nobis. Hinc patet per solam naturam & legem, sine gratia Christi, hominem in hac corruptione non posse totam legem totumque decalogum implere.*

Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum] Quod fit, (nempe ut legem impleamus, & per hoc damnationi non sumus obnoxii) dum non carnis desideria sequimur, sed instinetum Spiritus sancti.

VERS. 5. *Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt] Homines carnales sapiunt, curant, cogitant*

tant opera carnis, illisque afficiuntur & student, ac toti sunt in illis. tale quid enim significat verbum sapiunt. Rursus ea quæ carnis sunt, id est, opera carnis, intellige ad quæ concupiscentia carnalis inclinat, id est, peccata cuiuscumque generis. Nam omnia spiritui contraria sunt; de quo sequitur:

Quid sapere ea quæ carnis sunt.

Qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt] Homines spirituales curant & intenti sunt in ea opera quæ consentanea sunt Spiritui sancto, & quæ fructus spiritus appellantur, Gal. 5.

Quid sapere ea quæ spiritus sunt.

Nam prudentia carnis, mors est] Id est, sapere, ac vivere secundum carnem, mortem afferat tum corporis, tum animæ, tum præsentem, tum maximè æternam. Hic sensus patet ex textu Græco, vbi est, sapere carnalia. Idem ergo hic sunt hæc quatuor, scilicet sapere, sentire, sapientia & prudentia; quæ non aliud significant quam amorem, affectum, curam & studium carnis, id est rerum carnalium; vel spiritus, id est rerum spiritualium.

VERS. 6.
Prudentia
carnis est
sapere
carnalia.

Prudentia autem spiritus, vita & pax] Id est, sapere, amare, sectari spiritualia, vitam æternam, pacem, id est omnium bonorum prouentum, & tranquillam possessionem conciliat, gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.

Prudentia
spiritus
vita &
pax.

Quoniam sapientia carnis (sapere carnalia) inimica est Deo] Dat hic causam, cur prudentia & sapientia carnis non vitam, sed mortem afferat; quia nimis ipsa inimica est Deo, & legi diuinæ. vita autem nostra animæ, maximè beata à Deo pender, & donatur Dei amicis, non inimicis: nam inimicos suos Deus æterna morte punit.

VERS. 7.

Legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest]

subaudi, subiici legi Dei : veluti si dicas ; Vitium virtus esse non potest , nec inclinare ad ea quæ sunt virtutis ; id enim naturæ eius omnino contrarium est.

VERS. 8.

Qui autem in carne sunt (qui carnis affectibus seruant, eoque explent, qui carnaliter vivunt) Deo placere non possunt.

VERS. 9.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu] q.d. Vos carnales non estis, carnalia non queritis, non amatis, sed spiritualia : anima enim magis est vbi amat, quam vbi animat. baptizatos alloquitur, & sensus est: Vos iam baptizati, & per Spiritum sanctum renati, non estis subditi carni, ut sapiatis ea quæ carnis sunt, & secundum carnem ambuletis: sed estis subditi spiritui, & sapiatis ea quæ spiritus sunt, & secundum spiritum ambuletis.

Si tamen spiritus Dei habitat in vobis] q.d. Quandoquidem iam spiritus Dei in vobis habitat, propterea in spiritu estis. Habitat Spiritus sanctus in homine per fidem viam & charitate formatam , & per opera inde procedentia. Spiritus sanctus per spiritum gratiae inhabitat in anima nostra.

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius] id est : Si quis vestrum non habet habitantem spiritum Christi , aut non agitur spiritu Christi; videlicet ambulando secundum spiritum, & sapiendo ea quæ spiritus sunt; hic ad Christum non pertinet, intellige, tanquam viuum eius membrum , & palmes fructuosus in vite ; & quia non sic ad Christum pertinet, ideo tandem abscedetur. insinuat Apostolus Christi diuinitatem in eo quod eundem spiritum modò Dei, modò Christi spiritum nominat.

Salto

Si autem Christus in vobis est] scilicet per spiritum suum, id est, (vt manifestior sit antithesis cum parte præcedente) si quis spiritum Christi habet.

VER. IO.

Corpus quidem mortuum est propter peccatum]

Mortuum corpus vocat, quod paulo post mortale: sed ideo dicit mortuum, quia non tantum tale est ut mori possit: sed quod corruptionem in se habeat, qua perpetuo & ineuitabilitate tendat ad mortem. mortuum ergo est post peccatum, id est, moris necessitatibus factum est obnoxium, ita breui & certe, ut quasi iam habeatur & dicatur mortuum, ita S. Augustinus.

*Corpus
nostrum cu
mortuorum
dicatur.*

Spiritus vero viuit propter iustificationem] Sensus est: Si Christus in vobis est, tunc eti corpus vestrum mortuum est propter peccatum, spiritus tamen vester siue mens vestra viuit vita gratiae per iustitiam, quam in ea efficit Christi spiritus in vobis habitans, vel hoc sensu: Si Christus in vobis est, igitur spiritus eius vita vestra est, id est vitam vobis tribuit ac viuere vos facit per iustitiam quam in vobis efficit.

*Quod si spiritus eius (Spiritus Patris) qui suscita- VBR. 11.
vit Iesum a mortuis, habitat in vobis] intellige per iustitiam, idque perseveranter.*

Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis (ipse Deus Pater) viuificabit & mortalia corpora vestra] Viuificabit autem Deus mortalia corpora nostra, resuscitando ea ad vitam immortalem & beatam, exemplo Christi capititis & primogeniti mortuorum.

Viuificabit, nimirum in resurrectione, hoc est, donabit vobis corpora, immortalia & gloria, propter inhabitantem spiritum eius in vobis] Reclius spiritum suum, vel, ut in Greco, suum spiritum,

ut ad Deum Patrem spiritus referatur , iuxta id quod præcessit : quod si spiritus ejus qui suscitavit &c. Hinc enim patet Spiritum sanctum per spiritum charitatis in nobis inhabitantem esse causam resurrectionis, & vitæ gloriose. Est enim hic Spiritus in se vita , omnia animans , vegetans & viuificans; ac proinde sicuti Christi corpus , ita & nostrum viuificabit in resurrectione, si ipse in nobis inhabiteret.

VER. 12.

Ergo fratres debitores sumus non carni , ut secundum carnem viuamus] supple , Sed debitores sumus spiritui , ut secundum spiritum viuamus. q. d. Dixi haec tenus vos non esse in carne , sed in spiritu , & à Christo translatos esse à carne ad spiritum. Christus enim nouam spiritus vitam induxit , ergo cum in baptismo nos obstrinxerimus Christo , quasi parenti & capiti nostro ; sequitur pariter nos obstrictos & debitores esse non carni , ut carnaliter , sed spiritui , ut spiritualiter viuamus. Christus enim est & viuit , non in carne sed spiritu.

VER. 13.

Si enim secundum carnem viceritis , mori emini] videlicet morte æterna , nequaquam futuri participes beatæ resurrectionis , eò quod Spiritum sanctum non habueritis in vobis habitantem.

Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis , viuentis] Spiritu , id est , per Spiritum sanctum , de quo statim subiungit : Quicumque spiritu Dei agunior . inde enim bene probat Augustinus Spiritum sanctum non intelligi , non autem spiritum hominis.

Facta corporis seu carnis qua di-
cantur.

Porrò carnis opera per Spiritum sanctum mortificamus , quando ipso in nobis & nobiscum operante prauis desideriis ad eiusmodi opera incitatibus non consentimus , sed resistimus. *Viciis
vita*

vita &
porum
ritum
vos re

Qu
Dei] p
que p
Diceo
mus.
agis ,
agit , a
se spi
cum
Agun
ad ho
quan
dilec
quan
etum

N
timor
ritum
tu p
plic
dam
quer
dire

S
quo
nis , i
vel
que
tu
tui

vita æterna, non solum animarum, sed etiam corporum: ad quam vitam propter inhabitantem spiritum suum in vobis, Deus ad exemplum filij sui vos resuscitat.

Quicunque enim spiritu Dei aguntur, iij sunt filii Dei] per adoptionem, quibus à Deo promissa atque parata est hereditas vitaæ æternæ. Vnde Aug. Dicet, inquit, mihi aliquis, Ergo agimus, non agimus. respondeo, Imò & agis & ageris, & tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, adiutor est agentibus, intelligenti si filii sunt, se spiritu Dei agi, ut quod agendum est agant, & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant, &c ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiae, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret frumentum suum, accepisse se gaudeant.

VERS.14.

Non enim accepistis spiritum seruitus iterum in timore] id est ad timorem q. d. Non accepistis spiritum seruorum ad timendum, ut Iudei, qui mezu pœnæ à peccatis coercabantur: ut timore suppliciorum adigendi sitis ad legem Dei implemandam. Spiritus timoris est spiritus seruialis, quem acceperunt Iudei, ut quasi serui legi obdiren.

Sed accepistis spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus, *Abba, pater*] Spiritum adoptionis, id est, charitatem & gratiam Spiritus sancti, vel potius ipsummet Spiritum sanctum, per quem adoptati sumus in filios Dei. nam de Spiritu sancto subdit quod testimonium reddat spiritui nostro quod sumus filii Dei. Vnde ex hoc loco

VERS.15.

*Spiritus
sanctus
ut nos a-
doptet in
filios , se
nobis co-
municat.*

Nota. Filiatio & adoptio nostra in eo videtur consistere, quod sicuti Deus Christo homini dedit seipsum, id est, deitatem & Verbum, ut hunc hominem qui dicitur Christus, faceret filium Dei: ita nobis dat Spiritum sanctum, eiisque deitatem, ut nos faciat suos filios, nosque adoptet. Sic enim apud homines pater dicitur, qui naturam suam filio communicat. Cum ergo pari modo Deus dando nobis Spiritum sanctum, naturam suam diuinam nobis communicet: sequitur eum tunc nos facere, & adoptare in filios.

*In quo per Spiritum sanctum clamamus non
Abba pa- voce, sed filiali & fiduciali affectu, Abba, id est,
ter qua- pater] prae dulcedine & teneritudine amoris, quasi
re dictu infantes teneri, qui carissimum parentem balbu-
tientes blandula & iterata vocula compellare so-
lent, pater, pater. Quia filiorum Dei est Deum
patrem vocare, idque Christi filij Dei naturalis
exemplo, qui toties in Euangeliō vel orans vel
dicens Deum patrem suum appellat: deinde &
Christi praecepto, qui nos docuit sic orare: Pater
noster qui es in celis, Matth. 6.*

VERS. 16

*Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui no-
stro, quod sumus filii Dei.] Misit enim Deus spiritum
filii sui in corda nostra clamantem Abba, pater,
Testimo- Gal. 4. Quoniam igitur & spiritus noster clamat
nū Spi- Abba, pater, atque id ipsum in corde seu spiritu
ritus san- nostro clamat Spiritus sanctus: ideo dicit Aposto-
cti. lus Spiritū sanctū contestificari spiritui nostro,
id est vna cum eo testari, illo ipso clamore, quē in
spiritu nostro excitat, quod sumus filii Dei. Que-
res, quodnam est hoc testimonium? S. Chryso-
stomus & Toletus respondent testimonium hoc
esse clamorem, de quo locutus est Apostolus:
dum*

dum enim clamamus filiali affectu, Abba, pater,
per Spiritum sanctum, &c.

Si autem filii Dei sumus, ergo & heredes] Dei
sumus: nam hereditas filiis debetur, non servis, &
ad hoc adoptatur quis in filium, ut sit heres. Heredi-
tas ista principaliter Deus ipse est; cui dicitur,
Dominus pars hereditatis meæ, Psalmo 15.

Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi] Dei
quidem heredes tanquam patris, Christi autem
coheredes tanquam fratribus nostri.

Heredi-
tas filio-
rum Dei
qua sit.

Si tamen compatimur, ut & conglorificemur] Cla-
rius, Si tamen cum eo patimur, ut & cum eo glo-
rificemur. Sicut enim Christus quamuis & filius
esset & heres; merito suæ passionis ad gloriam
peruenit: ita sentit Apostolus, etiam nos, et si iam
filios & heredes, merito patientiæ, qua Christo
compatimur, gloriæ eius consortium adipisci.

Existimo enim, quod non sunt condigna passiones VER. 18.
huius temporis, ad futuram gloriam, qua reuelabitur
in nobis] ad gloriam suo tempore reuelandam seu
manifestandam erga vel circa nos, videlicet in ad-
uentu Christi ad iudicium. q.d. Modica passione
emes gloriam immensam; quasi si obolo emeres
totum orbem. Si quis etiam hostis coronatos aut Tribula-
gemmas in dorsum tuum coniceret, non doleres,
sed gauderes; colligeres ea, &c, ut aiebat S. Junipe-
rus, Talibus lapidibus lapidari vellem Parisiis,
Aureliam usque. Haec gemmæ, hi lapides pretiosi,
sunt tribulationes. *Huius temporis.* q.d. Momenta-
nea passione emes beatam æternitatem.

Tribula-
tiones
gemmae &
lapides
preciosi
quibus
Sancti
lapi-
den-
tur.

Nam exspectatio creature reuelationem filiorum VER. 19.
Dei exspectat] Tota hæc creatura quæ hominum
usibus subseruit, attentissima obseruatione tem-
pus illud exspectat, quo gloria filiorum Dei ma-

nifestabitur, id est, quo filij Dei glorioſi appa-
rebunt. *Exspectatio*, id est, ſollicita, anxia, & quaſi
erecto exertoque capite exſpectatio. ſcilicet ab
origine mundi. Non dicit: Creatura exſpectat,
ſed exſpectatio creature exſpectat. q.d. Creature
ita audiē hanc gloriam exſpectant, vt videantur
eſſe ipla exſpectatio.

VER. 20. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt.]* Vanitas, hīc
eſt defectus mutabilitatis, & opera ſeruilia, la-
bores, paſſiones & corruptiones, quibus creature
occupantur propter hominem.

Non volens.] Id eſt, non ſponte ſua, non ex in-
clinatione ſuae naturæ; cūm vnaquæque res na-
turaliter ſuam appetat perfectionem, corruptionem
autem & defectum fugiat: ſed ex ordina-
tione, velutique præcepto Dei, qui illam, hominis
culpa ſic exigente, ſubiecit huic vanitati, non in
perpetuum tamen, ſed ad tempus, facta ei ſpe li-
berationis.

*Sed propter eum (Deum Deīque ordinatio-
nem) qui (huic vanitati) eam ſubiecit in ſpe) pro-
pter hominem, vt ſcilicet illi ſeruiat in hoc mor-
tali ſtatu, ſub ſpe liberationis & commutationis
in melius.*

VER. 21. *Quia & ipla creatura liberabitur à ſeruitute cor-
ruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.]* Crea-
tura liberabitur à ſeruitute corruptionis tunc
quando filij Dei ſuam aſſequentur perfectam &
gloriosam libertatem.

VER. 22. *Scimus enim quod omnis creatura ingemifcit &
parturit iſque adhuc.]* q.d. Omnes creature ina-
nimes anxiæ, & magno cum dolore finem malo-
rum exſpectant. Apoſtolus non de omni pror-
fuſus creature loquitur, ſed de ea quæ in minife-
trium

rium hominum facta est , id est corporea , ac præcipue de mundo hoc inferiori , qui sedes est corruptionum & corruptuarum mutationum . Si haberent sensum , gernerent quasi parturientes , idque ab exordio mundi & lapsus hominis , usque nunc .

Creatura
gemut
dum cor
rumpan
tur &
mutan
tur.

Non solum autem illa, sed & nos ipsæ primitias spiritus habentes, & ipsæ intra nos gemimus.] Chrysostomus ac cæteri ferè Græci interpretantur dictum in persona omnium regeneratorum , quos aiunt primitias spiritus habere , quia principium aliquod gustūmque Spiritus sancti , velut pignus acceperunt in donis sibi collatis : interim exspectantes & anhelantes ad plenitudinem illam sibi repositam in futurum .

VER. 23.

Qui pri
mitias
spiritus
habentes.

*Adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptio
nem corporis nostri.]* Nota. In primo instanti iustificationis infunditur homini charitas & gratia , per quam homo particeps fit diuinæ naturæ , & consequenter acceptus ad gloriam , & heres Dei , ideoque hoc ipso fit filius Dei adoptius , sicut Christus est filius Dei naturalis . itaque adoptio nostra , qua adoptamur in filios & heredes Dei , contingit nobis in ipsa iustificatione . Quod ergo hic Apostolus ait , in cælis demum dandam essemus hanc adoptionem , intellige consummatam , quæ est ipsa possessio iuris & hereditatis , ad quam adoptati sumus , videlicet redemptio corporis nostri , quæ partim erit liberatio à mortalitate & concupiscentia , partim gloria corporis ex animæ gloria dimans . ita S. Chrysost. & Ambros. Adoption ergo inchoata fit hic , sed perfecta erit in celo .

Adoptio
nostra
contin
get in
iustifi
catione.

Spe enim salvi facti sumus] q.d. Speramus salutem , quam hic per gratiam inchoauimus , comprehendam

Adoptio
duplex.
VER. 24.

plendam fore in nobis per gloriam in cælo, dat causam, cur dixerit, nos exspectare hanc adoptionem filiorum in cælis, quia scilicet necedunt, sed tantum spe salui facti sumus: per spem enim tendimus ad salutem, quam speramus nos adepturos in cælo, & ideo adhuc gemimus exspectantes corporum nostrorum redemptionem, & cum ea perfectum beatitudinis statum.

Spes autem quæ videtur, non est spes.] Sensus: Nulla est spes rei præsentis, quæ iam habetur & possidetur: sed spes tantum est rei futuræ, id est nondum acceptæ: sicut fides rei non visæ.
Nam quod videt quis, quid sperat?] id est, cur adhuc sperat? ac si dicat: Re quæ sperabatur, obtenta, nulla iam restat causa sperandi. Videre enim hic ponitur pro quo quis sentire, cognoscere, frui, possidere. Loquitur enim Apostolus non de visione Dei, sed de gloria corporis possiden-
da. Hæc enim est redemptio corporis nostri, ut dixi.

VER. 25.

Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus] Si, inquit, speramus salutem, spes autem eorum est quæ nondum habentur, ergo cum patientia seruitutis ac misericordiae præsen-
tis exspectare debeimus adoptionem ac libertatem gloriæ filiorum Dei.

VER. 26.

Spiritus sanctus operatur in nobis in gemitu, rebur,

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram.] Tanquam dicat: Sicut Spiritus con-
stificatur spiritui nostro, quod simus filii Dei: sic etiam nos infirmos idem Spiritus coadiuuat; ut quæ non videmus, per patientiam exspectemus. q.d. Spiritus sanctus præter gemitum, spem, & patientiam, quæ in nobis operatur, insuper adiu-
uat etiam in hoc gemitu infirmitatem nostram,

vt scilicet magna alacritate & fortitudine toleremus infirmitates animæ & corporis, vitæque huius corruptibilis, propter quas gémimus & suspiramus ad cælum, vtque eas constanter superemus maximè per orationem.

auxiliū
& scien-
tiā be-
ne oran-
di.

Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.] Ora-
tio enim proprium remedium est infirmitatum nostrarum ad eas superandas. S. Tho. Scire quid sit petendum difficillimum est: cùm sit difficilli-
mum scire quid sit desiderandum.

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.] Spiritus sanctus postulare seu intercedere pro nobis dicitur, eò quod efficaci sua in nobis operatione nos orantes ac postulantes faciat. Hic enim est qui adiuuat infirmitatem nostram, quique docet nos quid orare debeamus, cùm ipsi hoc sèpè nesciamus. Dicuntur autem gemitus inenarrabiles sive ineffabiles; vel quia procedunt à desiderio rei ineffabilis, id est cælestis gloriæ; vel quoniam ipsi motus cordis, vt proficiuntur à Spiritu sancto, satis enarrari non possunt.

Gemitus
inenar-
rabilis
qui di-
cantur.

*Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spi-
ritus.]* Græcè, nouit quid sit sensus spiritus. Quamvis, inquit Apostolus, Spiritus sancti in nobis gemitus sint nobis ineffabiles, Deus tamen cor-
dium scrutator optimè nouit sensum, affectum, desiderium Spiritus sui sancti gementis in nobis:
& ita nouit, vt etiam approbet & exaudiat.

VER. 27.

Quia secundum Deum postulat pro sanctis] quia nimis illis postulat ea, quæ sunt secundum Deum, Deoque mentem & voluntatem, quæque Deo grata, sancta & accepta sunt. hæc autem nobis salutaria sunt. ita S. Chrysost. Theod. Ambro.

Scimus

VER. 18.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum] q. d. Multa , ut dixi, Sancti patiuntur in hac vita, veruntamen iis omnia cooperantur in bonum: animosè ergo & læto animo omnia ista perferant. omnia ergo , id est, omnes tribulationes, inquit Ambros. S. August. addit, omnia , etiam peccata Sanctis cooperari in bonum. Nam prædestinati, ait, ex casu humiliores, cautiiores & feruentiores resurgunt. ita etiam explicat Anselm. & Thom.

Vocatio secundū propositū Dei, non hominū.

Proposītū Dei quid sit.

Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti] id est,iis qui vocati sunt ad sanctitatem. Verus & certus sensus est , quo propositum Dei , non hominum,intelligitur:Dei,inquam,propositum, id est,voluntas prævia, prædestinatio , ac decreturn aeternum. Augusti. Anselm. & alij per propositum hoc accipiunt aeternum Dei beneplacitum, liberale decretum , voluntariam & gratuitam Dei constitutionem,quæ Act. 2. vocatur definitum consilium. Propositum ergo hoc est liberale & gratuitum Dei consilium & decretum, quo proposuit, statuit & decreuit Deus ab aeterno ex mera sua bonitate & clementia homines peccato perditos per Christum vocare ad gratiam,& sanctitatem,sine ullo eorum merito.

VER. 19.

Nam quos presciuit , & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.] Sensus huius loci est, Prædestinatorum salutem nullis aduersitatibus neque temptationibus impediri posse : idque certò nobis constare ex charitate Dei , qua eos ab aeterno dilexit: qua etiam facturus sit , ut omnino ea bona ad quæ prædilecti sunt ac præordinati,consequantur.Nam, inquit, quos presciuit, id est , ab aeterno prædilexit , & amicos habere voluit;

volui
les fie
decre
tam e
De h
nus l
form
natos
Chri
etiam
incho
telle
mus,
tam :
nem:
tius l
celest
& ce
eam
alibi:
milit
sue.
mile
Deu
quo t
la , q
Dei
cui n
sit,in
Sed
vt si
Cor
est ,
eius
ctio

voluit; eosdem prædestinavit conformes ac similes fieri Christo filio ipsius, id est certo fixoque decreto iam olim & ab æterno statuit ad hoc tam eximium bonum eos aliquando perducere. De huiusmodi præscientia Dei legatur Augustinus libro de Dono perseu. cap. 18. Porro conformitatem imaginis filij Dei, ad quam prædestinatos dicit, similitudinem intelligit nostram cum Christo Dei filio; non qualemcumque, qualis etiam in hac vita per mentis renovationem, & inchoatam adoptionem habetur, ut quidam intellexerunt; sed quam in fine sæculi exspectamus, id est, adoptionem filiorum Dei consummatam: de qua suprà dixerat, *exspectantes adoptionem*: quæ nimirum consistit in glorificatione totius hominis, ut sicut dicit 1. Corinth. 15. *qualis cœlestis*, id est, Christus iam glorificatus, *tales sint & cœlestes*, videlicet omnes eius electi. Sic enim eam conformitatem idem Apostolus exponit alibi: *Qui reformabit, ait de Christo, corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Sic & Ioannes dicens: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & Ecclesia in oratione qua sic Deum precatur: Ut in illius imueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia*. Cæterum phrasis illa, qua dicimur futuri conformes imaginis Filij Dei, non significat Filium Dei esse imaginem, cui nos conformandi simus: ut appositiuè dictum sit, *imaginis Filij*: quomodo multi intellexerunt. Sed sensus est, nos ita conformandos Filio Dei, ut simus eius quædam imago. sic enim etiam 1. Cor. 15. portaturi dicimur imaginem cœlestis, id est, Christum in nobis representaturi tanquam eius imago, quod futurum est in beata resurrectione, de qua Paulus ibi differit.

Confor-
mitas
imaginis filij
Dei, que
dicitur.

Phil. 3.

1. Ioan. 3

*Homines
glorifica-
ti erunt
imago
Fili Dei.*

Vt

Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.] Si-
gnificat illam conformitatem de qua locutus est,
redundare in gloriam Christi. Nam ex ea conse-
quitur quædam dignitas & prærogativa Christi,
vt sit primogenitus in multis fratribus, puta fide-
libus, sanctis, amicis, electis, & dilectis Dei. Nota.
Christus filiorum Dei est primogenitus, Primo,
quia ipse est filius Dei naturalis, cùm cæteri sint
tantum adoptiui. Secundò, quia ante omnes
prædestinatus fuit Christus ad hanc filiationem
& vñionem cum Verbo, & consequenter ad om-
nem suam gratiam & gloriam. Tertiò, quia Christus
finitis, scopus & exemplar fuit & est omnium
prædestinatōrum & electorum. vt ex hoc loco,
aliisque docet S. Augustinus.

VER. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocauit*] quoſ-
cumque Deus ab æterno prædestinavit confor-
mes fieri imaginis Filij sui, hos & vocat in tem-
pore, ea scilicet vocatione de qua paulò antè di-
xit, qui secundum propositum vocati sunt; qualis est
illa de qua angelus: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Hæc enim vocatio ſem-
per efficax est, & electorum propria. Intelligitur
hoc loco vocatio, vel ad fidem, vel generatim ad
iustitiam & sanctitatem vitæ, & omnino ad fa-
ludem, iuxta diuersum intellectum eius quod ſe-
quitur.

Apoc. 19
**Que vo-
catio ſe-
per effi-
cax.**

Et quos vocauit, hos & iustificauit] quoſcumque
prædestinatos vocat ad fidem & iustitiam & fa-
ludem, quæ quidem vocatio fit per ministerium
prædicationis Euangelicæ; eos non inaniter vo-
cat, quomodo multi vocantur qui non veniunt:
sed eisdem ipse etiam iustificat, donans fidem,
penitentiam, remissionem peccatorum, sanctam

con

conuersationem, & in ea perseuerantiam.

Quos autem iustificauit, illos & glorificauit] quoſ-
cumque autem prædestinatos, siue secundum
propositum vocatos iustificat, eosdem etiam suo
tempore glorificabit, facturus eos conformes
Filio suo glorificato. Origen. August. Fulgent. &
iam paſſim Theologi, & glorificauit, accipiunt de
gloria beatitudinis æternæ.

Hinc Scholastici tres ponunt effectus præde- Tres effe-
ctus præ-
destina-
tione.
 stinationis, nimirum vocationem, iustificationem,
 glorificationem: ac consequenter colligunt, glo-
 riā & beatitudinem æternam esse effectum pre-
 destinationis.

Quid ergo dicemus ad hec?] Cùm tanta sit Dei VERS. 31
pro suis electis cura, tamque certa prouidentia, ut
quoscumque prædestinavit ad gloriam, eos vo-
cando & iustificando, tandem omnino ad illam
perducat: quid dicturi sumus inter passiones &
aduersitates huius sæculi constituti, nisi hoc quod
sequitur?

Si Deus pro nobis, quis contra nos?] Id est, si Deus
stat pro nobis, volens omnino implere in nobis
æternum suum propositum iustificationis & glo-
rificationis nostræ: cùm nemo sit Deo potentior;
quis vel hominum vel dæmonum ita contra nos
insurgat, ut salutem nostram impedit? nullus
profectò.

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit] Proprio VERS. 32
Filio. hinc Adrian. Papa & DD. docent, Christum,
 in quantum homo est, id est, secundum humani-
 tatem, verè ac propriè esse Filium Dei, scilicet ob
 gratiam vniōnis cum Verbo, siue cum persona Fi-
 lij Dei: quia in quantum homo, traditus est pro
 nobis in mortem, quod de eo hic asserit Paulus.

*Sed pro nobis omnibus tradidit illum] Theologi
bene definiunt pro omnibus traditum, quia pa-
sio eius & mors sufficiens erat omnibus omnino
redimendis: pro non omnibus, quia redemptionis
proprietas penes solos est electos. Quæteri solet
quo sensu Pater Filium tradidisse dicitur in mor-
tem. breuiter dicimus hoc sensu: quia quem ab
æterno decreuit ac voluit pro nostra salute passu-
rum & moriturum esse, eundem in tempore per
manus impiorum pati ac mori fecit.*

*Quonodo non etiam cum illo omnia nobis donauit]
Græcè donabit in futuro. Qui enim filio suo, quo
nihil habet carius, non pepercit, sed pro salute
nostra impendit, tradens eum pro nobis omni-
bus in mortem, certè nec cætera dona ad salutem
necessaria, nec ipsam denique salutem & glo-
riam est negaturus.*

VERS. 33 *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iusti-
ficat] quis accusationem instituet obiectis crimi-
nibus aduersus eos quos Deus elegit volens omni-
nino salvare? q. d. Nullus id fecerit, nisi frustra.
Deus est qui iustificat, id est à peccatis & ab intéta-
ta aduersarij actione electos suos absoluit, iustif-
que pronuntiat.*

VERS. 34 *Quis est qui condemnnet?] id est, damnationis sen-
tentiam in eos ferat? q. d. Nemo, nisi frustra: aut
quid noceant eis accusations & damnationes
hominum, cùm Deus eos iustificat?*

*Christus Iesus supple, est) qui (pro nobis) mortuus
est; immo qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei; qui
etiam interpellat pro nobis] apud Patrem, tanquam
perpetuus aduocatus & patronus noster, exhiben-
do se & cicatrices suas, quas in passione acceptas
adhuc seruat & Patri ostentat, ac consequenter
orat*

orat, sua merita, suos labores, suas passiones allegando diuino conspectui. Nam, ut dicitur Hebr. 9. Iesus introiuit in cælum, ut appareat nunc vul-
tui Dei pro nobis.

Quis ergo separabit nos à charitate Christi?] Sen-
sus: Cùm Christus hæc omnia fecerit & faciat pro
nobis; quis iam nos separare & abstrahere pote-
rit ab eius dilectione; siue qua nos eum diligi-
mus, siue qua nos ipse diligit, qui tot & tanta pro
nobis fecit? Quòd si cum Græcis legamus à cha-
ritate Dei, sensus erit: Cùm tanta sit Dei charitas
erga nos, ut hæc omnia fecerit, ac Filium suum
pro nobis facere voluerit: quis ab ea charitate
nos separare poterit, hoc est efficere ut Deus
nos, quorum gratiâ tam multa fecit, amare de-
finat? hic sensus, quo intelligitur charitas seu
Dei seu Christi erga nos, à Caietano, Toleto
aliisque doctis interpretibus traditur: estque val-
dè probabilis. Expendit enim Paulus magnitudi-
nem diuini erga nos amoris ex beneficiis nobis
impensis: quo probet quod instituerat, nihil obsi-
stere posse, quo minus certissimè peruenturi si-
mus ad salutem: sicut & paulò post, vbi ait: Propter
eum qui dilexit nos.

*Tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an
periculum? an persecutio? an gladius?*] Tribulatio
sive afflictio potissimum intelligitur in corpore &
rebus externis. Angustia in animo, vel, certè in
rebus dubiis & perplexis, vbi consilium huma-
num deficit.

*Sicut scriptum est? supple, electos pati & passu-
ros esse. locus est in psal. 43.* VERS. 36

Quia propter te mortificamur tota die?] Sen-
sus: Propter confessionem tui nominis, & quia

VERS. 35

Charitas
Dei du-
pliciter
intelligi
potest: &
utra ac-
ceprio ap-
tior huic
loco.

tui sumus cultores, assidue tradimur in mortem,
quotidianis obiicimur periculis.

A&stimati superus sicut oves occisionis] haud secūs
atque oves mactationi destinatæ, ita pro libito &
absque commiseratione nos ad mortem & sup-
plicia trahunt.

Vers. 37

*Electorū
victoriā
qualis.*

Sed in his omnibus superamus, id est, plus quam
victores sumus, superuincimus, scilicet, insigni &
illustri victoria, quam consequimur, dum non re-
sistendo sed patiendo & moriendo, superamus
hostes omnes & quævis aduersa, in iisque gloria-
mūr, idque proprie cum qui dilexit nos] Excellentem
& facilem illam victoram adipiscimur, non no-
stra virtute, sed per auxilium siue Dei, siue Chri-
sti, qui nos dilexit.

Vers. 38

Certus enim sum] Id est, certam in Domino spem
habeo, persuasum habeo, confido. S. Augustin. in
exposit. propositionis 58. *Quod autem ait, Cer-*
tus sum enim, & non dixit, Opinor; plena fide te-
nuit, quod nec mors vlla, nec vita temporalis pro-
missa, nec cetera subsequentia possunt creden-
rem à charitate Dei detorquere.

Quia neque mors, neque vita] neque mors à per-
secutore intentata, neque vita promissa.

Neque angeli, neque principatus, neque virtutes] Hac parte spiritus aduersarij, id est dæmones, si-
gnificantur, quibus omne studium est Christi fi-
deles abstrahere à salute. Porro sub his tribus an-
gelorum ordinibus, ceteros omnes (nam ex om-
nibus ordinibus aliquos cecidisse Theologorum
sententia perquam probabilis est apud Magistrum
in 2. sent. dist. 6.) comprehensos intellige. q.d.
Nullam prorsus dæmonum vim & potentiam ele-
ctis præualere posse.

*Ex omni-
bus ordi-
nibus ali-
quos an-
gelos ce-
cidisse
probabi-
le.**Neque*Ne
præse
lici sa
reti.N
princN
Ansel
cis &
nisi à
mare
quis iN
te DeDeut
ligit.
Deus
effica
uendQ
Iesu
pitia
ta

Neque instantia, neque futura] Instantia, id est præsentia, intelligit autem tam bona quibus allici solent homines, quàm mala quibus terreti.

Neque fortitudo] Interpretantur fortitudinem principum huius sæculi.

Neque altitudo, neque profundum] D. Thom. &c. Anselm. sic explicant: *Neque altitudo*, scilicet arcis & rupis, ex qua quis minaretur præcipitum, nisi à Dei amore recedas. *Neque profundum*, puta mare aut flumen, in quo pari modo minaretur quis submersionem.

Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei] Charitatem Dei intellige vel eam qua nos Deum diligimus, vel potius eam qua nos Deus diligit. Significatur enim vis charitatis illius qua Deus electos suos complectitur, ad præstandum efficaciter ea quæ vult eis donare, & ad remouenda contraria.

Quæ est in Christo Iesu Domino nostro] Id est, per Iesum Christum tanquam mediatorem & propitiatorem nostrum: qui nobis illam Dei charitatem merito suæ passionis & mortis conciliavit: eadémque morte nos redemit.

qua ratione Dominus noster vocatur.

**

H 3 CAPVT

C A P V T I X.

S V M M A R I V M.

*Docet promissiones Iudeorum patribus factas
ob illorum ruinam non frustrari: sed imple-
ri in spirituali Israele. Deum pro sua volun-
tate, & non ex operibus, alios eligere ad ostend-
tionem sue bonitatis, alios reprobare ad ma-
nifestationem iustitiae. Quò proinde referen-
dum, quòd Gentes electæ sint ad fidem, Iu-
deis reprobatis.*

VERS. I. **V**Eritatē dico in Christō, non mentior] id est, ne
quis mentiri me suspicetur, rem veram sin-
cerè & ex animo loquor; idque per Christum, seu
Christō teste. q.d. Testor Christum, iuro per Chri-
stum me verum dicere.

*Testimonium mihi perhibente conscientia mea Sen-
sus: Ad id quod dico, testem mihi adduco & alle-
go conscientiam meam.*

*In spiritu sancto] id est, per Spiritum sanctum,
vt ciudem conscientiæ meæ testimoniū.*

VERS. 2. **Q**uoniam (quòd) tristitia mihi magna est, &
continuis dolor cordi meo] scilicet ob reiectionem
& reprobationem Iudeorum à iustitia & salu-
te. Igitur hic dolor ex ingenti amore fratrum
nascebatur.

VERS. 3. **P**aulus optat sibi anathema esse à Christō
anathe- pro fratribus meis] optarem ego ipse, si licet, & si
ma pro fratribus fieri posset, esse anathema à Christo, id est, separa-
tus

tus & alienus à Christo, pro fratribus meis Iudeis. Hæc ipsius Chrysostomi sententia est. Itaque sensus Apostoli est: Quumuis tata cum Christo & in Christo bona expectemus, quanta dum commemorauit; tamen ipse equidem optarem, si per legem & iustitiam Dei liceret, omnibus illis priuari, ut fratres mei Iudei eadem illa consequantur. Quæ profectò verba sunt immensi amoris erga fratres, eosque sibi inimicos.

Qui sunt cognati mei secundum carnem] significantur qui sunt eiusdem generis.

Qui sunt Israelita] Nomen Israëlitarum honorificum erat, videlicet patronymicum ab Israël, nomine diuinitus imposito patriarchæ ipsorum Iacob.

Quorum adoptio est filiorum] quos Deus adoptauit in filios, cùm sibi suoque cultui eos addixit, Exod. 4. dicens: Filius meus primogenitus Israël.

Et gloria] quorum est gloria, scilicet præce-
ris Gentibus. Non enim fecit taliter omni nationi,
pl. 1 47. idque siue legem spectes à Deo datam; si-
ue admiranda Dei opera per Moysem & alios in
illo populo exhibitas; siue prophetias, siue promis-
siones, siue protectionem singularem. hæc igitur
omnia populum illum inter omnes Gentes redi-
diderunt valde gloriosum & celebrem.

Et testamentum] Græcè & Syriacè testamento plurali numero. intellige pacta particularia cum patribus eorum inita, & sub generali nomine ve-
teris Testamenti comprehensa: velut de terra pro-
missiouis, ac terrena prosperitate, & aduersus ho-
stes victoria, de sacerdotio, de regno. Quæ omnia
græco vocabulo ab Interpretibus Lxx. usurpato
Testamenta vocantur.

VERS. 4.
Israëli-
tarū no-
men ho-
norabile.

Gloria
populi Is-
raelici.

Teila-
mentorū
nomine
quid si-
gnifice-
tur.

Et legislatio] Hoc est, quibus lex à Deo lata fuit. Grandis enim & singularis est prærogativa, legem habere non ab homine, sed à Deo latam, & per hoc Deum ipsum habere legislatorem.

Et obsequium] Id est, cultus sacer ac diuinus lege ceremoniali præscriptus.

Et promissa] q. d. Benedictio Abrahæ promissa, omnesque aliæ promissiones Dei. Harum autem promissionum maxima est ipse Messias, siue Christus, puta redemptio, iustitia ac salus præstanda per Christum.

VERS. 5. *Quorum patres*] subaudi, sunt: id est, qui progenitores habent sanctos patriarchas Abraham, Isaac & Iacob.

Et ex quibus est Christus secundum carnem] *Christus ex Iudeis ortus.* Sunt populum Iudaicum præter alia iam commemorata, sic à Deo fuisse honoratum, ut ex eo Messiam, id est Christum, promissum incarnari & nasci voluerit. Qua ratioue & Simeon ille iustus Christum vocat gloriam plebis suæ Israël, Luc. 2. Huius porrò beneficij magnitudinem auget in immensum personæ Christi dignitas, de qua sequitur:

Qui (Christus) est super omnia Deus benedictus in secula, amen] siue intelligatur Deus super omnia, siue benedictus super omnia. quod vtrumque in eandem sententiam reddit. Nam solus ille qui est super omnia Deus, super omnia benedictus, est, in secula, id est, laudibus celebrandus in omnem æternitatem.

VERS. 6. *Non autem quod excideris verbum Dei*] non hæc èd dicuntur à me, quod sentiam excidisse verbum Dei, id est, irritas factas esse Dei promissiones & pacta. Non tamen hic respicit ad

promissiones & pacta, de quibus superius, pertinientia ad carnalem Israël: sed promissiones significat noui testamenti implendas in Israële spirituali, & spirituali semine Abrahæ per Isaac promissionis filium præfigurato.

Non enim omnes qui ex Israël sunt (qui ex Jacob patriarcha prognati sunt [i.e. sunt Israélites]) veri scilicet secundum mentem Scripturæ, ad quos pertineat diuina promissio spiritualis Abrahæ & Israëli facta.

*Negue qui semen sunt Abrahæ, omnes filij] nec VERS. 7.
ideò, quia secundum carnem nati sunt ex Abraham, censendi sunt omnes eius filij secundum mentem Scripturæ loquentis de filiis Abraham, vbi de promissionibus agitur.*

Sed in Isaac vocabitur tibi semen] subaudi, Dictum est ad Abraham, scilicet Gen. 21. q.d. Isaac erit & vocabitur tuum semen, id est, verus & genuinus tuus filius; ac consequenter tuæ benedictionis heres, non autem Ismaël. Simplicius: In Isaac, id est in posteris Isaac, q.d. Posteritas tua, ô Abraham, censembitur per Isaac, qui Dei promissione & virtute supernaturali natus est tibi semen & sterili Saræ; non per Ismaël, qui filius est carnis, id est, sola naturali virtute generatus.

Idest, non qui filij carnis, sed filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine] id est, qui regenerati sunt secundum spiritum per gratiam fidei, idque iuxta promissionem diuinam Abrahæ factam, qua dictum est: Benedicentur in semine tuo omnes gentes, Gen. 22. In semine, id est, estimantur semen, siue filij & heredes Abrahæ, & consequenter ipsius Dei, diuinæque promissionis Abrahæ factæ.

VER. 9.

Promissionis enim verbum hoc est, Genes. 18. Secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius.] Verba sunt angeli in persona Dei loquentis ad Abraham, promittentis ei filium Isaac ex Sara coniuge sua quanquam sterili & vetula.

VER. 10.

Non solum autem illa (Sara) sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac pater noster] scilicet idipsum experta est, filios nimirum à Deo censi non carnaliter genitos, sed eos qui diuinitus promittantur, elegantur & adoptentur. Nam Iacob filius eius (Rebecca) licet iunior, quia promissus & electus à Deo, prælatus fuit Esau seniori, factusque est successor & heres Isaci patris sui.

VER. 11.

Cum enim nondum nati fuissent (ex Rebecca Iacob & Esau) aut aliquid boni egissent, aut mali; cum nondum essent in lucem editi, licet iam in utero concepti, nec proinde quicquam boni maliue egissent; adeoque nec per ætatem agere potuissent, cuius boni vel mali merito alter eligeretur, ut fieret dominus fratris sui; alter reprobatetur, ut fratri seruiret.

Vi secundum electionem propositum Dei maneret.] Exponitur autem hæc pars bifariam. Vno modo; ut propositum, quo secundum electionem gratuitam, & non ex meritis Deus constituerat Iacob honorare, subiiciendo fratrem ipsius servituti, maneret, hoc est, firmum ac stabile esset. Altero modo, ut mysticè significaretur Dei propositum, quo credentes in Christum prædestinavit ad iustitiam, & consequenter ad vitam æternam, sola & gratuita ipsius electione, absque ullo meritotum respectu, firmum esse atque immobile.

Non

Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: VER. 12.
Quia maior seruiet minori putat Esau Iacobo ser- &c. 13.
uet, non in sua persona, sed in suis posteris, qua-
si diceret: Idcirco Deus huiusmodi responsum
dare voluit matri, cum pueri nondum nati es-
sent, ut per hoc significaret electionem alte-
tius prae altero non esse ex operibus, sed ex
vocante.

Sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui,] VER. 13.
Malachiæ 1. q. d. Etsi fratres essent ger-
mani ac gemini, eoque nomine pares, nisi quod
Esau ratione primogenituræ præponendus vide-
retur: ego tamen Jacob dilexi, id est, volui ei in sua
posteritate benefacere; Esau autem odio habui, id
est, posthabui ac reieci, nolens singularia in eius
posteritatem beneficia conferre. Hic sensus est
literalis verborum Prophetæ. Iam hinc colli-
gendum relinquit Apostolus, argumento à figu-
ra ad rem, in figura ac mysterio significatam,
nimirum Jacob, id est credentes iustificauit; Esau,
id est nolentes credere, repuli à iustitia. Odisse odij si-
*accipitur pro eo, quod est posthabere, negli-
gnifica-
gere, non curare, præ alio contemnere. No-* tio in
Scriptu-
tandum, an Esau sit reprobatus ea reprobatione ris.
de qua differit Apostolus: atque adeò non videri virium
improbabile, quod post depositum fraternum Esau sit
odium, de quo Genes. 33. in vera religione à de nu-
parentibus accepta defunctus, salutem ade- mero re-
plus fit. proborū.

Quid ergo dicemus? Numquid iniqüitas apud VER. 14.
Deum? absit. Apostolus hic occurrit tacitæ ob-
iectionis: Si Deus sine merito Jacob dilexit, Esau
verò illi æqualem odio habuit, ergo iniustus vi-
detur: hoc autem dicere, est impium, responderet

Apo

Apostolus: *absit, & rationem reddens, atque obiectionem soluens, subdit:*

VERS. 15 *Moysi enim dicit. Electionem, inquit, planè gratuitam & indebitam ostendunt verba Dei ad Moysen Exod. 33. Miserebor, cuius misereor, id est, cuius voluerò misereri; & misericordiam prestat, cuius miserebor.] Significat enim, Deum misereri quibuscumque voluerit. eligendo eos ad salutem ex solo beneplacito suæ voluntatis. q.d. Prædestinatio hæc & electio Iacobi, præ Esau, & allegoricè filiorum fidei Abrahæ, id est, Christianorum, præ filiis carnis, id est Iudæis, non est cuiquam debita, nec opus iustitiae, sed misericordia, ac consequenter mihi liberum & gratuitum; nunquam ergo iniquum. q. d. Ergo nulla est in carnalium Iudæorum repulsa, & credentium acceptatione ad iustitiam, gratiam & salutem, quæ sunt benedictio Abrahæ, & semini eius promissa, iniquitas: quia acceptatio hæc nulli est debita, sed planè est in Dei arbitrio, vt eam det gratis & gratiōsè, cui voluerit: non ergo Iudæis feci iniuriam, cùm Gentibus feci misericordiam.*

VERS. 16 *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei] q.d. Paulus: Benedictio Abrahæ & Isaac non fuit Esau volentis & currentis in capum ad venandum; vt cùm ex sua venatione comedisset pater, benedicet ei; sed fuit Iacobi, cuius Deus misertus est, vt in eum caderet, non in Esau, licet is senior esset & primogenitus. ita Anastasius. vt sit sensus: Quod quis sit electus à Deo, non ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis seu conuersationis præcedentis aut præuisæ; sed ex solo ac libero beneplacito est Dei miserentis.*

Dicit

Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te virtutem meam] Probauit Apostolus non esse iniquum quod Deus gratuata electione & voluntate Iacob dilexerit, eiisque misertus sit, sine illius operibus & meritis. Hic probat secundam antithesis suae partem, scilicet quod Esau odio habuerit, & noluerit eius misericordi, id non ex demeritis Esau, praeterea Iacob accidisse, sed ex Dei voluntate, qui noluit eius misereri. Est enim hoc Deo liberum, ut patet in Pharaone, quem quia obduratus erat in suis peccatis, sibi suisque peccatis permisit, & dimisit, at tandem puniuit mergendo eum in mari rubro; cum tamen misertus sit Nabuchodonosor, & aliorum, qui aequaliter ut Pharao mali & obdurati fuerunt.

VERS. 18.
Ergo cuius vult, miseretur; & quem vult, inducat] Apostolus hic ex illo testimonio: Miserebor, cuius misereor, scilicet Iacobi, & allegoricè populi fidelis, sive Christiani, quem dilexi, infert: Ergo cuius vult, miseretur. Ex illo vero, In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te virtutem meam, infert & colligit: Ergo quem vult, inducat, scilicet Pharaonem; & per consequens, non ex operibus, sed quia vult, odio habet Esau, & allegoricè carnales Iudeos, quos repellit à benedictione Abraham. Hoc enim est, quod toto hoc capite probare contendit: scilicet Dei voluntate credentes adscitos, & Iudeos repulso esse à benedictione Abraham. quod enim Pharao non à Deo, sed à se ipso, sive aequaliter malitia propriè & directè sit obduratus demonstratur, ex eo quod Deus misericordia Moysè, Pharaoni decies præcepit dimissionem populi Iudaici; ergo voluit ut missum faceret populum,

pulum, non ergo eum obdurare voluit, &c.

VERS. 19 Dices itaque mihi.] Græcè & Syriacè dices. Aduersarium facit obiiclientem sibi hoc quod sequitur.

Quid adhuc queritur? id est, conqueritur, queratur. Sensus est: At dices mihi, Si Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat; cur non contentus facere pro libito quæ vult etiam conqueritur de hominibus apud Prophetas; & irascientis more grauia comminatur, quod ad ipsum non conuertantur ut salui fiant?

Voluntati eius quis resistit? id est, resistere potest? Dicunt ergo ipsi: Si Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid mirum est nos esse misereros & induratos? voluntate enim Dei tales sumus: voluntati autem eius quis resistit? Hanc causam aufert & elidit Apostolus dicens: Voluntatis diuinæ, utpote sapientissimæ, optimæ & eminentissimæ, à creatura non esse querendam rationem; neminem enim de ea queri, vel illi obstrepere debere, sed illam omnes silentio venerari, illique summa humilitate & reverentia se submittere debere. ait ergo:

VERS. 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?] ac si dicat: Tu quis es qui disputas cum Deo? hominem te cogita, illum Deum: ita desines cum illo velle in disputatione venire, & eius iudicia discutere. Pulchrè S. Greg. inquit: Respondere Deo non posse conuincitur qui homo nominatur; qui per hoc quod de humo sumptus est, iudicia superna discutere dignus non est.

Nunquid dicit figuramentum ei qui se finxit, id est figulo, quid fecisti sic? cur me tale finxisti? Numquid, ait Apostolus, vas fictile iure poterit expostulare

stulan
tit ? a
acco
querat

Am
massa
in con
luto
tume
cuius
ius er
iustif
fa in
nem,
tume
seret
rem,
dura
vasa :

Q
cere p
sa ira
sua in
Apo
prop
ritur
hoc
se fe
non
pecc
que
caus
tent
fecit

stulare cum figulo , cur ipsum tale aut tale fecerit ? ac si dicat, minimè. Hoc propriè ad reprobos accommodatur. Nam electi non habent quòd querantur aut expositulent, sed vnde gratias agat.

An non habet potestatem figulus lui ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?] Sicut figulus potest ex eodem luto facere vas unum in honorem , aliud in contumeliam: ita Deus ex eadem massa hominum, cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Cuius ergo miseretur, id est, quē à peccato liberat & iustificat, uti Christianos credentes ; hos facit vas in honorem : quem verò indurat, uti Pharaonem, & Iudeos incredulos; hos facit vas in contumeliam: sed sicuti Deus positiuè & directè miseretur; sic positiuè & directè facit vas in honorem , & sicut permissiuè & indirectè tantùm indurat ; sic permissiuè & indirectè tantùm facit vas in contumeliam.

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vas irae apta in interitum, ut ostenderet dinitas gloria sua in vasa misericordia, qua preparauit in gloriam] Apostolus hic perfectè respondet querelæ, quam proposuit, Si Deus homines indurat , cur queritur , & induratos punit ? Respondet ergo hic modo , quasi dicat. Indurati ipsi positiuè se fecerunt , & aptarunt vas iræ ; Deus ergo non fecit eos , sed sustinuit , id est , patienter peccare permisit , differens diu supplicium , sique eos indurasce dicitur : idque duplice de causa. Prior est , ut iram , id est , iustum & potenter suam vindictam in eos ostenderet , uti fecit , dum Pharaonem misit in mari rubro.

Puta

VER. 21:

VER. 22.
& 23.

Putabat enim Pharao Dei patientiam, per quam non puniebat eum Deus, impotentiam esse. Posterior est, ut ex hac severitate Dei in induratos appareat gloria Dei misericordia, opulentia & liberalitas in *vasa misericordiae*, id est, in sanctos & electos, quibus non pœnam, sed gloriam præparauit.

VER. 24. *Quos & vocauit nos, non solum ex Iudeis, sed etiam ex Gentibus]* Quos, idem est, ac si dicat, Hæc vasæ misericordiæ, non lutea, sed humana sunt ij, quos Deus ad se suamque gratiam, amicitiam & filiationem *vocauit*, nempe nos fideles, tum ex Iudeis, tum ex Gentibus.

VER. 25. *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam]* q. d. Vocabo gentes idololatras, quæ nō fuerunt plebs mea, ad meam fidem & cultum, ut cum fuerint ad me conuersæ, vocem eas plebem meam; & qui non erant à me dilecti, id est, gratiæ donis affecti, faciam dilectos: ita ut vero nomine Populus meus, meique dilecti vocari possint.

Et non misericordiam consecutam, misericordiam Gentes consecutam] Gentes enim, quas paulò antè dixit quomodo ex non plebe factas esse plebem Dei, hic ex statu ex non plebe facta, sint derelictionis, dicit esse translatas in statum misericordiæ & gratiæ Dei, ut plebs gentilis, quæ ante non erat misericordiam consecuta, iam vocatur misericordiam consecuta.

VER. 26. *Et erit, in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filii Dei vivi]* Et erit, id est, hoc quod dicam, aliquando futurum est, in ipso loco, ut in Græcia, Italia, Gallia, & vbi cunque morati fuerint dudum à vero Dei cultu alieni, sic ut vocari possint *non populus mens*, in eodem, inquam, loco,

&

& absque eo quod locum mutant, verum Dei cultum suscipient, ac per hoc erunt & vocabuntur filii Dei viui, seu viuentis, id est, Dei veri, cuius esse viuere est.

Ifaias autem clamat pro Israël, Si fuerit numerus filiorum Israël, tanquam arena maris (innumerabilis,) reliquia (id est pauci) salua fient.] Sensus prophetiae est: Etsi populus secundum carnem ex Israël genitus, iuxta promissionem Abrahæ factam usque adeò multiplicetur, ut comparari posse videatur cum arena quæ est in littore maris; solæ tamen ex eo reliquæ, id est paucissimi salvi erunt. Quemadmodum dicit infra c. 11. Ceteri vero execrati sunt. Si cui magis placet versio pro Israël, poterit hunc sensum facere: Isaias hoc solum clamat pro Israël, reliquias eius populi salvas fore: ceteroqui denuntiat multitudinem peritaram.

Verbum enim consummans & abbrevians in aequitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.] Sensus: Deus erit consummans & abbreviās verbum in iustitia vel cum iustitia, id est, Deus quod locutus est faciet, redicens Israëlem quem saluatorus sit, ad breuem, accīsum & exiguum numerum, ita ut penè consumatur. Sed tamen paucos illos faciet iustitiae donis affluentes, secundum illud eiusdem Prophetæ, c. 4. Omani qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur. quod impletū fuisse constat in Apostolis ac ceteris primitiæ Ecclesiæ fidelibus, quos Apostolica Scriptura passim Sanctos appellat. In aequitate, id est, in iustitia, id est iuste, seu iusto iudicio, id facturus est Deus: nam hic intendit Apostolus probare Iudaici populi reprobationem, saluis duntaxat reliquiis.

VERS. 29

Et sicut prædixit Isaïas, Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissimus] Et fiet sicut idem Isaïas prophetauit, dicens: Nisi Dominus exercitum reliquisset nobis, id est populo Iudaico, saltem exiguum semen, in quo velut reliquiis promissæ benedictiones implerentur; penitus essemus consumpti & perditæ, sicut Sodomæ & Gomorræ, quorum nullæ prorsus extant reliquæ; nec vlla ex parte illorum benedictionum fuissimus participes. Nisi tempore Christi parum reliquiarum, videlicet beatam Virginem, Apostolos & paucos electos ex Iudaïs credentes elegisset Deus, reprobatus fuisset totus Israël ob infidelitatem, & periisset, vti Sodoma. ita S. Hieronymus &

*Deus cur
vocetur
Domini-
nus sa-
baoth, id
est exer-
citum.*

VERS. 30

*Quid ergo dicemus?] Cùm, inquit, talia prædi-
xerint Prophetæ de Gentium vocatione & Iu-
dæorum abiectione: quid dicemus? nempe hoc
quod sequitur;*

*Quod Genes quæ non sectabantur iustitiam, ap-
Gentes ex prehenderunt iustitiam] Hoc est, quod Gentes quæ
fide iusti-
tia appre-
henderūt
erant sine cultu & lege vnius Dei, ideoque nec
iustitiae quæ quis Deo placeat, assequendæ stu-
debat.*

VERS. 31.

*Iustitiam autem quæ ex fidè est] Id est: eam (di-
co) iustitiam apprehenderunt, quæ ex fide est,
non quæ ex operibus. simul indicat eos ipsa fide
iustitiam apprehendisse. nam quasi quereretur:
Quomodo iustitiam apprehenderunt, quam non*

secta

secta
ex fid
ditur
illud
fidem
ex fid
I
tia m
raël
Apol
nem
sam
tes ve
quia
scilic
eam
stolu

Q
ple,
dem
queſt

O
ſtum
quia
dend
& car
peru
iacen
etant

S
fenſion
Ecce,
dæ, v
ex I

sectabantur? Respondet, ex fide: non solum quia ex fide iustitia est, sed etiam quia fide apprehenditur: eo nimis sensu quem exposuimus ad illud cap. 3. Arbitramur iustificari hominem per fidem. Est autem haec notatio veræ iustitiae, quæ ex fide est.

Notatio
veræ iu-
sticie ex
fide est.

VERS. 31

Israël vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non peruenit] id est, non præuenit, scilicet Israël Gentes, in acquirenda iustitia. Nota. Hic Apostolus post longam totius capituli disputacionem resoluit quæstionem, & dat propriam causam cur reieicti sint Iudæi à iustitia & salute, Gentes vero ad eam sint ascitæ & eleætæ: nimis quia Iudæi eam quæsierunt, vbi non debebant, scilicet in operibus legis, non in fide Christi, vbi eam posuit Deus. hoc est enim quod subdit Apostolus.

Quare quia non ex fide, sed quasi ex operibus] sup- VERS. 32
ple, iustitiam quæsierunt Iudæi: Gentes vero fidem Christi amplexæ sunt, & per hanc fidem quæsierunt & inuenerunt veram iustitiam.

Offenderunt enim in lapidem offensionis] in Christum. causam subiicit eius quod dixit, Non ex fide: quia scilicet Christum in quem crederent, ut credendo iustificantur, propter eius humilitatem & carnis infirmitatem non agnouerunt, nec receperunt: immo grauiter in eum, velut lapidem humiliantem, offenderunt, malè & indignè eum trahentes.

Christus
Iudeis
fuit lapis
offensio-
nis. cur?

Sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali] id est offendiculi. Ecce, inquit Deus, ego ponam in Sion, id est in Iudæa, vel in Ecclesia, cuius initium ex Sion, hoc est, ex Ierusalem metropoli Iudææ: ponam inquam,

I 2 lapidem

Lapidem probatum, angularem, pretiosum: & eundem lapidem offendiculi: hoc est, Christum ex Iudeis nasciturum, atque inter eos conuersaturum; in quem ipsi, qui sibi recte & inoffensè videbantur ambulare, tanquam ex lege iusti, grauitet impetruri sint & casuri: non sine vulnere, videlicet percussi ac laesi à lapide in quem impegerint.

Et omnis qui credit in eum, non confundetur] Sensus est: Et omnis, siue Iudeus, siue Gentilis, qui crediderit in illum lapidem, id est Christum; videlicet per ipsum à Deo iustitiam & salutem expectans, haudquam pudebit, hoc est expectatione sua nō frustrabitur: quia sicut credidit, omnino futurum est ei. citat Paulus Isaiae c. 28. Porro loquuntur Apostolus & Propheta de fide coniuncta cum spe & fiducia.

C A P V T X.

S V M M A R I V M.

Iudei suam quæ ex lege est, iustitiam statuere volentes, Dei iustitiam quæ ex fide est, & omnibus tam Iudeis quam Gentibus proposita, non sunt affectui. Fides ex auditu est; cuius in omnem terram prædicatio peruenit: quam repellentibus Iudeis Gentes receperunt.

VERS. I. **F**ratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem] propensus animi affectus, & vehemens desiderium mihi est erga Iudeos, ut saluentur. Vnde oro & obsecro pro

pro illis. idque, ne putent ipsi hæc tristia de ipso-
rum repudio & repulsa à Christo me dixisse ex
odio, sed potius ex commiseratione. ita S. Chryso-
stom. Theod. Quæres, quomodo pro illis orare se
dicat, quos sciebat à Deo reprobatos. Respondeo,
Orabat non ut omnes salui fierent, sed ut aliqui
ex illis, scilicet iij quos Deus præordinauerat per
orationes Sanctorum esse saluandos, neque enim
omnes Iudæi reprobri erant. Ita capite sequente: Si
quo modo, inquit, &c. & saluos faciam aliquos
ex illis.

*Paulus
quomodo
pro Iu-
dæis ore
scieb^s esse
reproba-
tos.*

Testimonium enim perhibeo illis, quod emulatio-
nem Dei habent, sed non secundum scientiam] ve-
rū secundū errorem. q.d. Iudæi zelum erran-
tem pro lege Mosaica tuenda habent, putant
que se agi zelo Dei, sed errant; quia verè con-
tra Dei honorem & veritatem agunt, cùm fi-
dem & legem Christi, quæ vera est lex Dei, op-
pugnant.

VERS. 2.

Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam qua-
rentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti] iusti-
tiam Dei Paulus intelligit eam, quæ nos facit iu-
stos, non coram hominibus, sed coram Deo; quæ
sita est in reconciliatione hominis cum Dœo, per
fidem Christi; sicuti Iudæorum iustitia sita erat
in impletione legis coram hominibus. Vnde
eam Paulus vocat iustitiam suam, id est, ex suis
& naturæ viribus & legis operibus partam: huic
enim opponitur iustitia Dei, id est, à Deo & Dei
gratia proueniens. Pro non sunt subiecti, Græca
clariūs habent, non subdiderunt sc, illi non obe-
dierunt. q. d. Quia Iudæi suam iustitiam ex le-
ge quæsierunt, hinc noluerunt se subdere fidei
Christi, ac consequenter, nec veræ iustitiae Dei.

VERS. 3.

*Vera ius-
titia co-
sistit in
recocilia-
tione ho-
minis cù
Deo.*

Hanc enim Deus in fide & obedientia Christi constituit.

VERS. 4. *Finis enim legis (est) Christus, ad iustitiam omnī credenti*] Finis & scopus legis est Christus, quia tota lex ad Christum quasi ad finem, terminum & scopum suum, refertur, tendit, dicit & vocat. Sensus est, Christum esse per quem lex impletur, & vera iustitia acquiratur: quatenus quisque in eum credit ut propitiatorem, per quem Deus & peccata remittat, & gratiam bene viuendi prestat, *ad iustitiam omni credenti*. ut scilicet per fidē Christi omnes credentes in eum iustitiam consequantur. Apostolus dum fidem nominat, etiam cætera vult intelligi, quæ fides monstrat agenda: vel quod eodem recidit, fidem intelligit bona voluntate formam.

VERS. 5. *Mos̄es enim scripsit (Leuit. 18.) Quoniam iustitiam qua ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea*] q.d. Paulus: Qui fecerit iustitiam legis, putat iustum, Viuet in quod lege præscriptum est, hic viuet in ea; hoc est, hic non punietur morte, quam lex transgressoribus suis saepe intentat; viuetque vita temporali, prospera, quam lex seruantibus se, promittit Ezecl. 20. q. d. E contrario vero, qui fidem Christi amplexus fuerit, hic viuet vita iustitiae in hoc mundo, & in futuro viuet vita salutis, gloriæ, & felicitatis æternæ.

VERS. 6. *Qua autem ex fide est iustitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in celum? id est, Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis renovare*] Græce, è mortuis reducere. **& 7.** *Non opus est Christo præse- se ad iustificationem opus est Christo præsente, ut cum videamus, ciuiisque aspectu & præsentia sanemur.*

sanemur & iustificemur? itaque ipse vel cælo vel inferno reuocandus est. Non putes hoc à te peti; propinquus enim & facilis iustificationis iam modus est, si in Christum credas mortuum & resuscitatum, licet absentē; & corde ac ore id ipsum profitearis. q.d. Ne dicas, ô Iudee, legi assuete, Lex Mosi nobis vicina est & plana: fides & iustitia Christi quidem salutem præmittit, sed obscura est & remota. nam erras & falleris: non enim ita se res haber, quia, ut sequitur.

Sed quid dicit Scriptura? prope est verbum (iustitiae & salutis) in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus.] Porro verbum fidei dicit, vel Euangelium quo fides in Christum annunciatur, vel fidem ipsam. ac si diceret: Fides quam prædicamus ut necessariam ad iustitiā consequendam, reuera est eiusmodi, videlicet propte, in ore & corde. Magis ad manum est omnibus iam Euangelium & fides Christi, quām olim fuerit lex Moysi: ita ut fidem hanc omnes facillimè corde, id est mente, complecti, & ore proloqui, itaque iustificari & saluari possint.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum.] V E R. 9.
Nam, inquit, si ore confessus fueris Dominum Iesum descendisse de cælis, & hominem factum. Hæc pars opponitur illi dubitationi: Quis ascendet in cælum, ut Christum dèducat? quanquam absolutè potest accipi ista pars, & quidem melius, ni fallor, hoc modo: Si confitearis ore tuo Iesum esse Dominum. quomodo dicit 1. Cor. 12. Nemo potest dicere Dominum Iesum. nisi in Spiritu sancto, hunc enim sensum expressit ea lectio, quam recitant Hilarius & Augustinus: Quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus

est Iesus. & vtique, si Dominus est qualem confiteri oportet : igitur de cælo descendit. Ad hoc enim descendit, vt hominem redimeret, & ipso redemptionis iure Dominus eius esset.

Et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscavit à mortuis] Opponitur hæc pars alteri dubitationi, Quis descendet in abyssum, vt Christum à mortuis reuocet?

Saluus eris.] Græcè, saluaberis, id est, salutem consequeris, velut iam ex fide & confessione fidei iustitiam adeptus, quæ perducit ad salutem.

VER. IO. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem]* q. d. Fides cordis valet & necessaria est ad acquirendam iustitiam : professio verò fidei, quæ fit ore, valet & necessaria est ad iustitiam hanc conseruandam & augendam, & consequenter ad salutem æternam promerendam & consequendam. *Corde*, id est mente & voluntate, licet enim fides sit actus intellectus, tamen ob eius inevidentiam actusque difficultatem necessarius est concursus & imperium piaæ voluntatis, quæ intellectui imperet, vt tam obscura & difficilia credat; eoque actus hic sit liber & meritiorius.

VER. II. *Dicit enim Scriptura (Isaiæ 28.) Omnis qui credit in illum, non confundetur]* non pudebit, non frustrabitur sua fide & spe, sed iustitiam & salutem speratam omnino assequetur. Credentem, intelligit obedienter, id est, cum voluntate faciendi ea quæ fides Christi præscribit.

Fides obediens.
VER. II. *Non enim est distinctio Iudæi & Graci]* Vrget Apostolus in verbis Isaiæ vocem, omnis. q. d. Omnis siue Iudæus, siue Græcus, qui credit in Christum, hic saluus erit. Deus enim in negotio iustitiae

iustitiae & salutis non distinguit, non curat, an Iudeus sis, an Graecus, id est, Gentilis.

Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui inuocant illum] dives, id est, affluens, liberalis, munificus, & copiosè suas gratias suaque dona elatiens.

Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.] Græcè, *saluabitur*. Hanc sententiam citat Paulus ex Ioële cap. 2. Inuocare nomen Domini, est eum cui Dominus ac Deus nomen est, orare pro salute obtainenda. Sed inuocationem intellige procedentem ex fide. ad hanc igitur inuocationem pertinent omnes orationes, quibus à Deo per Christum petuntur salutaria bona, velut remissio peccatorum, gratia, iustitia, temptationum victoria, perseverantia, vita eterna.

VER. 13.

*Quid in-
uocare
nomen
Dominii,*

Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?] q.d. Quomodo inuocabunt Deum, quasi Dominum & auctorem salutis, omnisque boni, in quem non credunt?

VER. 14.

Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine predicante?] Id est, Quomodo audient de eo in quem credituri sint, si nemo sit, qui eis annunciet? ac si dicat, nec id fieri posse. ex eo quod Deus per Ioëlem omnibus se inuocantibus salutem promiserit, colligit Apostolus omnibus Gentibus prædicandum esse Euangelium.

VER. 15.

*Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?] scilicet, à Deo, vel Christo. multi quidem prædicant non missi, de quibus apud Ieremiam Dominus cap. 29. Non mittebam eos, & ipsi currebant; & tales habet plurimos sæculum hoc nostrum; sed nisi legi-
timi mis-
sus.*

licitè ac legitimè, nemo prædicat nisi legitimè missus, quomodo mitti solent principum legati cum mandatis.

Sicut scriptum est (Isaiae 52.) Quam speciosi pedes euangeliꝝ antiꝝ pacem, euangeliꝝ antiꝝ bona!] q.d. Quàm pulcher, suavis & gratus erit aduentus & discursus annunciantium Euangelium, eiúsque bona & læta nuncia, scilicet pacem cum Deo, gratiam, iustitiam & salutem! seu, quàm grati & accepti erunt auditoribus suis Apostoli, hæc bona hominibus per totum orbem annunciantes & euangelizantes!

Sed non omnes obediunt Euangelio] at non omnes, imò vero pauci, læta hæc nuncia quæ Euangelij nomine significantur, quamuis audita, fide recipiunt, causam esse quòd multi suis vitiis, aut suo Iudaismo affixi, nolint credere & obediare Euangelio, ideóque oculos, aures & animum auertant ab hac sp̄cie & pulchritudine Euangelij & euangelizantium.

Isaías enim dicit, vtique de Iudæis, cap. 53. Domine, quis credidit auditui nostro?] Domine, quis eorum fidem adhibuit sermonibus quos ex nobis audierunt, quos eis, vt Prophetæ tui, prænunciavimus? ac si dicat, per pauci. loquitur Isaías in persona Apostolorum. q. d. Pauci admodum ex Iudæis crediderunt nostro sermōni, nostræque euangelizationi. Auditus ponitur pro prædicatione, quæ auditur, tanquam actus pro suo obiecto.

VſR. 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi] puta per prædicationem Apostolorum, qui quasi legati missi à Christo, eius verbum prædicant.

Sed

Sed dico, nunquid non audierunt?] q. d. Dixi si- VER. 18.
dem debere nasci ex auditu, auditum autem de-
bere nasci ex prædicatione verbi Dei & Christi:
iam verò, vel quin verò dico, & interrogo, Nun-
quid non de facto hunc auditum habuerunt,
nunquid non audierunt Euangelium omnes
Gentes? q.d. Omnino audiuerunt, id est partim
audierunt, partim audient.

*Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum,
& in fines orbis terræ verba eorum.]* Præteritum
ergo hîc ponitur pro futuro, propheticō more,
ob rei futuræ certitudinem: quod enim Prophetæ
futurum prædicunt, tam certò fiet, ac si iam
factum esset. Non ergo sentit Apostolus omnes
omnium sacerdotum homines audiuisse; quod
constat verum non esse: sed significat, tem-
pore præordinato à Deo prædicatum esse, &
prædicari Euangelium, ut per totum mundum
audiatur.

Sed dico, nunquid Israel non cognovit?] scilicet VER. 19.
Gentibus etiam prædicandum esse Euangelium:
licet enim hoc scire nolit & inuidet: scire ta-
men debuit & potuit ex Moysè & Isaia, qui hoc
prædixerunt, vti patet ex eorum verbis, quæ hîc
cito & subiecto, ita Origenes. q.d. Adeò verum
est, Gentibus prædicandum esse Euangelium, vt
id ipsum futurum Prophetæ Iudæis prædixerint,
ideoque Iudæis hoc ipsum cognitum est, aut es-
se debet.

*Primus Moyses dicit, Deut. 32. Ego ad emulatio-
nem vos adducam in non Gentem, id est, emulari fa-
ciam, ad emulationem prouocabo, in Gentem in-
spicientem in iram vos mittam]* hoc est, Ego Deus
vos, ô Iudæi, qui repellitis Euāgelium, ad iram &

inui

inuidiam concitabo, in id est per, non Gentem, puta per Gentiles, qui non fuerunt haec tenus gens mea, quos ad Christi gratiam vocabo, vobisque, o Iudaei, in hac gratia & Ecclesia mea præponam: in id est per, Gentem insipientem, puta per Gentiles, qui haec tenus insipienter vixerunt, & stulte adorarunt idola, in iram vos mittam, bilem & inuidiam iam dictam vobis commouebo.

VER. 20. *Isaias autem audet & dicit*] audacter & liberè loquitur, non veritus suorum offenditionem. nam propter hæc & similia liberè & animosè à se dicta & prophetata, serra disjectus est Isaias à Manasse & Iudeis, ut habet certissima traditio Hebræorum, ait S. Hieronymus Dicit autem non ex seculis, sed Dei vel Christi persona. cap. 65.

Quareto
Dominū
vñ Scrit-
ptura
qui di-
cantur.

Inuentus sum à non quarentibus me.] Præteritum pro futuro positum more propheticō, ob rei certitudinem. *Sensus:* Inuenient me fide ex auditu concepta, qui me non quærebant, ac de me nihil cogitabant, occupati in cultu falsorum deorum, scilicet populus Gentilis. Vnu Scripturæ quærere Deum dicuntur, qui Deum colere volunt & Deo placere, atque in eo bono proficere, quasi nondum affecuti totum quod cupiunt.

Palam apparui iis qui me non interrogabant] puta illis ipsis Gentibus, quæ non me, sed suum Iouem, Martem, Venerem consulebant & interrogabant: postea audita verbi prædicatione, tracti per gratiam meam, quærere me cœperunt.

VER. 21.

Ad Israel autem dicit (de Israël autem dicit:) Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem] per prædicationem Christi & Apostolorum eius, & per crebra miracula ab eis facta, continuè velut expansis ad ample

amplectendum manibus præbui me cognoscendum populo Iudaico; qui tamen persuaderi non potuit ut crederet, sed semper contradixit ac restitit Euangelicæ prædicationi: vt iuxta Simeonis oraculum factus sit illis Christus in signum cui contradicatur, Luc. 2.

C A P V T X I.

S V M M A R I V M.

*Israëlitici populū reliquias gratuita Dei electione
saluatum iri docet: ceteris excæcatis, ac in co-
rum locum Gentibus assumptis. Quas monet
adducta similitudine oleastri & oliue, ne
gloriantur aduersus Iudeos. Fore enim ali-
quando, vt & illi misericordiam consequan-
tur. Sapientia diuina profunditatem exclau-
mans admiratur.*

Dico ergo : Numquid Deus repulit populum VER. 1.
suum? abſit.] Dico, inquit, & quæro occasio-
ne testimoniorum quæ ex Moysè & Ilaia adduxit:
Num igitur Deus repulit populum suum Israë-
liticum, vt non fiat particeps benedictionis pro-
missæ in Christo? Abſit hoc; non repulit Deus
populum suum omnino atque in totum.

*Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham,
de tribu Beniamin.] fidelis tamen & Christianus.
Tales quoque sunt Apostoli, multique alij, ex Iu-
daïs credentes. Non ergo repulit Deus absolute
populum suum, sed tantum eos, qui Christo cre-
dere nolunt.*

VER. 2.

Non repulit Deus plebem suam, quam presciuit.]
 Sensus: Non repulit Deus populum suum Israëliticum qua parte eum præsciuit, seu præcognovit; id est prædilexit, elegit, ac propriè suum esse populum voluit: in quo beneplacitum est ei ab æterno; secundùm illud Psal. 149. Beneplacitum est Domino in populo suo, ac si clarè dicat Apostolus: Quem præordinauit ab æterno ad salutem. Hoc enim Apostolo est præscire. Sic & Augustinus interpretatur ac pluribus declarat li. de Dono perseuerantiae, cap. 18. nec secùs Aquinas, Lyranus, Toletus, & alij.

*Quid A-
postolo
præscire.*

An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? In Elia, hoc est de Elia, vel in gestis Eliæ, quæ scribuntur 3. Reg. 19. vbi Elias apud Deum queritur, eumque interpellat aduersum Israëlitas, puta aduersum Achab regem Israël, eiisque vxorem Iesabel, eorumque affeclas.

Quemadmodum interpellat Deum aduersum Israël? aduersus eum postulat, vel auxilium vel vltionem, tanquam totus à Dei cultu ad impietatem delapsus esset.

VER. 3.

Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt.] Verisimile est Eliam loqui de altaribus quæ passim in excelsis studio quodam pietatis Deo vero erecta fuerant; maximè postquam decem tribus regum suorum tyrannide prohibitæ fuerunt, ne Hierosolymam ascenderent sacrificijs causa. Quāvis enim id in lege veritū esset, ac recte fecerint Ezechias & Iosias reges Iuda, etiam eiusmodi aras euertendo; tamen impium erat eas subuertere odio cultus Dei Israël, vti fecerūt Achab & Iesabel cum suo populo. Tale erat altare quod instaurauit Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18.

Et

Et ego relictus sum solus , & querunt animam meam] quod est, insidiantur vita meæ, querunt me ad perdendum. Dixit hoc Elias mœrens, afflictus, & ex mœstitia pusillanimis, æstimans omnia perdita esse, & longè deteriora, quam reuera erant: vnde pusillanimitatem eius, pariter & errorum corrigit hic Dominus.

*Querere
animam
alicuius,
quid in
Scriptu-
ris.*

*Sed quid dicit illi diuinum responsum ? Reliqui VERS. 4.
mibi septem millia virorum, qui non curuauerunt ge-
nua ante Baal]* quasi dicat: Ne putes, ô Elia, te
solum Dei superesse cultorem; reliquos vel esse
occisos, vel ad Baal deflexisse. Ecce septem millia
mea prouidentia & gratia conseruauit, & à nece
& ab idololatria; qui me æquè colat, vt tu. Recte
quoque annotant Augustinus & Chrysostomus,
non dixisse Dominum, Relicta sunt, sed reliqui
mibi; videlicet ad commendandum gratiæ suæ be-
neficium. ac si dicat: Ego per gratiam meam
mibi ipsi eos seruauit, & ne caderent, aliis tam
multis cadentibus, effeci, id est, perseueran-
tiam dedi.

*Perseue-
rantia
Dei do-
num.*

*Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ , secundum VERS. 5.
electionem gratiæ, salua factæ sunt.]* Sensus est: Si-
cut olim Deus per suam gratiam sibi seruavit se-
ptem millia virorum, qui non flecerent genua
ante Baal, licet id Eliam Prophetam Domini la-
teret; sic & in hoc præsenti tempore, videlicet
promulgati Euangeli, per electionem Dei gra-
tuitam, ex populo Iudaico Christum recipere
nolente, de quo Ioann. 1. Et sui eum non rece-
perunt; factæ sunt reliquiæ, id est reliqui sunt,
remanserunt, ac seruati sunt multi qui Christum
reciperent.

Si autem gratia , iam non ex operibus] si VERS. 6.
per

sciuit.]
Israë-
ognos-
im es-
est ei
nepla-
rē di-
no ad
Sic &
rat li.
Aqui-
Elia,
untur
eum-
duer-
Iesa-
m Is-
m vel
npi-
a suf-
ribus
etatis
n de-
ibitæ
rificij
recte
eius-
sub-
chab-
quod
8.
Et

demeritorum, ut scilicet iusto Dei iudicio, quia ea abusi sunt, & quia ex ea Christum agnoscere noluerunt, iam inde mortem & excæcationem pertant, unde vitam & lumen captabant. ita Anselm. Origen. & Caietan. Vel mensa, hoc est agnus paschalis, fiat Iudæis in laqueum, ut nimis occasione pascharis omnes Hierosolymam conueniant, ibique à Tito obsideantur & capiantur: ita enim re ipsa euenisse, narrat Iosephus lib. 7. Belli cap. 17.

VER. 10. *Obscurantur oculi eorum ne videant]* Id est, mens eorum subtractione tui luminis ita obtenebretur, ut recto iudicio priuati claram ac præsentem veritatem non agnoscant.

Quo sēsu iudei incurvati in terrā. *Et dorsum eorum semper incurua]* nihil cælesti sapient, sed animo ac desiderio semper terram spectent, res terrenas querant ac desiderent; contrà quā veri Christiani, quorum conuersatio in cælis est, dum ea quæ sursum, querunt ac sapiunt, non quæ super terram. Phil. 3. Col. 3.

VER. 11. *Dico ergo: Nunquid sic offenderunt ut caderent? absit]* num ita Dei iudicio sint excæcati Iudæi, ut proflus actum sit de tota natione, nec speranda sit illa restitutio? *absit.* Iudæos non sic offendisse, ut penitus caderent; id est, ut casus irreparabilis, & omnium vniuersalis inde sit fecuturus. Neque enim omnino populum Iudaicum Deus abiecit, sed reliquias sibi inde seruauit, ac ceterorum casu ad tempus vti voluit tanquam occasione conuer-sionis & salutis Gentium.

Deus lapsu iudeo rum usus ad conuersationē Genitrum. *Sed illorum delicto salus est Gentibus, ut illos amulentur]* Sensus Apostoli est: Quin potius delicto seu lapsu siue offensa Iudeorum usus est Deus ad magnum quoddam bonum, scili-

cet

cet ad vocationem & salutem Gentium ; vicissim usurpatione Gentium conuersione ad salutem Iudeorum. Dum enim Gentes ad fidem vocat, Iudeos (sicut per Moysen prædictum) ad emulationem prouocat ; ut qui videant promissa patribus suis facta , & à se neglecta , transferri ad Gentes. ut eos emulentur, id est, ut Gentes prouocent eos, scilicet Iudeos, ad emulationem & sui imitationem.

Quod si delictum illorum diuitie sunt mundi] si,
inquit, delictum siue lapsus Iudeorum per occasionem cessit ac redundauit in spirituales mundi
diuitias , hoc est, in salutem copiosè præstatam
Gentibus toto orbe diffusis.

VER. 12.
Iudeorum
delictum
diuitie
mundi.

Et diminutio eorum diuitiae Gentium] Id est, Si cessit ad multitudinem Gentium conuertendam Iudeorum abiectio,qua factum est, ut tam pauci ex illis fidem susciperent,cæteris infidelitate excusat.

Quanto magis plenitudo eorum?] supple, diuitiae Gentium erunt.cum videlicet plena eorum multitudo atque vniuersus Israël in fine mundi credet Christo,supple,ditabit,& prouocabit, confirmabitque Gentes ad se imitandum;maxime cum multi ex Israëlitis ab infantia in sacris Litteris versati, cum Elia & Henoch per orbem prædicabunt , & Christum è Scriptura efficaciter & clare Iudeis demonstrabunt.

Vobis enim dico Gentibus : quam diu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo] id est, laudabo, honorificè peragam, illustrabo & exornabo prædicationem Euangelij apud Gentes: ut spartam quam natus sum, quæque mihi commissa est, hanc exornem , condecorabo,

K 2 glori

glorificabo tam verbis quām factis.

VERS. 14. *Si quomodo ad emulandum prouocem carnem meam]puta Iudæos, qui mihi secundūm carnem cognati & consanguinei sunt. Sic autem loquitur, vt quodam naturæ vinculo obstrictum se significet ad promouendam Iudæorum salutem. Nam ideo Gentium sum Apostolus, vt nimītum hoc meo apostolatu apud Gentes, prouocem Iudæos ad sanctam quandam emulationem, vt scilicet ipsi tam me, quām Gentes quas conuerto, imitentur in fide & zelo Christi.*

Et saluos faciam aliquos ex illis] Dicit aliquos, sciens suo tempore non futurum vt admodum multi ex eis ad salutem adducantur; plenitudine videlicet in aliud tempus reseruata.

VERS. 15. *Si enim amissio, abiectione, reprobatio eorum, reconciliatio est mundi; qua assumptione, nisi vita ex mortuis?] si Iudæorum abiectione cessit mundo ad peccatorum remissionem: quid mundo conferet eorum assumptione, nisi iustificationem, quae est vita ex mortuis? q. d. Si Iudæorum incredulitas & abiectione, Gentibus & vniuerso orbi attulit occasionem reconciliationis; quia videlicet à Iudæis repulsa ad Gentes pertransiit: quām gaudenda res erit, si etiam ipsi Iudei rursum assumantur ad fidem; videlicet perinde erit, ac si mortuus quis ad vitam reuocetur.*

VERS. 16 *Quod si delibatio sancta est, & massa] Hæc metaphora defumitur ab eo quod in lege fiebat: vbi Deo oblatis, & per hoc sanctificatis frumenti primitiis, vt præcipitur Num. 15. quæcumque massa postea fieret ex eo frumento, reputabatur sancta. Sic igitur si Patriarchæ, qui sunt velut primitiae populi Iudaici, sancti fuerunt; etiam populus*

pulus ipse ex illis progenitus, reputabitur sanctus. ita Chrysostomus.

Et si radix sancta, & rami? Id est, Si Patriarchae, ex quibus velut radice processit arbor Iudaici populi, sancti sunt: ipsa etiam arbor cum ramis suis, id est populus Iudaicus sanctus erit.

Quod si aliqui ex ramis (ex Iudeis) fracti sunt? VERS. 17.
Græcè, defracti sunt, scilicet ab arbore, puta à sua radice, scilicet à fide & iustitia suorum parentum exciderunt, eò quod fideim, quam in Christum venturum habuerunt, in eum venientem abiecerunt. Reprimit gloriationem & fastum Gentilium aduersus Iudeos, persistens in metaphora radicis, arboris & ramorum; & Iudaicum quidem populum, quatenus instar arboris surrexerat ex sancta radice maiorum, eamque generis nobilitatem retinebat. *Quod si, inquit, aliqui Iudeorum recesserunt à sancta societate sui populi, tamquam rami fracti ab arbore bona, cuiusmodi est oliua.*

Tu autem, ô popule Gentilis, cum oleaster es, insertus es in illis?] cùm prius esses oleaster, id est populus profanus & infidelis, ex profanis & infidelibus oriundus; nuper insitus es oliuæ in illis, id est, inter illos, scilicet oliuæ ramos in arbore manentes.

Et socius (particeps) radicis & pinguedinis oliuæ factus es] puta fidei, gratiæ & pinguedinis Spiritus sancti, quam Iudeorum parentes habuerunt, maximè Abraham pater credentium, eiisque posteri, qui fuerunt Ecclesia Dei. hæc enim est oliua.

Noli gloriari aduersus ramos (iam fractos, puta contra Iudeos incredulos.) quod si gloriaris; non VERS. 18.

tu radicem portas sed radix te] quasi dicat : Si tu, ô Gentilis fidelis , insultas Iudæo infideli; respondebitur & dicetur tibi; te tantum insertum esse iadici , id est, fidei & Ecclesiæ sanctorum , Patriarcharum , Prophetarum & Apostolorum , qui omnes Iudæi fuerunt , ab eaque te omnem gloriam & utilitatem sugere , idque gratis: ideoque rursum excindi posse; vt & rami naturales, id est Iudæi, ob superbiam effracti & euulsi sunt.

VERS. 19 *Dices ergo: Fracti sunt rami, vt ego inserar] Id est, Ad hoc Deus permisit Iudæos à fide excidere , vt ego ad fidem intrarem. quasi dicat , Fracti sunt & reiecti Iudæi ab Ecclesia: vnde factum & consequutum est, vt ego Gentilis Iudæorum vice illi aggregarer & insererer.*

VERS. 20 *Bene & rectè dicas, probo quod dicas, illos fractos, & te insitum esse : imò fractos illos ad hoc, vt tu inseraris, sed scito, quòd propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas] Sensus est : Tu autem non tuo opere, sed per fidem insitus in sacram oliuam, eadem fide adhuc in illa stas, id est, manes & consistis : sicut illi , contra quos gloriaris , aliquando steterunt.*

Noli altum sapere, id est, superbire, sed time] caueto, inquit, ne superbias, ne animo efferas propter hoc quòd fide stas in oliua: sed time ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas , sicut illi exciderunt. Gluten enim , quo radici & oleæ iam dictæ vnitis , scilicet fides , non est ita firma, quin ab ea excidere , & consequenter à radice separari possis , vti iam multas Gentes ab Ecclesia separatas , & à fide excidisse videmus.

*Stati me
tendum
me cadas.*

Si enim Deus naturalibus ramis (Iudæis expellendo eos à sua Ecclesia, amicitia, & salute) non percit, time, ne forte nec tibi (Gentili infitio, si in fidem aut vitam Christianam pecces) parcat.

*Vide ergo bonitatem & severitatem Dei] Sensus: VERS.22
Ut intelligas te nihil habere vnde glorieris aduersum Iudæos, considera bonitatem seu benignitatem gratuitam Dei vocantis atque eligentis, & severitatem seu rigorem Dei reiicientis ac reprobantis, & misereri nolentis.*

In eos quidem qui cediderunt severitatem] Quæ permissio ad severitatem pertinet, tanquam diuinæ reprobationis effectus.

In te autem bonitatem Dei] Vide, inquit, Dei erga te benignitatem: qua scilicet te populum Gentilem sine ullis tuis meritis ad Euangelij gratiam efficaciter vocauit.

Si permanseris in bonitate] non tua, vt quidam exponunt; sed Dei. hoc est, in eo ad quod Dei bonitate seu benignitate vocatus es atque adductus. quasi dicat: Si perseveraueris in fide & iustitia. Si permanseris. Hinc enim patet. Primo, quod perseverantia certum est signum & causa electionis & prædestinationis ad salutem & gloriam æternam. Secundo, hinc patet, quod de perseverantia hac nemo sit certus.

Perseverantia diuinæ electionis effectus.

Alioquin & tu excideris] Id est, Tu qui modò ramus es oliuæ per Dei vocantis bonitatem, si in ea bonitate non permanseris, sed per infidelitatem recesseris; eo ipso excidēris, amputaberis ac decides ab arbore societatis electæ.

Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inferentur] Hoc est: Atque è diuerso Iudæi,

si relictâ infidelitate fidem suscepint; eo ipso rursus inserentur arbore oliuæ.

Potens est enim Deus iterum inserere illos] Potens, non nudam Dei potentiam, sed & aetum effectumque significat.

VERS. 24 *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam]* Sensus: Nam si tu homo Gentilis, excisus es ex oleastro, cuius eras ramus naturalis, vtpote secundum carnem ex eius radice propagatus; & tamen contra naturam huius tue originis, per Dei potentiam insitus es in bonam, pulchram & veram oliuam.

Quanto magis iij qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ?] quanto magis, inquit, per eandem Dei potentiam Iudæi, qui secundum naturam sunt, id est, qui sunt rami naturales oliuæ, iterum eidem suæ oliuæ inserentur, sic ut insiti coalescant?

VERS. 25 *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes]* Hoc dico ad deprimendam arrogantiam vestram; ut ne insolescatis, placentes vobis ipsis.

Quia cæcitas ex parte comigit in Israël] Græcè: quod obduratio ex parte Israëli facta est. quod ait: *Nolo vos ignorare*, pro eo quod diceret, scire vos volo, docet aliquando verè futurum esse, apriens mysterium, id est, rem eatenus arcanam & paucis cognitā. Probat hic Paulus id quod dixit, non ita Iudæos esse exclusos ab Ecclesia & regno Dei, quin rursus illi inseri possint, ex eo, quod de facto rursus illi inserendi sint post conuercionem & insitionem Gentium. Idque Apostolus vocat *mysterium*, id est, mirabile, arcanum & stupen-

stupendum Dei iudicium, dispositionem, prouidentiam, permissionem & ordinationem, qua factum est & consecutum, ut missò Christo primò Iudæi excæcarentur, hoc consilio, ut Gentes vocarentur ad salutem, ac deinde omnes Iudæi illuminarentur, crederent & saluarentur. Contigit autem Israëli cæcitas ex parte non exigua vel mediocri, sed multò maxima.

Donec plenitudo Gentium intraret.] Sensus: Donec multitudo Gentilis populi ex omnibus mundi partibus, secundùm prædictiones propheticas, collecta fuerit ad fidem, vel intrauerit in Ecclesiastum fidelium. q. d. Cæcitas erit in Israel, donec numerus eorum, qui ex Gentibus credituri sunt, plenè compleatur, intrèptque in ouile Christi.

Ei sic omnis Israel saluus fieret] id est, saluus erit, saluabitur. Gregorius Papa, non omnes, sed multos ex Iudæis qui tunc in infidelitate renanserint, ad cognitionem veritatis reddituros affirmat. *Omnis Israël, id est, penè omnes, plurimi ex singulis tribubus Israel, excepta vna tribu Dan, in fine mundi conuertentur & saluabuntur.* Ex cipo tribum Dan, quia ex hac nulli signantur inter 144. millia signatorum ex duodecim tribubus Israel, Apoc. 7. Vnde multi putant Dani-
tas adhæsuros contribuli suo Antichristo. Sanè S. Hippolytus & multi alij docent quod Anti-
christus præcipios sectatores & propugnatores habebit Iudæos. ergo omnes omnino Iudæi in fine mundi non conuertentur ad Christum.

Sicut scriptum est (Isa. 59.) Veniet ex Sion qui eripiat & auerterat impietatem à Jacob] puta ab Israël. Jacob enim ab Angelo vocatus est Israël,

Iudæi il-
lumina-
buntur
post Gé-
tium a-
dimple-
tam con-
uersionē.

V. 26.

Iudæi in
fine mudi
ad Chris-
tum cō-
uerten-
tur ex-
cepta tri-
bu Dan,

<sup>Sion ci-
sitas Da-
uid ac
fedes re-
gni.</sup> Genes. 32. q.d. E gente Iudaica, atque ex ipsa re-gia stirpe Davidis (nam Sion erat ciuitas David, ac sedes regni) nascetur liberator ac saluator, scilicet Christus, qui auferat ac aboleat peccata populi progeniti ex Patriarcha Iacob. Quæ pec-catorum illius populi abolitio cùm peracta non sit in primo Christi aduentu per ipsius & Apo-stolorum eius prædicationem, (tunc enim so-læ reliquiæ seruatæ sunt, cæteri excæcati) re-linquitur, introducta Gentium plenitudine, ex-spectanda.

VER. 27. *Et hoc illis à me testamentum : cum abstulero pec-cata eorum]* Sensus: Et hoc illis erit à me testa-mentum, hoc fœdus quod cum eis feriam, hæc promissio: quod abolitus sim peccata eorum: quasi dicat in eo testaméntum hoc implebitur, quod auferam peccata, non aliquorum ē populo, sed ipsius populi. Cùm abstulerit Deus peccata eorum, in fine scilicet mundi, vt ait S. Chrysost. & S. August. per prædicationem Eliæ & Henoch, vt patet Malach. 1. & Apoc. 11.

VER. 28. *Secundum Euangeliū quidem, cui aduersantur Iudæi, inimici sunt, Dei, propter vos]* Ut vos, ô Gentes, hac occasione recipiatis prædicationem & fidem. Vrget, repetit, & inculcat hoc Apostolus, vt Gentes beneficium Euangeliū, sibi occasione Iudæorum præstitum agnoscant, ideoque illis, licet incredulis, non indignentur, sed commis-reatur.

Secundum electionem autem carissimi sunt propter patres] eorum, id est, sanctos Patriarchas; quos su-pra primitiarum & radicis nomine significauit; quorum fides & pietas ita Deo placuit, vt pro-miserit se Deum fore seminis eorum post eos.

Genes.

Genes. 17. & Deuteronom. 4.

Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.] VER. 29.
Sine pœnitentia, quasi dicas, *impœnitibilia*, immutabilia, id est, talia quorum nec possit nec debet pœnitere eum qui dedit aut promisit. Loquitur Apostolus, de promissis & vocatione quæ ex electione procedunt, id est, iis quæ facta sunt absolute & sine conditione. Hæc quippe sunt immutabilia; nec fieri potest ut Deus hominum peccatis offensus, id quod semel absolute promisit, aliquando retractet. Eiusmodi fuere promissiones Abrahæ & Dauidi factæ, de Christo nasciturō : & propheticæ prædictiones de certo tempore quo nasciturus esset. Vnde falluntur Iudæi dicentes aduentum Messiae ultra quam prædictum est differri propter ipsorum peccata. Nunquid enim iniquitas illorum fidem Dei euacuabit? ita docet hac sententia Paulus, non obstante pertinaci infidelitate & aliis peccatis populi Iudaici, certissimè ac suo tempore futurū, ut Deus impleat missam, seruētque testamentum seu patrum quo pollicitus est se ablaturum eiusdem populi peccata.

Sicut enim aliquando & vos? ô Gentes! non credidistis Deo.] VER. 30.
Græcè, increduli fuistis. nam plus est incredulum esse, quam non credere. Gentiles ante Christi aduentum erant sine Deo in hoc mundo, Ephes. 2.

Nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum] propter incredulitatem fracti sunt. Significatur pertinacia non credendi, etiam visis vel auditis idoneis documentis: quod propriè vitium erat Iudæorum, de quibus ait Dominus, Nunc autem, & vide-
runt

Fides do-
nā Dei. runt & oderunt, Ioann. 15. Nota, Apostolum non dicere, Nunc autem credidistis: sed, misericordiam consecuti estis: it intelligent, quod crediderint, esse misericordię Dei fidem largientis.

VER. 31. *Ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam*] id est, increduli fuerunt vestræ misericordiæ. Credere enim noluerunt Iudæi beneficium Dei per Christum ad Gentiles pertinere. Nam vestram misericordiam intelligit misericordiam Dei erga vos. hanc enim Iudæi Gentibus inuidebant.

Vt & ipsi (Iudæi) misericordiam consequantur.] Non solum consecutionem, sed & causam finalē hīc denotat: sicut & in eo quod sequitur, ut omnium misereatur. Hoc quidem loco causam finalē non incredulitatis Iudæorum, sed promissionis diuinæ. Sicut vos Gentiles aliquando increduli Deo, licet nullæ vobis factæ essent promissiones, tamen misericordiam consecuti estis, & adducti ad fidem occasione incredulitatis Iudæorum: ita vicissim de Iudæis quibus factæ sunt à Deo promissiones, existimandum est, ut & ipsi manifestam & insignem Dei misericordiam, adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur. Hæc eò dicuntur, ut neutri alteris exprobrent; sed utrique parem experti misericordiam, unanimes, uno ore Deum salutis authorem collaudent.

VER. 32. *Conclusit enim Deus omnia, in incredulitate: ut omnium misereatur*] conclusit, id est concludi permisit, Deus omnes sub peccato & sub incredulitate. Peccator enim peccato, quasi saxo vel carcere clauditur; quia ex eo sine Dei gratia egredi nequit. Concludit Apostolus totam hanc disputatio

*Peccatum
est velut
carcer.*

tationem suam cœptam cap. 9. scilicet omnes homines tam Iudæos quām Gentes esse peccatores, & sub peccati iugo concludi , atquē indigere gratia Dei & Christi. q.d. Deus tam Iudæos quām Gentes tenebris longæ infidelitatis successuè, & vicissim concludi permisit , vt eos ad fidem & gratiam suam vocaret, ac liberaret ; itaque gloriosam suam misericordiam omnibus pateferet.

O altitudo dinitiarum sapientie & scientie Dei.] VER. 23.
Altitudo profunditatem hīc significat. sensus est: O quām profunda & humanis sensibus imperfscrutabilis est copia seu magnitudo tam sapientie quām scientie Dei. Apostolus hīc diuinæ misericordiæ, de qua præcessit, non minùs quām sapientie abyssum admiratur. Per diuitias accipit hīc Paulus magnitudinem misericordiæ Dei, quā nos diuites fecit in omnibus donis gratiae & gloriae. q.d. O profundam misericordiam , sapientiam & scientiam Dei? misericordiam quā omnium misertus est; sapientiam , quā omnia concludi permisit sub peccato & infidelitate, quāque ita omnia dispensauit, vt primò negligeret Gentes ; vt sic Iudæos eligeret ; deinde Iudæos reiiceret, & sic eligeret Gentes: denique utrosque in fine eligeret, & complectetur. Scientiam, quā omnia futura distinctissimè nouit antequam fiant , vt Iudæorum reiectionem, Gentium adoptionem & iustitiam, quod hoc loco spectat Apostolus.

Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.] Iudicia
Græcè inscrutabilia, explicat Apostolus id quod
 dixit de profunditate sapientie diuinæ. Nam iudicia Dei quibus de rebus statuit & ordinat,
 altus

actus sunt sapientiae eius. Ea inscrutabilia siue incomprehensibilia sunt, & abyssus multa: quia nullus intellectus creatus, nec angelicus quidem potest ad plenum rationes eorum scrutando comprehendere.

Et inuestigabiles via eius.] Sensus est: Rationes operum Dei non posse à quoquam penitus cognosci.

VER. 34. *Quis enim cognovit sensum Domini?]* Neminem perfectè nosse cogitationes & consilia mentis diuinæ.

Aut quis consiliarius eius fuit?] Consiliarium; non tantum qui det consilium Deo, vti explicat Isaias cap.40. sed etiam qui particeps & conscientius sit consilij Dei. q.d. Nemo est conscientius consiliorum & arcanorum diuinorum; ac proinde nemo scrutari debet, cur Iudæis relictis Gentes sibi iam asciuerit Deus. *Quis enim adfuit in consilio Domini?* Ieremias 23.

VER. 35. *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?]* Hanc sententiam sumpsisse videtur Apostolus ex Iob 41. vbi ait Dominus: *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* Porro neminem Deo quippiam primò dedit, quod non acceperit ab eo, probat Apostolus illa sententia quam subdit dicens:

VER. 36. *Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.]* Dicuntur autem omnia esse ex ipso, scilicet Deo, tanquam prima effectrice causa. Et per ipsum, quatenus per eundem omnia gubernantur & conseruantur: & in ipso, Græcè *in ipsum*, scilicet omnia respiciunt & tendunt, quia sic Deus omnia agit & gubernat, vt ea in se ipsum tanquam finem ordinet atque dirigat. Vniuersa enim propter semetipsum operatus est, Proverb. 16.

Ipsi gloria in secula] nempe sit , aut est . Finis finis omni
enim omnium operum Dei est , ut ipse per illa
glorificetur in omnem æternitatem . Quod quo- *niam omnes velle debemus , adiicit approbatio-* niam ope-
rii Dei ,
gloria
Dei .

*Amen] id est , ita fiat . Dignum enim & iustum
est ut in omnia secula glorificetur Deus .*

C A P V T XII.

S V M M A R I V M.

*Hortatur ad nouitatem vita . Docet omnes fide-
les esse unum corpus è multis constans mem-
bris : quorum multæ & variae sint opera-
tiones . Monet ut intra limites doni à Deo dati
quisque se contineat . Excitat ad mutuam di-
lectionem & alias pias actiones . Vindictam
prohibet : beneficentiam præcipit , etiam erga
inimicos .*

O Bsecro itaque vos fraires per misericordiam VER. I.
Dei .] q. d. Docui hactenus , vos , ô Gentes ,
per Dei gratiam & misericordiam ascitas esse ad
iustitiam & salutem ; Iudæos verò ab ea repul-
sos esse : nunc ut à dogmatibus ad mores tran-
seam , obsecro vos , ô fideles , qui tantam Dei
misericordiam , gratiam & iustitiam consecuti
estis , ut Deo grati sitis , ut dignè Deo , tantá-
que gratia viuatis , ut opere præstetis , quod fi-
des dicitat , quódque Deus & Christus à vobis
efflagitat .

Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem] q.d. Offerte Deo corpora vestra, alienate illa à vobis, ac transferte ea tanquam hostiam viuam in Dei dominium, ut iis vtamini non ad libitum, sed ad Dei cultum & honorem. ita S. Chrysostomus.

Viuente] Id est, virtutibus deditam, quia caro vitiis dedita mortua est, inquit S. Gregorius. *Viuente,* id est, quæ vitam, videlicet Christum, in se gerat. *Sanctam,* hoc est, ab omni immunditia & inquinatione peccati immunem: & per hoc *beneplacitum,* id est acceptam & gratissimam Deo cui exhibetur.

Quid obsequium seu cultus rationalis. *Rationabile obsequium vestrum]* Vocat enim Apostolus obsequium seu cultum rationalem eum qui in ratione ac mente situs est, id est, cultum spirituale, ad differentiam cultus externi atque corporei, qualis fuerat Iudæorum, consistens in hostiarum carnalium mactatione. Recta autem ratio dictat, Deum magis interna fide, spe, pietate, amore & puritate mentis, quam externis corporis cæmoniis colendum esse.

Vers. 2. Et nolite conformari huic saculo] Sensus est: Cauete ne vita & conuersatione similes efficiamini iis, qui sectantur huius sæculi seu mundi voluptates & commoda, sūisque seruiunt cupiditatibus.

Sed reformamini in nouitates sensus vestri] græcè, transformamini, ut scilicet, transfeatis ex veteri figura in nouam formam. q.d. Studete quotidiane renouationi mentis vestræ per mortificationem malorum affectuum & cupiditatum. Sicque hac metamorphosi fiet, ut in dies transmutemini magis & magis in alios homines. Induite formam noui

Renouatio mentis in quo fita.

nouitatis sensus, id est mentis; ut mentem virtutibus innouetis, ut diligatis & queratis ea quae sunt mentis & spiritus, ut opera noua, spiritualia & diuina edatis ex hac uoua & diuina forma Spiritus sancti.

Vt probetis quae sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta] Quo magis reformamur spiritu mentis nostræ, eò magis illustramur à Deo, magis que purgata mente probamus & sapimus, quid sit bonum, melius & optimum à Deo volitum, Deo que gratum. Ut sciatis quae sit voluntas Dei bona, id est, quid Deus à nobis velit fieri bonum'; & beneplacens, id est, melius; & perfectum, id est, optimum & sibi grauissimum. Sensus est: ad illam reformationem vitæ vestræ hoc pertinet, ut probetis, id est, exquiratis ac diligenter scrutemini, quae sit Dei voluntas bona beneplacita & perfecta, id est, quâ non præcipit nisi bona, ac sibi placita & perfecta, hoc est irreprehensibilia: probetis, inquam, eo fine ut illam Dei voluntatem cognitam amplectamini & impleatis.

*Fructus
reforma-
tionis in-
terioris.*

*Epirhetæ
voluntatis
Dei bona
benepla-
cita per-
fecta.*

Dico enim per gratiam quæ data est mihi] Id est, per Apostolatum: vel munus Apostolicum gratis mihi à Deo datum. q. d. Ex munere, officio & auctoritate Apostolica dico & edico ea quæ sequuntur.

VERS. 3.

Omnibus qui sunt inter vos] id est omnibus fidelibus qui Romæ estis. Vult enim hæc præcepta ad omnes eos peruenire.

Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem] Irenæus vertit, Sapite ad prudentiam, Hieron. Sapite ad pudicitiam. S. Aug. Sapite ad temperantiam. S. Chrysostom. Sapite ad modestiam, id est, ac humilitatem. Sensus est: Dico &

L moneo

Quid sapere plus quam oportet.

moneo quémque vestrūm, ne supra modum de se sentiat, néne plus quam par est sibi tribuat: sed de se sentiat sobrietate, temperatè, & cum modestia. Cuius quidem admonitionis occasionem Paulō dederat alteratio, quæ Romæ inter fideles Iudæos & Græcos orta fuerat de iustificatione. Nam in ea modestiæ fines excederant non sine iactantiae virtio.

Et unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.] Dico vnicuique vestrūm sapere, id est, ut sapiat, sicut Deus diuisit seu partitus est ei mensuram fidei, id est, sentiat de se iuxta mensuram ac modum doni in fide sibi collati. Nominat fidem, quod illa ceterorum donorum directrix sit ac moderatrix.

VERS. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actionem,*

VERS. 5. *functionem, operationem) habent: ita multi (hoc est, omnes nos fideles, qui sumus quasi varia membra, varias gratias & functiones habentia) unum corpus sumus in Christo, puta una Ecclesia sumus, cuius nexus interior est per fidem & gratiam;*

Sacramēta Christi membrū sunt neutriū. terior per Sacra menta à Christo instituta. Per hæc enim omnes nec timur & iungimur cum Christo, & in Christo; huius enim corporis, id est Ecclesiæ, caput est Christus. singuli autem alter alterius membra.

VERS. 6. *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes] habentes dona diuersa & varia, prout vnicuique nostrūm per gratiam suam largitus est Deus.*

Sicut prophetiam secundum rationem fidei] rationem, græcè proportionem. Prophetiæ nomine intelligit Paulus doctrinam, & ea quæ ad docendi munus

Quid prophetia hic.

munus pertinent. *Secundum rationem fidei.* Fides h̄c est intelligentia perfecta rerum diuinarum & Scripturarum, quæ nō tam humano studio, elabore & industria, quām Dei illuminantis operatione & inspiratione acquiritur. *Habentes prophetiam,* hoc est, gratiam explicandi doctrinam & Scripturam sacram, secundūm analogiam, id est, secundūm proportionem & mensuram fidei, id est, intelligentiæ, sapientiæ à Deo nobis concessæ.

Sive ministerium in ministrando] sive habentes VERS. 7.
gratiam alicuius ministerij Ecclesiastici in quo-
cunque gradu & ordine, ut sunt Episcopatus,
Presbyterium, Diaconatus, &c. Cuiusmodi gra-
tiam qui habet, illi dico, non sibi placeat, sed cum
modestia & cura ad aliorum utilitatem exsequatur
creditum sibi ministerium, sciens se vocatum ad
opus, non ad honorem.

Sive qui docet, in doctrina] Hoc est: Si quis habet
gratiam docendi, id est, ea quæ nouit, aptis & con-
uenientibus verbis explicandi, aliisque tradendi,
vtatur ea facultate ad docendum alios.

Qui exhortatur in exhortando] id est, in exhorta- VERS. 8.
tionis gratia & talento, quod accepit, id facit, pu-
ta exhortatur. Sub exhortatione etiam consola-
tionem accipe.

Qui tribuit in simplicitate] q. d. Qui habet fun-
ctionem & officium distribuendi eleemosynas,
eam habeat in simplicitate, id est secundūm gra-
tiam simplicitatis, bona fide, sine personarum ac-
ceptione, ac sine respectu proprij commodi.

Qui præst in sollicitudine] q. d. Qui præst, in gra-
tia follicitudinis se contineat, in eaque præsit, vt
debitam eorum qui sibi commissi sunt curam &
follicitudinem gerat.

Qui miseretur in hilaritate] q.d. Ergo cùm miseris vtere dono hilaritatis, quod Deus tibi cum officio dedit, vt hilarem te præbeas miseris & ægrotis.

VER. 9. *Dilectio sine simulatione*] q.d. Proximus diligatur sincerè & ex animo, non simulatè. Nam dilectio simulata non est dilectio.

Odientes, abhorrentes malum, vitium, peccatum, adhaerentes bono] & virtuti. bonum honestatem, iustitiam.

VER. 10. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes*] Amore fraterno alius ad alium amanter affecti. ratio, quia estis inuicem membra, non tantùm ut homines, sed ut fideles ac peculiariter hoc nomine fratres.

VER. 11. *Honore inuicem præuenientes*] Præuenit autem, qui anteuertit, id est qui priùs honorat. Intellige, quantum in te est, non enim vterque alterum præuenire potest, nisi voluntate & studio. Ratio præcepti; quia per hoc prouocatur & fouetur mutua dilectio, quam proxima sententia commendauerat.

Sollicitudine non pigri] non grauatim, sed diligenter & promptè, atque ex animo facientes officium, præsertim quo iuuandus est proximus.

Spiritu feruentes] hoc est, impetu quodam animi succensi ad exequendum ea, quæ vestræ sunt functionis & officij. Sic enim existis studio non pigri.

Domino seruientes] vt in omni actione & officio quod proximis impendimus, non quæ nostra sunt quæramus, sed Domino seruiamus, eiùsque honori studeamus.

VER. 12. *Spe gaudentes*] Spem intelligit futuræ retributio-

nis,

tionis. Ea namque animum Christianum fouet, & alacritatem suggерit, & gaudio quodam perfundit in omni opere pietatis, tum verò mirificè consolatur & fortē reddit in afflictionibus huius vitæ. Philo, spem vocat gaudium ante gaudium.

In tribulatione patientes] spe nimirum animati. Nam nisi animus spe præmiorum fulcitetur, in afflictionibus quas pro Christo patitur (de his enim sermo est) durare non posse. S. Athanasius de S. Antonio scribit, eum semper tam in aduersis quam in prosperis lætum fuisse mentisque lætitiam prætulisse, atque ex ea agnitus fuisse ab ignotis.

Orationi instantes] hoc est, in oratione assidue perdurantes, vel instantes cum assiduitate, est cum patientia & perseverantia quadam insistere, incumbete, multum esse & assiduum in aliqua re.

Necessitatibus Sanctorum communicantes] id est, VER. 13. fratrum seu Christianorum indigentiae de vestris facultatibus subuenite, res vestras fratribus inopâ laborantibus communes facite.

Hospitalitatem sectantes] Sedulò eam exercentes erga Christianos hospitio egentes, ne videlicet aut exponantur iniuriis cœli, aut malorum hominum, aut diuertere cogantur apud infideles.

Benedicite persequentiibus vos] hoc est, Bene precamini & orate Deum pro iis qui vobis mortem aut damna moluntur inferre, vel etiam inferunt; quales potissimum erant persecutores Christianæ religionis. VERS. 14.

Benedicite & nolite maledicere] bene, inquam, precamini eis, non male. ne execramini, & ne imprecamini eis mala, scilicet ex animo vindictæ

cupido; nam ex zelo iustitiae mala quandoque impiis imprecati sunt Sancti, ut Elizeus, Job, & ipse Paulus, Act. 23.

VERS. 15. *Gaudere cum gaudentibus*] q.d. Ea sit sympathia inter vos, Christiani, ut fratrum bona vel mala æquè vos ac illos tangant.

Flere cum flentibus] Id est, prospera & aduersa, velut nostra reputemus, atque iis ut propriis afficiamur, lætantes de bonis, dolentes de malis.

VERS. 16. *Id ipsum inuicem sentientes*] sitis eodem animo alius erga alium affecti.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes] non elatè de vobisipsis sentientes ut velitis supra alios eminere, ut ambiatis honores; sed humilia sapientes, id est humiliter ac demissè de vobis sentientes.

Nolite esse prudentes apud vosmetipos] id est, vestra ipsorum opinione, in oculis vestris, q. d. Ne putetis vestra consilia vobis sufficere, quasi aliorum consilio non egeatis, ne nimium veltræ prudentiae & iudicio tribuatis.

VERS. 17. *Nulli malum pro malo reddentes*] Vindictam prohibet: cuius proprium est malum pro malo reddere.

Frouudentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus] q. d. Ita honestè, amicè, iustè & sanctè viuite, ut vita vestra & conuersatio bona & amicabilis non tantum Deo, sed & hominibus probetur, nec à quoquam iure culpari possit, sed cæteris in exemplum virtutis luceat & præfulgeat.

VERS. 18. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*] pacem colentes, in pace viventes, si fieri potest, nempe salua iustitia, pietate

ac veritate, & quod ex vobis est, ne videlicet à vobis
atque ex vestra parte præbeatur vlla dissensionis
occasio.

Non vosmetipsoſ defendenteſ cariſſimi] defendantes, VERS. 19
pro vindicanteſ, vlcifcenteſ, vnde & Tertullianus
legit: Non vosmetipſoſ vlcifenteſ.

Sed date locum iræ] id est, ſinete ut locum ha-
beat. da locum iræ, inquit, hoc eſt. da veniam iræ,
iram & iniuriā tibi illatam condona.

Scriptum eſt enim, Mihi vindicta, ego retribuam,
dicit Dominus] Mihi vltio & retributio, mea eſt vltio,
id eſt, ad me pertinet, ad me ſpectat officium
vlcifendi iniuriā, qui ſum iudex omnium ho-
minum.

Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſuit, VERS. 10
potum da illi] quin tu contrà, potius, confeſ in
eum qui te laſerit, beneficia, quibus videris eum
indigere.

Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper ca-
put eius] S. Hieronym. & S. Augustin. Congeres, Carbones
inquiunt, ſuper caput inimici (eum cibando) car-
bones ignis, id eſt, ignitos, non iræ, ſed charitatis
& amoris, qui eum inflammat ad redamandum.
Nulla maior, ait S. Augustin. eſt prouocatio ad
amandum, quam præuenire amando. Nimirum
efficacissimum eſt philtrum, ut ameris ama. Si
id feceris, tandem ac paulatim accumulatis in
eum beneficiis, velut congestis carbonibus, exci-
tabis in eo pœnitentiaſ dolorem; ſimiliter que eum
succedes ad te redamandum: ut iam pro inimi-
co habeas amicum. ſolet enim per ignem amor
ſignificari.

Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum] Noli
vinci à malitia inimici tui, ut teipſum vlcisci velis,

Amor per
ignem ſig-
nificatur.

Vincere
in bone
malum
quid.

non exspectata Dei vindicta; sed vince eius malitiam tuâ beneficentia. Egregie vero Christiana illa virgo sanctitate illustris apud D. Taulerum mortis rogata, quomodo ad tantam sanctitatem pervenisset? Respondit, Primo, afflictiones meas nulli nisi Deo questa sum. Secundo, Erga omnes liberalis fui, saltem animo. Tertio, Iis à quibus laesa fui beneficium singulare rependi, quod non fecisem, nisi laesa ab eis fuisset. Ecce haec est voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, quam à versu 2. hoc usque per singula persequitur, hinc compleat & perficit Apostolus.

CAPUT XIII.

SUMMARIUM.

Magistratibus parendum ut Dei ministris, redenda omnibus debita, proximus diligendus, quod qui facit legem implet. abiectis operibus tenebrarum induenda sunt arma lucis; adeoque ipse Christus.

VERS. I.

Omnis anima, omnis homo, potestatisbus sublimioribus subdita sit] puta in temporalibus subdita sit regi & potestati ciuili, quod propriè hinc intendit Apostolus; per potestatem enim ciuilem intelligit: in spiritualibus vero subdita sit Praelatis, Episcopis, Pontifici.

Non est enim potestas nisi à Deo] Non tribuanus, inquit August. dandi regni atque imperij Dei c. 21. potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in segno

regno cælorum solis piis, regnum verò terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iustè placet.

Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt] quæcunque sunt potestates, id est, quicunque sunt homines potestate prædicti, ut principes ac magistratus, si sunt ordinati atque instituti, &c., ut Petrus loquitur, missi à Deo, dante potestatem & volente, ut eis tanquam suis in ea potestate vicariis obediatur, &c.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.] Porrò resistunt potestati, quicunque resistunt, id est, obedire nolunt legi siue edicto quod à potestate procedit. V. 2.

Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt] tum ab ipsa potestate temporariam, tum à Deo æternam in inferno. ita S. Chrysost. Theoph. Oecumenius.

Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali] non intentant pœnas & supplicia bonis, sed malis. V. 3.

Vis autem non timere potestatem : bonum fac, & habebis laudem ex illis] tum quia punitio malorum, quam fecit magistratus, laus est bonorum ; tum quia idem magistratus bonos laudat & præmiat.

Dei enim minister est tibi in bonum] in bonum tuum, scilicet, ut & iustè ac tranquillè viuas: immo laudem etiam ac præmia consequaris, si non ab hominibus, certè à Deo cuius ille minister est. V. 4.

Si autem malum feceris, time] si verò quid mali commiseris, ut furtum, adulterium, homicidium, est quod timeas.

Non enim sine causa gladium portat.] Græcè,

*frustra. Princeps siue potestas non frustrâ gla-
dium gestat ; sed vt eo vtatur , vt eum stringat in
malefactores.*

Potestas *Dei enim minister est : vindex in iram ei qui ma-
facutaris lum agit] Ad hoc enim instituta est potestas sa-
ad quid cularis, vt & pacem publicam conseruet , & vitæ
insti- communis honestatem tueatur.*

VERS. 5. *Ideo ne cessitate subditi estote] id est , Legibus &
edictis eius obtemperate: oportet, inquam, neces-
sitate præcepti.*

*Non solum propter iram , sed etiam propter con-
scientiam] ne scilicet ea fiat rea inobedientiæ
coram Deo : Dei enim minister est Magistratus.*

VERS. 6. *Ideo enim & tributa prestatis] Nam solutio tri-
butorum subiectionis est professio.*

*Ministri enim Dei sunt , in hoc ipsum servientes]
toti scilicet in hoc ipsum incumbentes , vt Dei
loco bonis sint in tutelam , malis in vltionem.*

VERS. 7. *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum (de-
betis) tributum (reddite;) cui veſtigat (debetis) ve-
ſtigal reddite] Latinè veſtigal à vehendo dicitur:
quia soluitur ex his quæ advehuntur , vel evehuntur , ad securitatem & restorationem via-
rum, pontium, aggerum, &c.*

*Cui timorem (debetis) illi reddite timorem] id
est, reverentiam, & inde consequentem obedien-
tiā, ita S. Chrysostomus.*

VERS. 8. *Nemini quicquam debeatis , nisi vt iniucem dili-
gatis] reddite cuique quod debetis , sic vt non
amplius debeatis , uno debito charitatis ex-
cepto.*

*Qui enim diligit proximum , legem implevit] le-
gem , scilicet eam quæ proximum spectat , quam
subdit Apostolus , dicens : Diliges proximum
tuum,*

tuum, sicut te ipsum.

*Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, VER. 9.
non falsum testimonium dices, non concupisces: & si,
quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur:
Diliges proximum tuum sicut te ipsum.] Quia dilec-
tio proximi includit & præsupponit dilectionem
Dei, ut sui causam & fontem. proximus
enim diligendus est propter Deum.*

*Dilectio proximi malum non operatur] Id est, non VER. 10.
incitat ad malum aliquod inferendum proximo:
imò nec patitur ei malum inferri: sed vbi potest
procurat ei bona sicut sibi ipsi.*

*Plenitudo ergo legis est dilectio] Plenitudo, hoc
est consummatio, adimplentio, id est, finis & sco-
pus legis est dilectio; quia tota lex intendit nos du-
cere ad charitatem.*

*Et hoc (scilicet, quod iam dixi, præstems) VER. 11.
scientes quia hora est iam nos de somno surgere.] Et
hoc, id est, idque cum sciamus tempus, id est, op-
portunitatem, quam nobis adfert Euangeliū,
scilicet ad diligendum proximos, ad reddendum
omnibus debita, ad implendam totam legem, iam
adesse: & quia iam tempus est & hora de somno
peccatorum surgendi. En tempus & opportuni-
tas, scilicet hora diei, gratiæ, fidei, & legis Christi
iam adest, qua sol ipse Christus radios & lumen
fidei per orbem spargere incepit, tenebris erro-
rum expulsis.*

*Nunc enim propior est nostra salus, quam cum cre-
didimus] id est, quam fuerit ante Christi aduen-
tum; cum sola fide absentem Christum, & gra-
tiam ac salutem futuram crederemus & spa-
remus. Aliter S. Chrysostomus. q.d. Paulus: Quo
magis ætate, æquè ac fide & meritis crescamus,
eo pro*

eo propius fini & beatitudini æternæ accedimus
nunc, quām cūm credere incepimus.

VER. 12. *Nox præcessit.]* Nox huius sæculi plena te-
nebris errorum, & peccatorum longè iam pro-
gressa est, ad finem properat, ac fermè iam
præteriit.

Dies autem appropinquauit] id est, tempus ex-
spectatæ salutis & gloriæ, quod est perpetua
dies sine nocte, expers errorum & peccatorum,
iam propè accessit, propinquum est, instat, non
longè abest.

Opera tenebrarum peccata. *Abiciamus ergo opera tenebrarum, & indua-
mur arma lucis.]* Abiicienda sunt nobis opera
noctis, & tenebrarum, id est peccata quæ lu-
cem fugiunt, quia qui malè agit, odit lucem,
Ioan. 3. & assumenda sunt arma lucis, id est bo-
na opera, quæ clara die sine pudore possunt of-
fendi.

VER. 13. *Sicut in die honeste ambulemus]* quoniam dies
iam affulget, quæ luce sua omnia detegit, hone-
stè, compositè, decenter ambulandum, conuer-
sandum nobis est.

Non in comedationibus & ebrietatibus] comes-
sationes sunt conuiuia, quæ non honestatis, sed
gulæ causa sunt.

Non in cubilibus & impudicitiis] hoc est, non
in fornicationibus, quæ sunt in cubilibus & for-
nicibus, est metonymia. *& impudicitiis;* id est aliis
fœdioribus speciebus libidinis, Græcè enim est
lasciuia, id est, petulantior libido.

**Quid cō-
tentio.** *Non in contentione & emulatione.]* Conten-
tio est concertatio pro gloria & honore, cui sem-
per coniuncta est emulatio, id est inuidia boni
alieni.

Sed induimini Dominum Iesum Christum] vt
scilicet Iesus , id est Iesu spiritus , gratia , virtus ,
vita in vobis eluceant . Induimini ergo & ornate
vos Christi virtutibus: maximè vt externa vita &
professione , quasi ueste agnoscant omnes vos es-
se seruos Christi . ita S. Chrysostomus Christum
induere , est Christi virtutes in se exprimere , id
que copiose & perfectè . Induere Christum , est
vndique in nobis per sanctimoniam & mansue-
tudinem Christum in nobis conspicuum esse .
Homo enim indutus id esse videtur , quod in-
dutus est: appareat itaque in nobis Christus , ait
Chrysostomus .

Et carnis curam ne feceritis in desideriis] ad Curans
explenda desideria , seu cupiditates . Non sim- carnis
pliciter prohibet curam seu prouidentiam car- agere
nis , id est corporis , cùm ipse alibi dicat : Nemo que-
carnem suam vnquam odio habuit , sed nutrit &
fouet eam , Ephes. 5 . Verùm prohibet , ne carnis
curam agamus in desideriis , id est , ad satisfacien- natus li-
dum concupiscentiis , & voluptatibus car- cent.
Quod faciunt qui prætextu cu-
randi corporis delicias & vo-
luptates sibi indul-
gent.

CAP V T XIV.

S V M M A R I V M.

Qui in fide probè instructi sciunt nullum cibum immundum esse, infirmos in fide suscipiant: nec alij alios iudicent, Christum iudicem omnes habituri. Firmi infirmos ne scandalizent, sed fide sua apud Deum contenti sint. Quod non est ex fide, peccatum est.

VER. 1. *Infirmum autem in fide assumite] id est, ad conuersationem vobis adiungite, & habete ut fratrem, nec repellite tanquam alienum à Christo, quin potius ut infirmum & cura egétem fouete.*

Non in disceptationibus cogitationum] id est opinionum. Græcè, non in altercationibus disputationum. Nolo, inquit, cum eo, sub prætextu doctrinæ Euangelicæ contendatis.

VER. 2. *Alius enim credit se manducare omnia] q. d. Alius putat licere vesci omnibus quasi mundis, eò quod in lege Euangelica nihil legaliter sit immundum.*

Qui autem infirmus est, olus manducet] qui autem infirmus est fide, comedat olus, vel quid simile, quod lege Mosaica constat non esse prohibitum, abstinenſ à prohibitis.

VER. 3. *Is qui manducat, non manducantem non spernat] id est, non habeat vilem eius salutem, scandalum ei ponendo, dum exemplo suo facit eum comedere contra conscientiam.*

Et

*Et qui non manducat, manducantem non indi-
cer.] id est, non condemnnet tanquam legis trans-
gressorem, aut immundo cibo se contaminan-
tem.*

Quid
spernere
nō man-
ducantē.

*Deus enim illum assumit] illum scilicet man-
ducantem assumit in seruum & cultorem suum;
& proinde non est ab alio iudicandus. q. d. Quis
ergo eum iudicet & damnet, quem Deus proba-
uit & aduocauit?*

*Tu quis es qui iudicas alienum seruum?] Græcè, VER. 4.
famulum domesticum. iubet ergo, ut non man-
ducans Iudæus manducantem Gentilem non iu-
dicet, sed Dei, cuius seruus est iudicio eundem
relinquat.*

*Dominò suo stat, aut cadit] non tuum est iudi-
care quasi peccantem edendo quæ tu putas im-
mundam; habet Dominum ac iudicē suum Deum,
sive Christum, à quo absoluetur, si benè agat; vel
condemnabitur, si malè. Hoc enim est Domino
suo stare aut cadere, à Domino suo absolu-
dum esse aut condemnandum.*

Seruus
domino
suo stat
aut ca-
dit, &
quo sen-
su.

*Stabit autem] ac si dicat: Imò tibi affirmo, quod
non cadet, non condemnabitur iudice Domino
suo, sed stabit, id est absoluetur.*

*Potens est enim Deus statuere illum.] Id est effi-
cere ut stet. Quamuis, inquit, homines in fide
non satis instructi eum iudicent, id est condem-
nent: tamen Deus potens est eum absoluere, &
suo iudicio iustificare: quod & faciet.*

*Nam aliis iudicat diem inter diem.] Iudæus in VER. 5.
fide Christi adhuc infirmus, vno die secun-
dum præscriptum legis veteris certis cibis absti-
net, aliis diebus non abstinet: Gentilis vero iu-
dicat omnem diem esse æqualem; & omni die
indif*

indifferenter quo quis cibo vescitur, fruens libertate Euangelij & vterque benè facit. Nota, Apostolum tantum loqui de festis, & ieuniis Iudaeis, & quia tum nondum erant Sanctorum festa velieunia Christianis ab Ecclesia indicta, & instituta.

Alius autem iudicat omnem diem] non solum autem ciborum, sed & dierum discrimina fuisse iudaizantibus in obseruatione, constat ex epistolis ad Gal. 4. & Col. 2.

Vnusquisque in suo sensu abundet] Græcè in propriamente, hoc est, quisque suo iudicio perfruaratur, plenè illud sequatur, quisque suum sensum abundè expleat. Vterque enim suum sensum sequendo benè agit: nam vterque Domino manducat, vel non manducat. ita Basilius: Quisque, ait Ambrosius, suo consilio remittatur.

VARS. 6. *Qui sapit diem, Domino sapit] qui sapit, hoc est qui iudicat, & discernit diem abstinentiæ à die, quo non est abstinentium. sapore enim discernimus cibos: hinc sapere hīc significat discerne-*

*Sapere
pro discernere.* *re, & discernendo obseruare diem abstinentiæ; qui ergo ita sapit, & discernit diem abstinentiæ; Domino sapit, hoc est, ad Dei legislatoris obsequium id facit & discernit. ita S. Chrysoft. Sentit Apostolus ita vtrumque de altero existimare debere; quod nimur ad Christi Domini faciant honorem, id ipsum quod faciunt.*

Et qui manducat (idolothyta, & cibos lege vetitos) Domino (ad Domini Deihonorem) manducat.

Gratias enim agit Deo] scilicet manducaturus.

Et qui non manducat (qui idolothyta & cibis lege vetitis abstinet) Domino non manducat] id est, ad Dei honorem ijs abstinet.

Et

Et gratias agit Deo] non tam quia vetitis ab-
stinet, quam quia lege concessis vtitur.

Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi mori-
tur] q.d. Non ad nostrum vsum & commodum
principiū, sed ad Dei obsequium viuimus &
morimur : ille enim est Dominus nostræ vitæ &
mortis.

Sive enim viuimus, Domino viuimus ; sive mori-
mur, Domino morimur.] Nemo nostrum viuit pro-
pter se, id est, ad suam ipsius gloriam aut commo-
dum, tanquam finem suæ vitæ, sed ad gloriam
Dominii, cuius est seruus: & nemo nostrum eligit
mori propter se, sed propter Dominum.

Sive ergo viuimus, sive morimur, Domini sumus]
q. d. Totum, quod sumus, quod agimus, quod
viuimus, quod morimur, est Christi Domini: eius
enim serui sumus.

In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit,
vt & mortuorum & viuorum dominetur] vt domi-
netur, id est, vt exerceat acceptæ potestatis & do-
minij vsum. Nam Christus à primo instanti suæ
incarnationis, ratione vniōnis hypostaticæ, fuit
Dominus omnium: sed post mortem huius do-
minij plenum exercitium accepit. Sicut Chri-
stus mortuus est vt dominetur mortuorum, ita
resurrexit vt dominetur viuorum: ergo resurge-
mus in vitam æternam, vt Christus nobis viuis
dominetur in æternum.

Tu autem quid indicas fratrem tuum?] Compel-
lat hac parte non manducantem, id est, eum qui
fide infirmus est, vt patet ex supradictis. Sequen-
ti autem parte manducantein alloquitur.

Aut tu quare spernis fratrem tuum?] vt qui man-
ducando scandalum ei præbeas. Spernis, Græcè fratrem

VER. 2.

VERS. 8.

VER. 9.

Christus
post mor-
tem ob-
tinuit
exerci-
tium do-
minij sui

qui scandalum ei ponit. pro nibilo habes. Nam qui fratri scandalum ponit, ita agit ac si salutem eius nihil penderet. Porrò non iudicandum esse, docet ex eo quod Christus est omnium nostrum iudex.

Omnis enim stabimus ante tribunal Christi] q. d. Ille unus erit iudex, scilicet Christus: ergo inuidicem non iudicemus.

VERS. 11 *Scriptum est enim (Isaiae 45.) Viuo ego (iuro per vitam meam) dicit Dominus, quoniam (quod) mihi flectetur omne Genu, (omnes Gentes me colent & adorabunt. Est enim hoc loco prophetia de conversione omnium Gentium ad Christum.) & omnis lingua confiebitur Deo] q.d. Omnes homines me Christum hominem agnoscunt pro Deo, & inde summo, laudabuntque meam clementiam vel iustitiam; sed boni voluntarie, mali inuidete & coacte.*

VERS. 12. *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo] pro se, Græcè, de seipso, id est de factis propriis, non de alienis.*

VERS. 13 *Non ergo amplius inuidicemus: sed hoc iudicate (discernite, statuite) magis ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum] Porrò scandalum, quo significatur omne id quod prolapsionis & ruinæ causam adfert.*

VERS. 14. *Scio & confido in Domino Iesu, à quo didici, & scio id, quod dico & doceo. Quia (quod) mihi commune per ipsum. q. d. Scio per Christum, id est per Christilegem & libertatem nullam escam esse communem, id est immundam, nisi ei qui per errorem vel conscientiam erroneam, existimat quid commune esse, illi commune, id est, immundum & vatum, est.*

VERS. 15 *Sicutim propter cibum frater tuus contristatur, iam non*

non secundum charitatem ambulas] q.d. Si frater tuus existimat cibum esse communem & vitandum; & tu tamen eum comedis, itaque fratrem contristas & scandalizas; peccas contra charitatem: prouocas enim illum, ut contra conscientiam eundem cibum comedat.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est] Perdas, inquam, datus occasionem vel temerè iudicandi te, vel infeliciter imitandi. q.d. Christus dedit vitam pro fratre tuo, tu pro eo da, aut potius relinque cibum.

Non ergo blasphemetur à Gentibus propter vestram discordiam & scandalum bonum nostrum] scilicet libertas & fides Christiana, quam ut si deles per scandalum non obiciant blasphemiae Gentilium, monet & urget hic Apostolus: Gentes enim scandalizabantur, & à Christianismo auertebantur, cum videbant Christianos ita inter se contendere de cibis, & ciborum delectu.

Non est enim regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto] q.d. Pietas, fides, & gratia, quibus Deus regnat in nobis, non consistunt per se in certo cibo & potu, quasi haec per se necessaria sint ad gratiam & beatitudinem asequendam.

Qui enim in hoc (in hisce quæ dixi, puta in pace, iustitia, & gaudio Spiritus sancti, in quibus constitut regnum Dei) seruit in Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

Itaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ adificationis sunt, in inuicem custodiamus] videlicet præbentes inuicem bona exempla, quibus ædificantur & confirmantur proximi in fide & pietate.

VERS. 15

VERS. 17

VERS. 18

VERS. 19

VERS. 20

Noli propter escam destruere opus Dei] puta ædificium Dei, scilicet fidem, charitatem, & religionem Christianam in proximo, vel opus Dei, hoc est proximum ipsum, quem Deus fecit Christianum, fidelem, pius, immo domum & templum suum.

Omnia quidem sunt munda] nihil est commune per seipsum.

Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat malum, id est, peccatum est homini, id quod per se mundum est, edere per offendiculum, id est, cum offendiculo & destructione proximi.

VERS. 21

Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque (aliud simile facere) in quo frater (proximus) tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur.

VERS. 22

Tu fidem habes?] Dices mihi, inquit, te fidem habere qua credas, ac certò persuasum habeas omnia esse munda, ac legem cessare per Christum: proindeque licitum tibi esse vesci quibuslibet: atque eam fidem te velle profiteri libero ciborum vsu. Sequitur responsio:

Penes temetipsum habe coram Deo] q. d. Noli ille lati iactare, illaque uti, cum fratri scandalo.

Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat] quod eligit, quod amplectitur. q. d. Beatus est qui nihil agit contra conscientiam, qui non mouet sibi dubia, & scrupulos in re alias licita & adiaphora, qualis est vesci idolothysis, aut cibis Iudeis vetitis.

VERS. 23

Qui autem discernit cibum à cibo, quasi illicium & vetitum, à lictio & permisso; si manducaverit, damnatus est (peccati & damnationis reatum incurrit) *quia non ex fide]* hoc est, quia non ex conscientia

scientiæ dictamine & credulitate , qua credit licere hoc cibo vesci , supple manducat . q. d. Quia manducat , & agit contra conscientiam , hinc peccato & damnationi se obstringit. ita Chrysostomus.

Omne autem quod non est ex fide peccatum est.] Sensus est : Omne quod quis agit non persuasus id sibi licere, sed vel illicitum putans , vel dubitans utrum liceat , peccatum est. Qui discernit cibum hunc , quasi illicitum ab alio licto , si manducat id quod discernit quasi illicitum , damnatus est ; quia non ex fide , id est , quia non ex credulitate quod id liceat , sed contra conscientiæ dictamen manducat. Apostolus enim per fidem hic , non intelligit fidem Christianam , sed credulitatem , persuasionem , & dictamen conscientiæ.

C A P V T X V .

S V M M A R I V M .

Monet ut firmi ferant infirmos. Hortatur ad concordiam , Christum ostendit Iudeis promissum & redditum : Gentibus ex misericordia annunciatum. Fructum exponit Euangelij sui in Gentibus. Venturum ad ipsos pollicetur ; simul atque collectam pauperibus Sanctorum destinatam pertulerit Hierosolymam.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates in- VERS. I.
firmorum sustinere.] Debemus id facere : videli-
M 3 ect

cetad significandum, hoc quod dicit, omnino pertinere ad debitum fraternae charitatis, cum ubi opportunum est, instruuntur, ut & ipsi confirmentur in fide cæterisque virtutibus.

Et non nobis placere] non nostro animo morem gerere, ut quæ grata nobis sunt & utilia sectemur cum proximi scandalio vel incommodo. v. g. ut idolothyta & escas lege vetitas comedamus cum offendiculo infirmorum.

VERS. 2. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad edificationem*] id est, ad promouendum verum eius bonum, quod est fides, iustitia, salus æternæ: quod dum sit, proximus ipse ædificari dicitur.

VERS. 3. *Etenim Christus non sibi placuit*] q. d. Imitamini Christum, nam Christus suæ voluntati, naturæ, quieti, & commodis non seruiuit, ut nos & nostra negligeret; sed ea omnia, & vitam suam pro nostra salute exposuit: ita ergo & nos Christiani debemus facere pro fratrum salute, eorumque infirmitates sustinere; & ne eos scandalizemus, &c.

Sed sicut scriptum est] sed nobis placuit in bonum, vel infirmitates nostras sustinuit.

Psal. 68. *Improperia improverantium tibi ceciderunt super me.*] Sic ob ea indolui, ut pro illis tanquam meis quæ secesserit tulerit Christus ipsius peccatis, ad placandam iram tuam in eos qui hæc admittebant, me humiliauerim usque ad mortem crucis, exsoluens quæ non rapui: qua in re declaravi quanta mihi cura fuerit salutis eorum.

VERS. 4. *Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*] Doctrinam intellige qua instruimur ad pietatem & salutem æternam. quæ do-

Et in diuinis Scripturis propria est. Quæcumque scripta sunt in S. Script. præsertim de Christo, ad nostram qui Christiani sumus doctrinam, institutionem & imitationem scripta sunt.

Vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus] futuræ gloriæ & vitæ æternæ. Pro per consolationem, græcè est, per Scripturarum exhortationem, scilicet ad bona opera: hæc enim spem exacuant. Facit hoc Scriptura per exempla, quæ narrat, per exhortationes, per promissiones & præmia, quæ Deus seruis suis promittit in Script. His enim nos consolatur, exhortatur, & in spem beatitudinis excitat.

Deus autem patientiæ & solatij det vobis id ipsum sapere in alteris secundum Iesum Christum] Sensus est: Deus patientiæ & sanctæ consolationis author, det vobis ut sublati dissidiis & altercationibus quas habetis inter vos, siue de iustificatione, siue de ciborum ac dietum obseruatione, idem inter vos mutuò sentiatis, idque secundum Iesum Christum, hoc est, secundum doctrinam quam Christus docuit, vel quam tradit religio Christiana.

Ut unanimes uno ore honorificeris Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi] Hoc admonet tum propter firmos & infirmos: tum verò propter Iudeos & Gentiles. quos omnes vult, positis dissensionibus, uno animo & uno ore Deum glorificare.

Propter quod suscipite inuicem] Sensus: Alius alium sibi adiungat; firmus infirmum, doctus rudem, Gentilis Iudeum, & contrà: fouéatque eum & supportet ac instruat, & ut semel dicam, salutem eius fraterna sollicitudine curet.

Sicut & Christus suscepit vos, in honorem Dei]

VERS. 5.

VERS. 6.

VERS. 7.
Inuicem
suscepere
quid sit.
Christus
quomodo
nos susce
perit.

quemadmodum & Christus nos sibi adiunxit, salutis nostræ curam habuit; adeò ut suo sanguine redemptos, fratres suos ac Dei Filios efficeret, ut per hoc Dei gloriam & honorem promoueret; ita vos quoque inuicem assumite, vt in vnitate & concordia vestra Deus glorificetur.

VERS. 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisio[n]is propter veritatem Dei] Illud est, inquit, quod dico, Iesum Christum ministrasse Euangelium Iudeis (quos nomine circumcisionis designat), per semetipsum illis Euangelium prædicando; idque pro veritate seu fide Dei præstanta, id est, ut Dei fidem seruaret.*

Ad confirmandas promissiones patrum] id est, ad implendas promissiones à Deo patribus eorum factas, Abrahæ, Dauidi, ac cæteris. Confirmatur enim promissio, dum exhibetur res promissa.

VERS. 9. *Gentes autem super misericordia honorare Deum] Gentes verò, quibus nulla facta promissio est, di[ce]o debere Deum glorificare & laudibus celebrare, pro misericordia sibi præstata.*

Sicut scriptum est, Psal. 17. Propterea (propter vocationem, gratiam, aliaque beneficia Gentibus præstata) confitebor tibi in Gentibus Domine. quasi dicat: Inter Gentes, ô Domine, apertè profitebor, & celebrabo tuum nomen, misericordiam & beneficia eis exhibita. & nomini tuo cantabo] celebrabo diuinum nomen tuum, vt tu Deus glorificeris. Hoc quoque Christus se facturum dicit in Gentibus; quia per totam Gentium Ecclesiam id nunc facit in suis membris.

VER. 10. *Et iterum dicit (Deuter. 32.) Letamini Gentes cum plebe eius] cum Iudeis conuersis. Conglomerat Apostolus h[ic] testimonia Scripturæ de vocatione Gen*

Gentium, tum ut Iudaeis eam magis persuadeat, tum ut Gentes hoc beneficium magis ponderent, Deoque gratias agant.

Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi] Inuitantur ergo omnes Gentes & populi ad laudandum Deum promisericordia confirmata, & veritate exhibita populo Israelite.

Et rursus Iesaias ait (c. 11.) Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes] Sensus est: Hoc quod dico, aliquando futurum est. Radix Iesse, id est Christus oriundus ex stirpe Iesse patris Dauid secundum carnem, idem ipse qui exsurget & stabit, futurus instar signi in altum erecti, ad quod vndeque populi confluant: exsurget, inquam, ut Gentibus imperet, sitque earum princeps: ille est, quem Gentes suae vocationis gratiam agnoscentes requirent, in quem sperabunt, adeoque deprecaturae sunt: tantum abest ut eius imperium & principatum sint recusatura. Christus, quoad diuinitatem, est radix Dauid, licet quoad humanitatem ipse fuerit ex radice Dauid. Nam Christus, quia homo, natus est ex semine Dauid; sed quia Deus, fuit radix, id est, creator & Dominus Dauidis. ita explicat se Script. Apoc. 22. cum dicit: Ego sum radix & genus Dauid.

Et qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt] q.d. Radix hic ille est, vel idem est, qui reget Gentes.

Deus autem spes] scilicet auctor, cuius gratia factum est, ut in eum speretis.

Replete vos omni gaudio & pace in credendo] ut nimis in fide suscepimus nullas contentiones cum

M s fratti

VER. 11.

VER. 12.

Christus
vocatur
radix
Iesse.

VER. 13

fratribus habeatis, uti haec tenus habuistis Iudei
cum Gentibus; sed perennem pacem & concor-
diam mutuam colatis.

Vt abundaris in spe & virtute Spiritus sancti]
vt spes in vobis augeatur magis ac magis, auge-
sciente nimis causa sperandi, quae est gaudium,
pax & magna charitas: spes, inquam, augeatur per
virtutem, id est efficacem operationem Spiritus
sancti.

VER. 14. *Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis,*
quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni-
scientia, ita ut possitis alterutrum monere] q.d. Ego
vos, o Romani, hac epistola doceo & admoneo,
non quasi ignoratos, torpidos, aut improbos, qui-
que non possitis inuicem monere: certus enim
sum, vos plenos esse dilectione & scientia; sed
tantum, ut ostendam animi mei affectum erga
vos, utque memoriam eorum quae scitis vobis re-
fricem, tanquam Apostolus uester, ut ipse se ex-
plicat versu sequenti.

VER. 15. *Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte (id*
est, aliquantulò audaciùs, paulò liberiùs) tan-
quam in memoriam vos reducens, non omnia quae in
hac epistola vos docui, ignorabatis: sed bonam
eorum partem vobis tanquam scientibus ad me-
moriā reducere volui, propter gratiam (Apo-
stolatum) qua data est mihi à Deo] Scripsi, inquit,
haec non docens, sed in memoriam vos reducens, ut
officio & muneri, puta Apostolatui meo, satisfa-
ciam: monitioni enim & correctioni magnam
suauitatem, gratiam & efficaciam dat humi-
litas.

VER. 16. *Ut sim minister Christi Iesu in Gentibus] minister,*
supple facrorum, id est sacerdos. q. d. Sacerdos
sum

sum hoc ipso quo Apostolus : simul innuens Christum esse Deum , ut cuius sacerdotem se profiteatur .

*Sanctificans Euangelium Dei] id est , administrans Euangelium à Deo missum hominibus , cōque ministerio velut sacerdotio fungens . id enim significat vox græca , *sacris operans* , rem sacram faciens .*

Vi fiat oblatio Gentium accepta , & sanctificata in Spiritu sancto] q. d. Ad hoc sum sacerdos mysticus , puta præco Euangelij , vt nimurum per meam prædicationem Gentiles placeant Deo , & sanctificantur per Spiritum sanctum ; itaque quasi victimæ munda & acceptissima Deo offerantur & consecrarentur , inquit S. August. ipsique deinde opera sancta Deo , quasi victimas offrant .

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum] VER. 17.
q. d. Ex eo quod sim minister Christi atque sacerdos ; & Apostolus Gentium , habeo vnde gloriari , non in me , sed in Christo , qui per me operatus est , & in dies operatur salutem Gentium , idque , *ad Deum* , id est in iis rebus quæ ad Deum pertinere , puta in rebus salutis , quæ ad gratiam & gloriam diuinam spectant .

Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in (circa) conuersionem & obedientiam Gentium] q.d. Habeo vnde gloriari , si cogitem & loquar , non falsa sed vera , puta ea quæ verè per me efficit Christus , in tam mira & magnifica tot Gentium conuersione , &c. Ergo quicquid loquor & gloriari de iis quæ per me efficit Christus , idipsum verè loquor & gloriari .

Verbo

Verbo & factis.] Græcè, sermone & opere. Igitur verbum intelligitur Euangelicæ prædicationis: opus autem in patrædis miraculis.

VER. 19. *In virtute signorum & prodigiorum]* id est, per potentiam declaratam signis & prodigiis.

In virtute Spiritus sancti.] Potest intelligi de charismatis Spiritus sancti, ut sunt dona linguarum, prophetiarum, discretionis spirituum, interpretationis sermonum, & cætera quæ enumerantur 1. Corinth. 12. Hæc enim peculiaritet ascribi solent Spiritui sancto.

Ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.] Paulum impluisse dicunt, id est, dilatasse Euangelium Christi, famamque eius ac notitiam extendisse. Quæ enim implentur, ea dilatantur & extenduntur. Est enim peculiaris Scripturæ phrasis, Replete pro diffundere, extendere, propagare; quamvis à paucis animaduersa.

Nota hic ingentem zelum & circuitum Apostoli: Duos hoc loco prædicationis suæ terminos statuit, Ierusalem & Illyricum, medias omnes regiones, Arabiam, Damascum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lyciam, Syriam, Ciliciam, Phrygiā, Galatiam, Mysiam, Troadem, Achaiam, Epirum & alias, quasi fulmen, omnes fide Christi illustrans, & charitate inflammans, paucis annis ipse peruasit.

VER. 20. *Sic autem prædicauit Euangelium hoc, sic magno studio connisus sum & ambiui euangelizare; non ubi nominatus est Christus.]* id est, non iis in locis, quibus Christus iam erat annunciatus, ad quæ prædictio Euangelij iam peruenerat.

Ne super alienum fundamentum adificarem.]

Fun

Fundamentum intelligit fidei Christianæ. alienum vocat, quatenus ab alio Apostolo vel prædicatore iactum est. Non est autem sensus, Paulum studiosè cauisse, ne usquam prædicaret vbi Christus fuerat annunciatus. Nam Damasci prædicauit, vbi iam antè Christiani erant, quos volebat vincitos perducere Hierosolymam, Aet. 9. Romanis quoque Petri prædicatione conuersis, nūc scripto, postea verbo Christum euangelizat. Verum hæc egit, non tam ut Apostolus, cuius est fundare & plantare; quam ut rigator, confirmator & consolator; quemadmodum ipse protestatus est sub initium huius epistolæ: magisque in transitu & per occasionem, quam ex proposito; sicut dicit in sequentibus, se Romanum pertransiit, ut in Hispaniam proficiscatur, vbi nullum adiuvic fidei fundamentum positum erat.

Sed sicut scriptum est, Isaiae 52. vbi extat de vocatione Gentium prophetia, quam partim per Paulum impleri voluit Christus, partim per alios Apostolos. ait enim Isaías: Quibus non est annuntiatum de eo (puta Gentes Deum & Christum ignorantes) videbant (cognoscent eundem;) Et qui non audierunt intelligent.

Propter quod & impeditiebar plurimum, id est pluries, venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.

Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus] locum scilicet vacuum, cum in eis repleuerim Euangelium, ubique fundatis Ecclesiis, ubique constitutis & ordinatis Episcopis & presbyteris, qui mea cœpta perficiant. Regiones intelligit Achaiam & Macedoniam. Eas enim paulò

Fundamen-
tum
alienum
quodnā
vocet
Paulus,
& quo-
modo nos
adifica-
uerit su-
per illud.

paulò pōt nominabit; & in Achaia erat Corinthus, vbi hanc scribit epistolam.

Pauli de-
siderium
vīsendi
Roma-
nos.

VER. 24.

Cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis tam precedentibus annis] magno teherōdeſiderio iam à multis annis ad vos proficisciendi vōlque inuisendi.

Cum in Hispaniam proficiisci cepero, spero quod preteriens videam vos, & a vobis deducar illuc] spe-ro, inquit, fore ut istac iter faciens, videam vos, & illuc, id est, in Hispaniam, à vobis deducar.

Si vobis primum ex parte frumentus fuero] q. d. Inexpleabile habeo vestri desiderium, vt nunquā totum illud saturare possim, sed duntaxat ex parte; præsertim si tantum in transitu vos videam & salutem, vti destino, ita Theophylact. Significat se ex illorum colloquio magnum gaudium & voluptatem accepturum.

VER. 25.

Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis] vt Iudeis, Christianis in paupertate & necessitate constitutis deferam collectam eleemosynarum, quam pro eis feci in Macedonia & Achaia.

VER. 26.

&c. 27.

Probauerunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem: placuit enim eis, & debitores sunt eorum] nempe sanctorum agentium Hierosolymis.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus (in temporalibus bonis) ministrare illis.

VER. 28.

Hoc igitur cum consummavero, & assignauero eis fructum hunc; per vos proficiscar in Hispaniam] id est, id facere propono ac spero.

VER. 29.

Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundan-tia

ria benedictionis Euangeli Christi veniam] q.d. Deus per meum aduentum, prædicationem & conuersationē copiosam vobis impertietur Euangelicorum mysteriorum cognitionē, amorē, consolatio-
nē, gratiam & fructū. ita Origenes & Anselmus.

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudea] Pro adiuuetis me, græcè est, vt concerteris in agone meum. Præsigebat Apostolus certamen, quod postea habuit Hierosolymis, Act. 21. ubi captus fuit ab infidelibus Iudeis, contra quos precibus certabat, & Romanorum ut secum certent preces hinc implorat. ita S. Chrysostomus.

Et obsequij mei (ministerij) eleemosynarum, quas defero Christianis pauperibus in Iudea degentibus) oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis] Orate etiam ut hoc meum ministerium, quo fungor in perferrenda Hierosolymam eleemosyna, sanctis pauperibus qui in ea sunt, acceptum ac gratum sit, eōsque lœtificet.

Si Paulus implorat orationes Romanorum fidelium pro se ad Deum; cur non vicissim ac similiter Romani implorent orationes Pauli? Et si Pauli viuentis in hac carne mortali, cur non etiā hac mortalitate exuti, & regnantis cum Christo?

Si veniam ad vos in gaudio] vt, euentum significat. Sensus enim est: Ita fiet, vt cum gaudio veniam ad vos.

Per voluntatem Dei] Hoc addit, quia piorum fidelium est omnia bona à Dei voluntate exspectare, & in omnibus à nutu prouidentiae Dei pendere.

Et refrigereret vobis] q.d. Vt refociller, & ex tot laboribus recreet videns vestrum profectum in Euangeliō, & vos pariter recreemini videntes me, de quo multa inaudistis.

VER. 33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.]*

Optat eis pacem à Deo pacis authore, videlicet respiciens ad contentiones quæ inter eos fuerāt, tam de iustificatione inter Iudeos & Gentiles, quam de legalium obseruatione Iudeis ipsis inter se.

CAPVT XVI.

S V M M A R I V M.

Commendat Romanis Phæben Ecclesiæ ministram. Varias deinde subiicit salutationes. Monet cauendum ab iis qui serunt dissensiones preter doctrinam traditam. Denique gratiam Dei illis precatur, cum subiuncta doxologia.

VER. 1.

Commendo autem vobis Phæben sororem nostram.] Non dicit sororem meam, sed nostrā; sororem religione, id est Christianam: quomodo fideles omnes sese mutuo fratres & sorores appellabant.

Diaconissa in primitiva Ecclesia.

Quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchrīs.] Erant enim olim quæ appellabantur Diaconissæ, non altari seruientes, sed aliis quibusdam Ecclesiæ ministeriis addictæ. Cenchrī erat portus & pagus Corinth. ita Origenes.

VER. 2.

Vt eam suscipiatis in Domino, Domini nomine & amo

& amore ; propter Dominum , vel in Domini gratia , & charitate Christiana. digne Sanctis] scilicet , vti decet Christianos excipere Christianos , qui quasi Sancti recipi debent. ita Chrysostomus.

Et assistatis ei in quocumque negotio vestri indigerit : etenim ipsa quoque astitit multis , & mihi ipsi] Videtur haec Phoebe fuisse ex illis de quibus I.Timoth. 5. dicitur : Si hospitio recepit, si pedes Sanctorum lauit, &c.

Salutare Priscam , & Aquilam] Iudeos scenopulos, qui super Roma à Claudio electi, sed iam eò reuersi erant , vt hic docet Apostolus. vide Act.18.

Adiutores meos in Christo Iesu] id est , in iis , quae ad fidem Iesu Christi prouehendam pertinent.

Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt] VERS. 40
q. d. Qui pro vita mea tuenda suam obiecerunt periculo , vel in illa seditione Ephesi per Demetrium excitata , de qua Act. 19. vel in Corinthia, de qua Act. 18. vel in illa simili.

Quibus non solus ego gratias ago, sed & cuncta Ecclesia Gentium] vel propter hospitalitatem passim omnibus exhibitam ; vel in genere , propter Evangelij in Gentes propagandi sedulam cooperationem.

Et domesticam Ecclesiam (familiam Christianam) eorum : Salutare Epenetum dilectum mihi, qui est primius Asia in Christo] qui primus in Asia ad fidem Christi est conuersus.

Salutare Mariam , quae multum laborauit in vobis] Quis hic labor vel quod opus fuerit ; non exprimit Apostolus. Quanquam credendum est

N tale

An hac uendum pertineret. Quænam item fuerit hæc Maria, non constat. Putant meritò credi eam esse quam Ignatius ad ipsam scribens vocat Deo dignam, & feminatum sapientissimam: ac rursus in epistola ad Heronem diaconum, eruditissimam, ac specimen piarum feminatum, &c.

VERS. 7. *Salutare Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos] qui scilicet mecum eiusdem sunt gentis, puta sunt Indæi. Porro concaptiuos intellige, quod aliquando communia cum Paulo vincula pro Christo passi fuissent. Vbi tamen aut quando factum sit, ignoratur.*

Qui sunt nobiles in Apostolis] q.d. Qui inter Apostolos & Doctores sunt insignes & illustres. ita S. Chrysostom. & Theod. Non enim soli illi duodecim vocati à Christo, sed & Paulus, Silas, Barnabas, aliique similes apud ethnicos & infideles euangelizantes, fuerunt & etiamnum sunt Apostoli.

Qui & ante me fuerunt in Christo] in fide Christi. q.d. Qui ante me crediderūt, & Christiani fuerunt. Nam esse in Christo, est esse Christianum.

VERS. 8. *Salutare Ampliæ dilectissimum mihi in Dominu[m] Græcè, Ampliam dilectum meum. addit Paulus in Domino, nempe Christo, ut Christianam declareret dilectionem.*

VERS. 9. *Salutate Urbanum adiutorum nostrum in Christo Iesu] Vocat autem adiutorem seu cooperarium in Christo, sicut expositum est superius. hoc est in iis quæ ad fidem Christi propagandam pertinent.*

Et Stachyn dilectum meum] hic Stachys à B. Andrea Apostolo primus Byzantinæ ciuitatis Episcopus.

scopus ordinatus est : vt legitur in Martyrologio Romano, &c.

Salutate Apellen probum in Christo] id est, pro- VER. 10.
batum Christi discipulum. nam Græca vox pro-
batum & sincerum significat.

Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo] id est, VER. 11.
familia. Græcè, Salutate eos qui sunt ex Aristobuli
domesticis seu familiaribus, atque ipsum
imprimis (quod intelligitur) Aristobulum. si-
cuit & mox, ipsum Narcissum. Hic Aristobulus
solitus fuit congregare fideles in suam domum,
id est, fidelium conuentus facere. Eiusdem tan-
quam Apostolorum discipuli & martyris dies na-
tal is in Romano Martyrologio notatur ad Idus
Martij. Quo etiam loco Baronius annotat missum
fuisse Aristobulum ad Britannos Euangelij præ-
dicandi causa.

Salutate Herodionem cognatum meum] Gentil-
lem Pauli, id est, Iudeum, vel potius sanguine
coniunctiorem.

Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, id est,
Narcissum cum suis domesticis, qui sunt in Domi-
no] id est, eos, qui in Christum Dominum cre-
dunt. vnde videntur in eadem domo aliqui fui-
se infideles, quos salutari non iubet.

Salutate Tryphanam & Tryphosam, que laborant in Domino] id est, que collaborant Euangeliō
Christi Domini, nimirum eo labore qui sexui illi
conueniat. Mulieres fuere nobiles Iconiēs, quas
Paulus Iconij ad Christum conuertit; vt memo-
ratur in actis Theclæ virginis fidelioribus.

Salutate Perfidem charissimam, Græcè dilectam,
que multum laborauit in Domino] Hanc impen-
diūs laudat, quia dilectam vocat, & multum labo-

rassé dicit. Utens autem verbo præteriti temporis laborauit; respicere videtur ad labores quosdam peculiares & graues, quos Ecclesiæ causa Persis subiuerat.

VER. 13. *Salutare Rufum electum in Domino] Elelētum vocat, quod pietate esset insignis inter Christi Domini fideles.*

Et matrem eius, & meam] Causa honoris eam quæ Rūfi secundūm carnem mater erat, etiam suām matrem nuncupat. ex quo colligitur fuisse venerabilem feminam, ac de re Christiana bene meritam.

VER. 14. *Salutare Asynditum, Phlegontem] Hi duo, simul cum Herodione supradicto, tanquam Apostolorum discipuli recitantur in Martyrologio Romano.*

Herman, Patrobam Hermen] Hermas iste, sicut de ea loquitur Rom. Martyrologium, dignè semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus cælestia regna petivit. Hunc esse authorem libri qui Pastor inscribitur, putat Origenes. Liber Pastoris quo loco habendum, vide Estij fol. 229.

Et qui cum eis sunt fratres] id est, Christianos eorum domesticos.

VER. 15. *Salutare Philologum & Iuliam, Nercum & sororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos] Sanctos vocat quos paulo antè fratres, idque à vera sanctitate; quoniam etsi forte non omnes quos salutari vult, tales sint, id est, verè sancti: communitas tamen ipsa Sanctorum est. Annotat ex Chrysostomo Theophylactus, Paulum in hac epistola tam multis salutasse, quam in nulla alia; causamque addunt, quia nondum*

vide

viderat ipse Romanos.

Salutare inuitem in osculo sancto] id est, cum osculo quale decet sanctos, quodque symbolum sit amoris casti, sinceri spiritualis ac diuini, quam charitatem vocamus. Quæres cur sanctum Petrum non salutet hic Paulus? An qui Romæ Petrus nunquam fuit, ut ex hoc loco contendunt Nouantes? Respondeo, minimè; sed causa est, vel quod ad Petrum peculiares litteras dederit Paulus, vel quod Petrus, utpote Iudæus, ante aliquot annos Roma pulsus à Claudio Imperatore, etiamnum abesset: discurrebat enim ad alias in Italia, Hispania, Africa & Britannia Ecclesias fundandas & iuuandas, ut tradit & docet Innocentius primus epist. ad Decentium. Sanè si Petrus eo tempore Romæ fuisset, non utique prætermisisset pro sua autoritate & munere Apostolico, dissidium componere, quod inter fideles Iudeos & Gentiles ortum fuerat, & errorem de iustitia legis & operum, mentibus eorum penitus eximere. Sed nec Paulus sibi sumpsisset operam scribendi ad Romanos, qui præsentem haberent suum Apostolum & doctorem, præsertim tanti nominis virum. Quæres, cur saltem Petrus ipse si absens erat, ad suos Romanos inter se dissidentes non scriperit? Propterea credo, quod res ad eum procul agentem non esset perlata. Nisi dicere velimus, ait Baronius, hanc epistolam pro sua defensione Paulum scripsisse, quod de abrogatis legalibus sibi negotium factum esset.

Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi] Non quod ab eis salutandi Romanos accepisset Paulus mandatum, longè enim aberant; sed quia earum

N 3 chari

VER. 16.
Osculum
sanctum
quod di-
catur.

Paulus
cur Pe-
trum nō
salutet
in epist.
ad Rom.

Car Pe-
trus ad
Romanos
non scri-
perit.

*Mos as-
scribendi
salutato-
res absē-
tes haud
improbā-
dūs.*

charitatem & affectum nouerat , quo Romanos saluere , & prosperè agere cupiebant . Sic quoque vulgo & verè amicis & familiaribus scribimus : Salutat te ille vel iste familiaris tuus & meus , etiamsi nobis nil tale dixerit : quia nouimus eius mentem qua alium saluere & bene agere desiderat . Hæc enim mens est hominum inuicem scribentium , hic usus communis verus , & mendacij expets .

VER. 17.

*Rogo autem vos fratres , ut obseruetis eos , qui dis-
sensiones & offendicula præter doctrinam quam vos di-
dicistis , faciunt] præter , id est , contra , præter do-
ctrinam quam didicistis , id est , contra doctrinam
vobis initio traditam .*

*Et declinate ab illis] ac si dicat : Ideò obseruate ,
vt ab iis declinetis , id est , eorum consortium fu-
giatis .*

VER. 18.

*Huiusmodi enim Christo Domino nostro non ser-
niunt , sed suo ventri] id est , querunt unde laute
viuant , & gulam expleant .*

*Et per dulces sermones & benedictiones , seducunt
corda innocentium] Atqui in nullos magis hæc ea-
dem competunt , quæ in hæreticos nostri sacer-
tuli , qui per blandiloquentiam , assentationes , ma-
gnifica promissa , pérque speciosa nomina verbi
Dei , puræ doctrinæ & securitatis conscientiæ ,
decipiunt simplices & imperitos .*

VER. 19.

*Vestra enim obedientia , qua promptè & perfectè
Euangelio credidistis , in omnem locum diuulgata
est] q. d. Ergo ô Romani , vti cœpistis , ita pergi-
te tueri hanc fidem & obedientiam .*

*Gaudeo igitur in vobis] propter quod , inquit ,
& gaudeo sanè de vobis , ac vestri causa .*

*Sed volo vos sapientes esse in bono , & simplices in
male]*

malo] Sapientes, id est, prudentes & cautos, ne à bono quod accepistis, illorum seductorum dulcibus & blandis persuasionibus excidatis. Ad malum autem simplices, id est, rudes, quasi nescientes male agere, qui nullam nocendi artem teneatis.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter] Deus, inquit, pacis author, satanam per ministros suos errorum magistros calcaneo vestro insidianitem, hoc est, ad lapsum & defectionem à recta fide solicitantem, breui conterat sub pedibus vestris, id est, citò victoriam de eo vobis tribuat, extinctis penitus inter vos opinionum dissidiis, quod ipsum etiam breui facerum concedo.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum] Gratiā à Deo per Christum precatur Romanis, ut & satanæ insidiis evadant superiores, & omni in hono proficiant. Nam gratiæ nomine fauorem & beneficentiam intelligit, ad omnia quæ sunt pietatis & salutis.

Salutat vos Timothes adiutor meus] vtique in negotio propagandi Euangelij, nempe ille, ad quem duæ extant ipsius epistolæ.

Et Lucius] Hunc eundem esse cum Luca E-
uangelista sentit Origenes, non abs ratione: vt e-
tiam plerique docti sententiae eius subscriptant.

Et Iason & Sostipater, cognati mei.

Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Do- VER. 22.
mino] qui scripsi epistolam ad gloriam Christi,
aut q. d. Salutem, quæ à Christo Domino est
& proficiuntur, vobis precor. *Tertius* ergo hîc
nomen est proptium Scribæ, qui dictante Pau-
lo epistolam scriptit. Nulla sit igitur dubitatio,

VER. 20
Quid sa-
tanam
cōterere
sub pedi-
bus.

Gratiæ
nomine
quid si-
gnifice-
tur.

Lucius
idem qui
Lucas.

quin Paulus epistolæ dictator fuerit , ac Tertius non aliud quām scriba, qui verba dictantis excepterit : quamuis eum & Pauli fuisse discipulum proclive est existimare ; & postea factum Episcopum Iconensem tradunt nonnulli.

VER. 23. *Salutat vos Caius hospes meus]* Hospitem suum dicit , apud quem hospitabatur. hic Corinthius erat , quem à se baptizatum fuisse testatur , 1. Cor. 1. Ad hunc Caium scripsit sanctus Ioannes tertiam suam epistolam Catholicam , in qua eum ab hospitalitate & misericordia in pauperes dilaudat.

Caius ho- spes Apo- stoli , & cōuenie- tū Chri- stianorū. *Et vniuersa Ecclesia] scilicet quæ est Corinthi;* unde hanc epistolam scripsit Paulus. Videtur ergo ex hoc loco Caij domus fuisse Ecclesia , siue tuū Ecclesie locus , ad quem ad S. Sinaxes congregabantur Christiani , qui erant Corinthi. unde Ambrosius , Syrus , & Græca legunt ; Caius est hospes non tantum meus , sed etiam vniuersæ Ecclesie Corinthiacæ.

Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis] id est , quæstor , cui nimirum commissa erat cura publici ærarij. Hic postea Philippensem fuit Episcopus , & martyrio vitam finiuit.

Et Quartus, frater] Ex nomine nonnulla conjectura est , hunc Tertij qui scripsit epistolam , fratrem dici secundū carnem. Quidam fratrem Erasti volunt . sed non addidit eius , quod additum oportebat.

VER. 24. *Graia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis , amen.]* Nota. Apostolus passim epistolis suis & præmittit & subiungit appreceptionem gratiæ , ut doceat , nil ita Christiano in votis esse debere , ac Dei gratiam , gratiæque augmentum , qua scili

scilicet non hominibus, sed Deo grati simus, ac placeamus: sic enim ad omnia virtutum opera validi ac potentes efficimur, degimusque in perpetua pace ac l^aetitia. Sicut enim famulus qui regi seruit, apud quem gratus est, nihil tristitiae sentit, quicquid inimicitia vel aduersitatis aliunde occurrat: ita nos nihil m^oceroris sentiemus, siue amici aliquique nos deserant & infestent, siue pericula & tribulationes ingruant, si in Dei gratia simus, si Deus nos gratia sua roboret & confirmet. Si in gratia Dei sis, terribilis eris, non tunc hominibus, sed & d^aemonibus. Tales fuere Apostoli, qui calcatis diuitiis Domini sui imperio sunt potiti, &c. inquit sanctus Chrysostomus.

Virtus
gratia
Dei.

Ei autem qui potens est vos confirmare] siue statibile, scilicet in fide suscep^{ta}. quod dicit propter multos adhuc in fide debiles, de quibus in superioribus. Dicens autem, qui potens est, significare vult id omnino à Deo sperandum & expectandum esse. Quod & alibi hac locutione significat, ex potentia suadens effectum sperandum, dum taxat in his quæ sperate iubemur; ut huius eiusdem epistolæ capite vndecimo, Potens est enim Deus iterum inferere illos. & cap. 14. Potens est enim Deus statuere illum. & 2. Corinth. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. & Heb. 2. Potens est & eis qui tentantur auxiliari.

Opera
bona sūt
effectus
potentia
Dei.

Iuxta Euangeliū meū & prædicationem Iesu Christi] qui potest vos confirmare in fide; quam mirum adhæreatis doctrinæ Euangelij mei, quo vobis prædictaui Iesum Christum. Suum ergo vocat Euangeliū, id est, à se prædicatum.

Euange-
liū Pauli
quod di-
catur.

Secundum reuelationem mysterij temporibus aeternis tacui] Sensus: Quia Euangelij prædicatione reuelatur & manifestatur mysterium omnibus retro saeculis mundo occultatum & paucis cognitum. Tempora aeterna dicit vniuersum tempus quod præcessit: quæ interpres alibi vocat tempora saecularia. ut 2. Timoth. 1. & Tit. 1. quasi dicat Paulus, Non est recens inuentum Euangelij, sed ab aeterno semper fuit ipsum Euangelium in secreto diuinitatis consilio, menteque diuina tacitum & occultum, & nunquam hactenus in mundo propalatum aut prædicatum. unde subdit:

VER. 26. *Quod, scilicet mysterium iam dictum, nunc patefactum est]* Græcè, manifestati autem nunc, scilicet per Apostolorum prædicationem.

Per scripturas Prophetarum] qui Christum: Christique Euangelium prædixerunt. Quod autem dicit per scripturas propheticas, supple, expositas & intellectas.

Secundum praeceptum aeterni Dei] id est, ex mandato seu delegatione aeterni Dei, facta videlicet ^{Paulus} Apostolis. Tacite commendat officij sui dignitatem à magnitudine delegantis, quem proprio eterni Dei legatus. vocat epitheto, aeternum Deum.

Ad obediitionem fidei] id est, vt fides prompta voluntate suscipiatur, vt nimirum omnes Gentes Euangelium fidemque Christi audiant, illaque credant & obedient.

In cunctis Gentibus cogniti] Græcè, in omnes Gentes notificati seu patefacti: scilicet mysterij, quod nunc patefactum est, & in cunctis Gentibus cognitum.

VER. 27. *Soli sapienti Deo per Iesum Christum]* Hæc refer ad

ad. Ei qui potens est, vers. 25. q. d. Soli sapienti & potenti Deo per Christum & Christianam religionem , omnis sit honor & gloria sempiterna. Christus Deus & homo cùm sit , vt Deus honorem recipit cum Patre & Spiritu sancto, vt homo verò illum defert. Detulit autem cùm prædicauit in mundo SS. Trinitatem & iussit baptizari in nomine Patris , & Filij , & Spiritus sancti omnes Gentes.

Nota vox *sapienti* innuit per nullam hominum sapientiam hominem potuisse viam salutis agnoscere : quia solus Deus à seipso & per essentiam sapiens est, qui eam per fidem nobis manifestauit. Hinc solus sapiens dicitur. vide Baruch 3.

Cui honor & gloria in sæcula sæculorum , amen]
Sæcula sæculorum vocat Apostolus sæcula proprio nomine æterna , & vt Augustinus exponit, continuata sæcula , id est nunquam terminanda. Graeca & Syrus non habent *cui*. Sic ergo hæc omnia ordinanda sunt: ei qui potens est vos confirmare , videlicet soli sapienti Deo , sit honor & gloria , Amen.

Vide S. Chrisostomum hîc in morali homil. vltim. pulchritè & patheticè ostendentem , quantum S. Paulus suo zelo, labore & feroce honora-
tit & glorificari Deum.

COM



COMMENTARIA
IN I. EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD GORINTHIOS.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M .

Deo gratias agit de variis donis in Corinthios collatis : hortatur ut idem sapiant , ac schismata vitent. Exponit consilium Dei , voluntis per humilitatem crucis quæ Indeis est scandalum , Gentibus stultitia , non autem per sapientiam verbi , saluos facere credentes.

VERS. I.

PAULVS vocatus Apostolus Iesu Christi , vocatum Apostolum se confirmat per hoc quod sequitur ; per voluntatem Dei] hoc est , iussu , decreto ac beneplacito Dei .

Et

Et Sosthenes frater] Erat hic princeps synagogæ Sosthenes
Corinthi; conuersus ad Christum à Paulo, pro quis fue-
de coram Gallione proconsule acriter verbera-
rit.
tus, Act. 18. ac post mortem relatus inter Sanctos,
z. 8. Nouemb.

Ecclesia Dei, qua est Corinthi: Sanctificatis in VERS. 2.
Christo Iesu, vocatis sanctis, id est, ad sanctitatem
vocatis à Deo, cum omnibus, qui intocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro]
id est, omnibus Christianis ubique consistant:
sive mecum hoc in loco nostro, sive in alio quo-
libet suo loco. ita Chrys.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domi- VERS. 3.
no Iesu Christo] Subaudi, multiplicetur.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia VERS. 4.
Dei qua data est vobis in Christo Iesu] id est, per
Christum Iesum. Nullum enim bonum salutare
datur à Deo hominibus, nisi per meritum Iesu
Christi. In gratia, id est, propter gratiam Dei. No-
nomen gratiae complebitur omne donum gratuitum ordinatum ad salutem, vel propriam haben-
tis vel communem fidelium.

Gratia
nomen
hoc loco
quid si-
gnificet.

Quod in omnibus diuites facti estis in illo (per il- VERS. 5.
lum Christum) in omni verbo (prædicationis Euangeliij) & scientia] id est, spirituali eius intelligentia.
q.d. Gratias ago Deo, quod vobis copiosam per
me & Apollo exhibuerit prædicationem & do-
ctrinam Euangeliij, eiisque sensum & intelligentiam. & in omni scientia. Significat Apostolus Co-
rinthios ditatos utroque dono, & cognoscendi
diuina, & eadem aptè eloquendi. Ita quibus con-
iunctis consistit sermo scientiæ.

Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis] Sermo
in quo
conficitur.
VERS. 6.
id est, quibus modis aut rebus, nempe sermone,

&

& scientia, quibus ditati estis. & sensus est: Hu-
iustimodi donis, velut certo firmoque testimonio,
cognoscitur vos esse fideles ac seruos Christi,
eiusque spiritum accepisse,

VERS. 7. *Ita ut nihil vobis defit in villa gratia]* Notandum,
Paulum non dicere eos in omnibus esse perfe-
ctos, & nullam eis deesse perfectionem gratiae:
sed, in omnibus diuites esse, & nullam eis gra-
tiam deesse. Nam etsi numero donorum diuites
erant & abundabant: tamen in eis nondum erant
perfecti, ne quidem ea perfectione quam multi
assequuntur in hac vita; sed ut ad eam paulatim
proficerent, exhortandi erant.

*Expectantibus revelationem Domini nostri Iesu
Christi]* in secundo illius aduentu, quando om-
nium gratiarum copiam & consummationem in
gloria caelesti à Christo accipietis.

VERS. 8. *Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimi-
ne]* quantum est ex parte sua, id est, gratiam
dabit, quæ vos confirmare possit, & actu con-
firmabit, si eam recipere, ea vti, & vos confir-
mare in Christi fide & charitate velitis. Confir-
mabit, inquam, ad hoc, ut sitis & persistatis usque
in finem vita, sine crimen, id est, inculpati, quos
nemo culpari aut criminari possit, quasi crimen
aliquid contra fidem & charitatem Christi com-
misferitis.

In die aduentus Domini nostri Iesu Christi] Hic
enim ultimus noster & rerum omnium erit finis.
Nam confirmatio fidelium usque in finem sine
crimine, preparatio eorum est ad diem quo ven-
turus est Dominus ad iudicium.

VERS. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati etsi in societatem
filij eius Iesu Christi Domini nostri]* Societatem filij
hic

hic vocat Paulus communionem fidei, gratiæ, & gloriæ Christi, quæ habetur in Ecclesia Christi; sive ipsum Christianismum, in quo habemus societatem filiationis, hereditatis, Sacramentorum, & omnium bonorum Christi. q. d. Vocati estis, ut sitis filii Dei, socij, membra, fratres & coheredes Christi. ita Anselm. Ambros. Theophyl. Chrysoſt.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi] in cuius vnam eandemque societatem familiam, domum & Ecclesiā vocati sumus omnes, quicunq; fideles & Christiani sumus. VER. 10.

Vi id ipsum dicatis omnes] scilicet, quasi fratres germani, verbis & voce consentiatis, dicatisque omnes simul, Ego sum Christi; non autem hic dicat, Ego sum Pauli: ille, Ego sum Apollo. rursum non tantum voce, sed & mente consentiatis.

Et non sint in vobis schismata. suis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia] ut idem sentiatis, & inter vos consentiatis in Christo, ut vobis in uicem aptè cohæreatis in una mente & sensu in Christo.

Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui sunt Chloes] Putant aliqui Chloes esse nomen loci, ut oppidi aut vici: sed hic locus alibi nusquam legitur. unde verius Chrysoſt. & Syrus putant hoc esse nomen familie vel feminæ. quasi dicat: Ex familia Chloes audiui. VER. 11.

Quia contentiones sunt inter vos] Contentiones sunt verborum concertationes, vbi quisque vult superare.

Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit; Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cepha] VER. 12.

Cepha] Sermo supplendus hoc aut simili modo: Ego sum Pauli discipulus , se^ctator , tanquam melioris magistri : & sic de aliis. alij verò magistrum suum Apollo iactarent , eloquentiam hominis extollentes , ideoque eius comparatione Paulum deprimentes. Verisimile est Iudæos fuisse qui dicebant , *ego Cepha*, videlicet Petro studentes tanquam Apostolo circumcisio*nis*. Atque hinc factum ut acrius inter se contenderent, dum quique studiosè suum magistrum præferunt.

Ego autem Christi] Constat est interpretum tam Græcorum , quām Latinorum sententia , Paulum hoc addidisse velut bene & Christianè dictum , ac doluisse quod non omnes hoc idem dicerent. Erat enim hæc vox ynitatis , non schismatis.

Ego autem Christi] Non malè , sed rectè loquentium est , si absit contenatio , & contemptus Apostolorum & vicariorum Christi : omnes enim decebat dicere. Nos sumus Christi , puta Christiani. ita Ambr. Theophyl. D. Thomas. & hunc sensum confirmant ea quæ scribuntur cap. 3. *Vos autem Christi. Christus autem Dei.*

VER. 13. *Dinissus est Christus?*] Sensus est: Num Christi corpus dissectum est in partes ? ac si dicat , ut solet , *absit*.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?] q. d. Nunquid Paulus sua passione vos redemit ? Minime. solius enim hoc Christi est , qui solus noster est redemptor.

Aut in nomine Pauli baptizati estis?] q. d. Vnus est Christus , in cuius nomine æquè omnes baptizati estis : ergo frustrè pro nobis , baptisi mini

ministris, de præcellentia contenditis. Hinc D. Thom. & alij, adeoque Græcorum historia docet, Græcos accepisse hanc suam baptismi formam, ut non dicant: Ego te baptizo; sed, baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ne quis dicat, Ego sum Pauli, ego sum Apollo.

Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptiza-
ui] Et quidem Deo gratias agit, cuius prouiden-
tia factum sit, ut hoc, quod est Paulum non ba-
ptizasse Corinthios, cesserit ad eorum bonum, id
est, ad uitationem peccati, quo iactarent se in
Pauli nomen baptizatos esse; aut tanquam per ba-
ptismum in eius nomen adscripti dicerent: Ego
sum Pauli.

Nisi Crispum & Caium] Crispus apud Corin-
thios Iudæorum Archisynagogus fuerat: quem
Paulo prædicante credidisse Domino cum omni
domo sua scribit Lucas, Act. 18. Porro Caius hos-
pes erat Pauli, ut ipse testatur Rom. vlt.

Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis] VERS. 15
Græcè, Quod in nomen meum baptizau. ne quis
me calumnietur, & dicat, quod vos baptizando
transcripserim in nomen meum, ac de me Pau-
lianos vocari volueritis, tanquam meo baptismo
sanctificatos.

Baptizau. autem & Stephane domum] Stepha-
nas, ait Theoph. vir erat Corinthi celebris,
quem proinde à fide & charitate laudat Paulus,
cap. 16.

Ceterum nescio si quem alium baptizauerim] ex
vobis, id est Corinthiis. De his enim ad quos scri-
bit, propriè loqui videtur.

Non enim misit me Christus baptizare, sed euangeli-
zare] sic intellige: Non principaliter ad hoc me
misit,

misit, ea non est primaria pars legationis meæ. Fecit ergo vtrumque, sed alterum per alios, à quibus id facilè fieri poterat: ipse in eo, quod maius ac difficilior erat, totus occupatus.

Non in sapientia verbi] id est, cum eloquentia & sermonis ornatu non euangelizo. Hoc est quod repetit initio proximi capituli, se venisse, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ. Vtrumque enim à se remouet, & sermonis apparatus, & sapientiæ sacerdotalis ostensionem.

Vi non evanescetur crux Christi] id est inanis redatur, dum putant homines se salutem assicutos, & sibi fidem persuasam esse vi humanæ eloquentiæ, non vi passionis Christi. Hæc fuit origo schismatis dicentium, Ego sum Pauli, ego Apollo; quodd scilicet Apollo eloquens placeret nonnullis Corinthiis delicatis, & eloquentiæ studiosis, aliis verò spiritum magis quam verba quærentibus, placeret Paulus imperitus quidem sermone, sed non scientia. Vnde Paulus hic, & per tria sequentia capita, multis eloquentiam & sapientiam sacerdotalem insectatur & deprimit.

VERS. 18 *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est*] q. d. Sermo de cruce saluatrice, siue quod per crucem & passionem Christi redempti sumus, incredulis ac peruersis hominibus, ideoque perituris stultitia appetet.

Iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est] id est, potentia, robur, fortitudo. Loquitur in persona electorum. Nec enim alij sunt qui salvi fiunt, quam electi: vt nec alij qui pereunt quam reprobati.

VERS. 19 *Scriptum est enim*] Isaiae 29. vbi sic ait, *Peribit sapientia*

sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentum eius abscondeatur, passiuè. sed Septuag. quos sequitur Paulus vertunt actiuè, *Perdam sapientiam sapientum*, & prudentiam prudentum abscondam. pro quo paulus, habet reprobabo; & vt Tertull. vertit, *irritam faciam*: estque idem sensus. Peribit enim sapientia, quia Deus eam perdet & abiiciet. Nota Paulum referre ad vniuersum genus sapientiae fæcularis id, quod Propheta propriè de Iudæorum sapientia, quæ Pharisaica erat, dixit. Est enim par quoad hoc utriusque in omnis sapientiae fæcularis, ratio. q. d. Faciam ut sapientia fæculari homines ad salutem ut nolint, sed Euangeliō, & cruce Christi.

Vbi sapiens? id est, Philosophus Gentilium. Vbi scriba? id est, doctor Iudæorum. Citat Paulus Isaïæ 33. Vbi, inquit, est litteratus? vbi legis verba ponderans? (id est Scriba) vbi doctor parvulorum? qui re ipsa est conqueritor seculi. vbi conqueritor seculi?] Physicus, qui naturæ & mundi arcana curiosè scrutatur. q. d. Abiecti sunt Philosophi & Scribæ, omnésque mundi sapientes depresso & confusi sunt, per prædicationem Apostolorum & gloriam Euangeli. ita Chrysostomus.

Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?] Stultam fecit, id est, stultam ostendit: ponitur verbum reale pro mentali vel verbali. Stultam, inquam, in crucis & Christi ac salutis cognitione; ad hanc enim fide opus est, non acumine. ita Chrysost. Scientia pisatorum, inquit Ambrosius, stultam fecit scientiam Philosophorum, cùm scilicet suos & naturæ terminos egressa est.

*Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus, VERS. 23.
per sapientiam Deum] in Dei sapientia, quam scilicet*

Q 2 ostendit

ostendit in sapientissima & tam stupenda mundi fabrica , & gubernatione , ait D. Thom. Dei sapientiam intelligunt reluentem in opificio mundi ; metonymicè tamen acceptam pro ipso mundi opificio , omnibus ad contemplandum exposito.

Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes] Hinc Deus per rem , quæ mundo videtur stulta , scilicet per crucem , mundo se , & salutem veram reuelauit , vt stultis se accommodaret , & cum eis quasi stultesceret vii præceptor cum pueris repuerascit & balbutit . Sic Christus , quia non intelligebatur vt Deus , hominibus se reuelauit , vt homo , & passibilis . Hoc autem ingens est sapientia . ita D. Thom. Anselm . & alij .

VERS. 22 *Quoniam & Iudei signa petunt]* Commendat Apostolus virtutem Euangelicae prædicationis tam Iudæis quam Gentilibus despœctæ . Siquidem , inquit , & Iudæi signis olim assueti , signa , id est miracula , exigunt ; quibus velut diuinis testimoniis adducantur ad credendum .

Et Græci sapientiam querunt] Et Græci , inquit , solam sectantes rationem naturalem , requirunt humanam sapientiam , id est , philosophicis rationibus doctè & disertè propositis persuaderi volunt : & si quid ratione assequi nequeant , quale est mysterium crucis , non recipiunt , sed explodunt atque irrident . *Quemadmodum Paulo contigit Christum prædicanti apud Athenienses Philosophos , Act. 17. vnde & à Festo Præside audiuit , Insanis Paule , Actor. 26 :*

VERS. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum]* in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obse

obsequium Christi. Opponit enim Apostolus prædicationem Christi crucifixi sapientiae sacerulari.

Iudeis quidem scandalum] quia crucis opprobrium eos turbauit, & impeditiit.

Gentibus autem stultitiam] Mera stultitia erat hominem crucifixum aut prædicare, aut credere mundi Saluatorem.

Ipsis autem vocatis Iudeis atque Græcis] iis vero qui diuina prædestinatione vocati sunt ad fidem, siue Iudæi illi sint, siue Græci, id est Gentiles. VERS. 24

Christum Dei virtutem & Dei sapientiam] Virtus quidem, id est potentia, qua eripuit eos è potestate diaboli, qui in Euangelio vocatur *fortis armatus*, Luc. 11. Sapientia vero, quam ostendit in eo quod per humilitatem & crucem & mortem Christi filij sui electos redemit.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est homini- VERS. 25
bis : & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus] id est, stultitia & infirmitas Dei, id scilicet quod in Deo & Christo nato & passo putant stultum & infirmum; scilicet Dei humanitas, mortalitas, passio, crux; fuit id, quo sapientissime & fortissime Christus quasi vicit homines, Satanam, & totum orbem, ait Ambrosius & Anselm. quasi dicat, In eo patet mira Dei sapientia & virtus, quod per rem stultam atque infirmam, scilicet crucem, sapientiam omnem & fortitudinem vicerit. In cruce redemit hominem, non per potentiam deitatis, sed per iustitiam & humilitatem passionis, ut ait S. Augustinus.

Videte enim vocationem vestram fratres] vocatione- VERS. 26
nem dicit vocatos, sicut alibi circumcisionem, cir-

cumcisos. Videte, inquit, & considerate vocatos ad fidem, id est fideles, qui & quales sint, etiam illi qui inter eos præcipui sunt, ut Apostoli Christi.

Quia non multi sapientes secundum carnem] id est, quod non multi humana sapientia præditis, supplendum vel ex eo quod præcedit, vocati sunt, vel ex sequentibus, eleeti sunt; vtique ad fidem, vel etiam ad Euangelij prædicationem.

Non multi potentes] potentes secundum sæculum intellige.

Non multi nobiles] id est claro genere nati. non dicit Apostolus: Nemo sapiens secundum carnem, nemo potens, nemo nobilis. Nam huiusmodi etiam nonnulli primis illis temporibus ad fidem accesserunt, ut Nicodemus princeps Iudeorum, Ioseph ab Arimathea nobilis Decurio, Dionysius Areopagita, &c. Verum hi comparatione multitudinis credentium paucissimi erant. Cæterum inter duodecim Christi Apostolos, à quibus primùm omnium crux Christi prædicata fuit mundo, nullus omnino secundum sæculum sapiens, potens, nobilis. Hinc Ambrosius lib. 5. in Lucam ad illud cap. 6. Elegit ex ipsis; Aduerte, inquit, cælestè consilium: non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed pescatores & publicanos, &c. Vanum ergo videretur, quod de nobilitate & purpura S. Bartholomæi fabulantur nonnulli.

Fabula de nobilitate S.

Bartholo-

mai rei-

citur.

VERS. 27

Sed que stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes] id est, ut pudore afficiat sapientes: non qui essent, sed qui esse viderentur, ait Augustinus serm. 63. vel sapientes non simpliciter, sed secundum carnem. Pudefiunt enim huiusmodi sapientem

sapientes, dum per suam sapientiam præstare non possunt, id est, homines ad æternam salutem adducere & beatos facere; quod sine ea præstant indocti.

Et infirma mundi elegit Deus] id est, infirma secundum mundum, dicit homines nulla sæculi potentia præditos, sed plebeios & indopes.

Vi confundat fortia] id est, ut illorum comparatione veluti pudefaciat omnem huius mundi potentiam: dum per illos facit, quod potentes sæculi non possunt.

Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus] VERS. 28
& eos qui secundum sæculum ignobiles erant & obscuri, id eoque despici, velutique pro nihilo habiti, elegit Deus.

Et ea quæ non sunt] id est abiecta, quæ pro nihilo habentur, quasi dicas homines nullius nominis aut numeri. Deus elegit Apostolos abiectos qui pro nihilo habebantur.

Vi ea quæ sunt destrueret] id est, ea quæ habentur in pretio, puta sapientes & potentes mundi, destrueret & quasi annihilaret; ut eos qui magni sunt hominum estimatione, contemptibiles & obscuros redderet, ac velut ad nihilum redigeret: quod est destruere iuxta versionem nostram.

Vi non glorietur omnis caro in conspectu eius] non VERS. 29
omnis, id est, nullus. tursum caro, id est homo. quasi dicat, Ideò Deus elegit & vocavit ad Christum non sapientes, nobiles, & potentes; sed rudes, ignobiles, & impotentes, ut nullus homo glorietur se vocatum ad Christianismum ob suam sapientiam, opes, nobilitatem, fortitudinem, & færita; sed sciat se vocatum ex mera Dei gratia. ita Anselmus.

VERS.30 *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu] Ex ipso scilicet Deo, & non ex vobis, etiam vos estis quicquid estis coram Deo ; & ab eo habetis quicquid boni quod ad pietatem pertineat, habetis, idque per Christum Iesum, aliter : Vos estis ex Deo, id est, filii Dei, homines Dei estis, velut ex Deo nati, idque per Christum. Tertius sensus : Ex Deo vos estis in Christo, id est, per Dei gratiam estis Christiani, Christo incorporati, & beneficiorum eius participes.*

Qui (Christus) factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio] nempe causalis, quod Christi merito iustitiam, sanctificationem & redemptionem à Deo acceperimus. Christus factus est nobis auctor & causa veræ & Christianæ sapientiae, redemptionis, sanctitatis & iustitiae ; Primo, satisfactorie & meritorie : idque maximè hinc spectat Apostolus ; quia Christus pro debito humano, iustissimo sanguinis sui pretio satisfecit, & meruit nobis iustitiam, sapientiam & sanctitatem, adeoque factus est nobis iustitia ; quia iustitia, id est, satisfactio Christi nostra est perinde, ac si nos Deo satisfecissimus. unde, ut Theologi docent, in iustificatione per Sacra menta quasi prius natura Christi satisfactione nobis applicatur ; ut deinde posterius natura propter eam remittantur peccata, & gratia infundatur.

VERS.31. *Vi quemadmodum scriptum est apud Ieremiam, cap.9. non verbis tamen iisdem, sed sensu : qui gloriatur, in Domino glorietur] Apud Prophetam sic legitur : Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuinitate suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur,*

scire

scire & nosse me. Sensus igitur Apostoli ex Prophetā est huiusmodi : Qui gaudet & gloriatur se habere aliquid vnde placeat Deo, non id suæ sapientiæ aut potentiaæ, aut alteri cuicunque bono naturæ ascribat, sed soli gratia Dei acceptum ferat. Quanquam illud in *Domino*, potest de Christo accipi, de quo proximè sermo fuerat, ut sensus sit, in nulla alia re gloriandum esse, quam in ea quam per Christum habemus, quia nobis omnia factus est. Non ergo, ô Corinthij, in vobis, non in Paulo vel Apollo præceptoribus vestris, sed in Domino gloriamini. Ille, ait S. Ansel. *in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illum esse, non solum ut sit, sed etiam ut non nisi ab illo bene sit sibi, à quo habet ut sit.*

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Christum & hunc crucifixum Corinthius se prædicasse dicit, cum humilitate sermonis & virtute Dei: sapientiam mundo absconditam quæ solo Dei spiritu cognosci potest, se loquitur inter perfectos: quod animalis homo non sit aptus ad eam percipendam.

Et ego cum venisssem ad vos, fratres, veni non in VER. 1.
sublimitate sermonis aut sapientia] id est, secundum vel per sublimitatem. itaque ego quoque quasi unus ē grege Apostolorum, qui iuxta electionem & voluntatem Dei non sunt vni eloquentia & sapientia sæculari; iisdem vti nolui, venique ad vos, non in sublimitate, sed in simili-

plicitate sermonis & sapientiae.

Annunctionis vobis testimonium Christi.] Igitur quando veni ad vos testis Christi, videlicet annunciaturus vobis Euangelium, quod est testimonium Christi, id est de Christo, idque iuxta legationem mihi iniunctam; nullam ostendi in prædicatione mea vel eloquentiae vel sapientiae sæcularis eminentiam; sed simplici sermone usus, ac nullo adiutus adminiculo philosophiae humanae, Christum vobis prædicauit.

VER. 2.

Non enim iudicauit me scire aliquid inter vos. q.d.
Non reputauit, non aestimaui aliam scientiam, quām eam quæ est de Iesu crucifixo, Salvatore nostro: vnde ita me gessi inter vos, quasi nihil scirem sapientiae humanae, cùm tamen multum eius callerem; nam alibi Poëtas Græcos cito, sed apud vos dissimulaui me quicquam scire: non declarauit me aliud scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum] ut simpliciter, ut alij Apostoli, prædicarem tantum Christum crucifixum; non quod alia fidei mysteria nō prædicarim, sed quod præcipue docuerim & inculcarim in una Christi cruce esse gloriandum, & sperandam esse iustitiam ac salutem, crucemque, ut addit Anselm. imitandam esse; ac vitia crucifigenda esse Christiano. Paulus paruulos in Christo lacte potat: adultos in fide, solido cibo roborat. inter illos nihil nisi Christum, & hunc crucifixum se scire iudicat: inter istos, de secretis caelestibus & mysteriis à sæculo absconditis disputat.

VER. 3.

Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.] Timor & tremor, quorū coniunguntur in Scripturis, ferè significant sollicitudinem operis cum metu offendendi. ut psal. 2. Seruite

uite Domino in timore , & exultate ei cum tremore . & Philipp. 2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Infirmitatem interpretantur quæ potentiae opponitur. Aliis placet (quod & ego magis probo) infirmitatem hic accipi pro humilitate conuersationis , de qua dicit 2. Cor. 10. *Qui in facie quidem humili sum inter vos:* & propter quam de eo dicebatur , ut ipse refert eodem loco: *Præsentia corporis infirma.* Et cap. 13. ait : *Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus.* Itaque sensus est: Quando prædicaui vobis Euangelium , non solùm vsus sum humili sermone , nihil admiscens sapientiae secularis : verum etiam humiliiter admodum ipse me gessi , manibus laborans , nec vtens potestate , quā Dominus mibi dedit , & inter hæc sollicitus , ne quid committerem verbo aut facto , quo vos offensi resiliretis à fide susceptra. Summa est , ut doceat se versatum fuisse apud Corinthios , non ut sermone tantum , sed & persona humiliem.

Et sermo meus & prædicatio mea , id est , oratio VERS. 4.
mea qua usus sum in Euangelio prædicando , non
(fuit) in persuasibilibus , id est , persuasoriis siue ex-
quisitis ad persuadendum , *humana sapientia ver-
bis.*] In hisce enim excellebant , Paulumque su-
perabant Oratores & Philosophi qui erant Co-
rinthi.

Sed in ostensione spiritus & virtutis.] Hæc ergo
fuit demonstratio Apostolorum ; ostendere ni-
mirum primò magnum zelum & spiritum eru-
stantem sapientia & arcana ; non humana , sed
diuina: ita ut manifestè cernerent auditores , Spi-
ritum sanctū per os eorū loqui. Secundò , osten-
dere magnas virtutes , id est , prodigia & miracula.

VER. 5.

Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei] quasi dicat, Ideò Deus vult me euangelizare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; *vt vestra fides, id est, conuersio vestra ad fidem Christi, tribuatur non hominum sapientiæ & eloquentiæ, sed virtuti, id est, potentia & efficacia Dei; nimur ut fides vestra sit fundata, non in hominum, sed in Dei sapientia & potentia.* ita Anselmus & alij.

VER. 6.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos] Loquimur enim & docemus veram & Dei sapientiam inter perfectos. Sapientiam, id est, secretiora & altiora fidei mysteria, vti de resurrectione, Antichristo, reprobatione, prædestinatione: vel potius sapientiam, id est, profundiorem & altiorem rerum fidei explicationem: vti de modo, consilio & fine incarnationis, passionis & redemptionis Christi. Hos perfectos, vocat spirituales, versu 15. quasi dicat: Licet ut expers videar sapientiæ humanæ, non tamen diuinæ: tametsi enim vobis, quia paruulis, tanquam lac, id est simpli- cem & facilem doctrinam dederim, tamen sapientiam arcanam & diuinam loquor inter perfectos.

Sapientiam vero non huius sæculi, quam suprà vocavit humanam, neque principum huius sæculi, qui destruuntur] Sensus huius loci est: Sapientiam loquimur non huius sæculi, id est sapientiam philosophiæ sæcularis, quæ naturali rationis lumine comparari potuit: neque sapientiam-principum huius sæculi. id est, introductam à dæmonibus, qualis genethliacorum & superstitione philosophiæ, qua referta erat doctrina Simonis; qualis item

item maximè deorum cultus cum cærimoniis: qui principes huius sæculi, id est dæmones, destruuntur siue abolentur, destruuntur, inquam, per Christum, qui in hoc apparuit ut dissoluat ac destruat opera diaboli. 1. Ioan. 3. & ut princeps huius mundi eiiciatur foras, Ioann. 12. Destruuntur ergo, quia potestas eorum destruitur.

Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.] Sapientiam Dei quæ abscondita est, id est, consilia diuinæ sapientiæ quæ Deus esse voluit abscondita, & ante Filij sui passionem paucissimis revelata (quæ idem Apostolus Ephes. 3. vocat sacramentum absconditum à sæculis in Deo) loquimur & docemus non propalam & passim apud omnes, quia non omnes ea capiunt, sed in mysterio, id est secretò, & apud pauciores, scilicet eos qui spirituales & perfecti sunt. Quidam ita supplant & exponunt: *Loquimur Dei sapientiam, latentem in mysterio, id est, absconditam illam, quam prædestinavit Deus, &c.*

Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.] quam sapientiam, id est, quæ consilia sapientiæ suæ Deus ab æterno præfiniuit ac decreuit exsequenda in tempore; quibus nos adduceret ad gloriam adoptionis filiorum.

Quam nemo principum huius sæculi cognovit] q. d. Si hanc sapientiam vel potius gloriam, eiisque per Christum prædestinationem cognouissent Pilatus, Annas, Caiphas, aliquique principes Iudæorum, nunquam Dominum ipsius gloriae, scilicet Christum, cuius merito nobis, ante sæcula, puta ab æterno, prædestinata & præparata est hæc æterna gloria, crucifixissent. aduertit id solerter Gabriel Vasquez 1.p. disput. 2. cap. 3.

Si enim

Si enim cognouissent] intellige sapientiam Dei de qua iam fuit locutus.

Nunquam Dominum gloria crucifixissent.] Dominum gloria simpliciter intelligent Dominum , id est Deum gloriosum , quomodo in psalmis rex gloriae & Dominus maiestatis appellatur. At Graeci interpres Dominum gloriae Christum dici volunt , quod per crucem esset ad gloriam eueniendus.

VER. 9.

Sed sicut scriptum est. Sed scilicet abscondita fuit eis haec sapientia & gloria , quae finis est sapientiae istius : idque probat ex eo , quod de ea scripsit Isaia: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quae preparauit Deus iis qui diligunt illum.] Nota Isaiam c. 64. quem hic citat Paulus, agere de incarnatione Christi & vita praesenti. Videtur admirans Isaia auolare ab incarnatione & Christo homine , ad gloriam celestem, qui fructus est & finis incarnationis Christi. tales enim raptus & transitus, Prophetis ob lumen propheticum sublime & amplum sunt familiares. Oculus non vidit , &c. id est , superant omnem sensum, experientiam, cogitationem naturalem , & omne hominis naturale desiderium, ea bona, quae tu, ô Domine Deus , preparasti per Christum, expectantibus te; tum in hac vita, scilicet iis qui aliquid de iis iam inaudierunt ; tum maximè & propriissimè in futura gloria : in illa enim Deus, qui est omnia bona , dabit se Beatis, & erit omnia in omnibus , ait Anselmus. Hisce enim Isaiae verbis probat Apostolus id , quod dixerat ; scilicet arcanam & absconditam esse sapientiam , æquè ac gloriam Christi. Nota , in cor hominis non ascendit , id est in mentem hominis

non

*Prepara-
ta dili-
gentibus
Deum
quenam
sint.*

non venit; siue homo naturaliter cogitare, concipere, intelligere nequit. Cor enim per catachresin, Hebreis mentem significat. Hebrei, mentis cogitationem vocant alcensum; & cogitare, vocant ascendere in cor. Pro expectantibus, ut habet Isaías, Paulus habet diligentibus, quia expectatio à dilectione manat naturaliter.

VER. 10.

Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum] ne quis obiiciat, Quo igitur pacto vos illa loqui potestis, si nec in mentem cuiquam venire potuerunt? Deus, inquit, nobis per spiritum suum reuelauit. Vnde Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi cap. 6. sic interpretatur. Nec auris audiuit: præter illam, inquit, solam, quæ in tertium calum rapta est; puta Pauli, qui in paradiſo, aure sua audiuit hæc arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ait ergo Paulus: nobis autem, intellige, non omnibus fidelibus, sed Apostolis, qui eadem mysteria tradamus aliis, &c. ut suprà dixit, sapientiam loquamur inter perfectos. Hic est Spiritus sanctus, quem, ait Dominus ad Apostolos, Ioan. 14. mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia. & cap. 16. Docebit vos omnem veritatem.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei] Scrutatur, id est penetrat & perspicit. Homines enim, ut quid ignotum perspiciant, illud scrutari & inquirere solent; Deus autem sine inquisitione omnia uno mentis cernit in ictu & intuitu. ita S. Thom. Theodor. Theophil. Profunda Dei vocat omnia intima & secretissima Dei consilia; inter quæ maximum est hoc mysterium gloriæ & redemptionis hominum, per Christum: hæc omnia penetrat & peruidet Spiritus sanctus, quia unius cum Deo est essentia & cognitio.

cognitionis, ac consequenter ita profunda Dei scrutatur, ut nihil remaneat in Deo incognitum, sed eius cognitio & visio obiectum suum adaequet, Deumque tantum cognoscat, quantum cognosci potest, id est, comprehendat Spiritus sanctus, ut pote Deus, tam Deum quam diuinitatem. ita Molina 1. part. quæst. 14. artic. 3. Theodoret. S. Thomas. quasi dicat Paulus: Hæc mysteria & arcana Dei reuelauit nobis Spiritus sanctus, ille omnium secretorum Dei est conscientia, adeoque scrutatur & peruidet profunda Dei.

VER. 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis? quæ in hominis intimis, puta in corde & mente, delitescant, nimirum cogitationes, volitiones & intentiones, ipsumque fundum cordis humani.*

Solus Dei spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, quæ in Dei mente sunt abscondita, puta cogitationes, consilia & determinationes diuinæ voluntatis, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.] id est, Spiritus sanctus, qui eorum aquæ ac sibi ipsius est conscientia. Est enim Spiritus sanctus intimus, æquæ ac spiritus hominis homini ipsi est intimus: ac proinde sicut spiritus hominis, humanitatis; ita spiritus Dei, diuinitatis, diuinæq; omniscienciarum & omnipotenciarum est particeps. Cùm ait, nemo cognouit nisi spiritus, subaudiendum est, & nisi is cui voluerit spiritus ea reuelare, ut mihi & Apostolis illum ea reuelasse dixi. nemo nisi spiritus. q.d. Nemo scit secreta Dei, nisi Spiritus Dei, & illi qui eandem cum Spiritu habent naturam, intellectum, cognitionem, scilicet Pater & Filius; hi soli sciunt profunda Dei, nemo aliud.

VER. 12. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.] Nos, inquit, non spiritum*

ritum mundi accepimus, id est, non sumus instituti sapientia mundana & sæculari (sic enim spiritum mundi Græci interpretantur) ut sciamus quæ sunt huius sæculi; sed accepimus Spiritum qui ex Deo est, id est spiritum Dei. Loquitur ut suprà, in persona Apostolorum: qui non fuerunt imbuti sapientia huius mundi, sed repleti spiritu sancto.

Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis] q. d. Hic spiritus ostendit & reuelat nobis quæ & quanta bona à Deo nobis, scilicet Apostolis, alisque diligentibus Deum, donata sint, nimirum tanta quanta nec oculus vidit, nec auris audiuimus, nec in cor homini ascenderunt.

Quæ & loquimur] id est, quæ eadem tradimus VERS. 13, aliis, sed non passim omnibus.

Non indoctis humana sapientia verbis] Doctis, Græcè, persuasiuis. Sensus: Eloquimur mysteria nobis per Spiritum Dei reuelata, non vtentes verbis arte compositis, nec oratione per humanam sapientiam instruenda.

Sed in doctrina spiritus] id est, in iis verbis, quæ & qualia docet Spiritus sanctus. Sensus: Sed vtentes oratione qualem docet ac suggestit Spiritus sanctus. sic Ioan. 6. Et erunt omnes docti, seu docebiles Dei; Græcè, docti à Deo.

Spiritualibus rebus spiritualia verba & discursus comparantes] & conferentes. q. d. Doceo hanc spiritualem sapientiam è Scriptura, & aliis spiritualibus discursibus, non autem philosophicis, theoteticis, aut terrenis rationibus, conceptibus & eloquiis. Spiritualibus viris spiritualia adaptantes, id est, tanquam illis apta tradentes. Nam spiritualibus vtique spiritualia conueniunt, vnde suprà dixit: Sapientiam loquimur inter perfectos. hinc

etiam sequitur: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.* & post: *Spirituualis autem indicat omnia.* Sensum hunc reddit & docte prosequitur S. Thomas.

VERS. 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei]* *Animalis,* hic dicitur qui tantum sensus, & naturale rationis lumen sequitur; siue qui secundum animam est, & secundum animam sapit, quique animae sensa & cogitata sequitur, quales erant Apostoli ante Spiritum sanctum, & Corinthij hoc tempore, querentes eloquentiam: & iam multi fideles etiam non mali, qui altiora non capiunt.

Animali-
tripliciter di-
citur. Nota. *Animalis* dicitur, qui anima viuit; sumiturque tripliciter: Primo qui crescit, nutritur, eget cibo, ut animalia. Sic Adam creatus, licet in gratia, dicitur *animalis*, 1. Corint. 15.

Secundo, qui sequitur animae, id est concupiscentiae, desideria. Sic Iudas vocat *animales*, spiritum non habentes.

Tertio, qui scientiam, non spiritualem & sublimem, sed animae sensibusque obuiam, & facilem sequitur. ita hic capitur.

Spiritu-
lus etiam
triplici-
ter dici-
tur. Sic *spirituualis* dicitur, qui spiritu viuit
Primo, quasi *spiritus*, non egens cibo, sic Christus post resurrectionem dicitur *spirituualis*, 1. Corinth. 15.

Secundo, qui *spiritus* instinctum, dictamen, & impulsu[m] sequitur. ita saepe alibi.

Tertio, qui *spiritus* sublimem doctrinam capit & haurit, ita hic vocatur *spirituualis*, inquit Chrysostomus, D. Thom. & aliij.

S. Bernardus, vel quisquis est auctor tractatus de vita solitaria: Incipientium, inquit, status, potest

test dici animalis; proficentium, rationalis; perfectorum, spiritualis, &c. Perfectio vero hominis rationalis initium est hominis spiritualis; profectus eius, reuelata facie speculari gloriam Dei; perfectio vero transformari in eandem imaginem à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu.

Stultitia enim est illi] Melius ex Graeco, *Stultitia enim ei sunt*. Quia quæ sunt spiritus Dei, stultitia sunt illi homini: sublimiora diuini Spiritus mysteria: nimur ea quæ Paulus inter perfectos loquitur.

Et non potest intelligere] Græcè, cognoscere, scilicet ea quæ sunt Spiritus Dei. Nondum est, inquit, capax eorum cognoscendorum, nondum aptus est ad ea percipienda.

Quia spiritualiter examinatur] iuxta rationes Spiritus sancti, & regulas fidei. examinantur. ita Biblia Romana. Animalis homo non potest percipere quæ sunt Spiritus Dei: quoniam illa spiritualiter examinantur, id est, spirituali intellectu examinanda, discutienda, ac diiudicanda sunt.

Spiritualis autem iudicat omnia] Vocatur spiritualis, qui fidem & prudentiam atque doctrinam Spiritus sancti sequitur, qui Spiritum rectorem animæ habet, & doctorem. ita S. Chrysostomus, Anselmus, & Diuus Thomas. *Spiritualis omnia iudicat*, id est examinat, redarguit, & discernit secundum regulas fidei, & prudentiæ diuinæ, quæ habet, ut in eo quo quis spiritualis est, à spiritu satis instructus. Sensus: homo spiritualis (quem suprà dixit perfectum) qui pro consuetudine mentem habet exercitamat in diuinis, vt pote iam adultus & prouectus in vita spirituali; idoneus est ad benē iudicandum, non solùm

VERS. 15
Spiritua-
lis quis
dicatur
& sit.

Spiritu-
lis omnia
iudicat,
quo se su-

de rebus sensibilibus atque terrenis (quod solùm potest animalis) verùm etiam de spirituálibus, id est, altioribus ac difficultioribus religio-nis nostræ mysteriis, quæ à Christo cælestia vo-cantur, Ioan. 3. Si, inquit, terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixerim vobis cælestia credetis? Au-gustin. lib. de Vera religione cap. 31. de spirituali dicit: Omnia iudicat. quia super omnia est quan-do cum Deo est: cum illo autem est quando pu-rißimè intelligit, & tota charitate quod intelligit diligit.

Spirituális à nemine iudicatur] à nemine, id est, à nul-lo alio, qui videlicet non sit spiritualis. ita post Chrysostomum Theophylactus, adducta similitu-dine de vidente & non vidente. Nam qui videt, & sua videt, & ea quæ sunt non videntis: hic ve-rò nec sua, nec quæ illius sunt videt.

Alioqui spiritualem à spirituali iudicari, quo-modò Petrus à Paulo iudicatus fuit, Gal. 2. nihil prohibet. vnde nec sequitur hominem spiritua-lem non iudicari à lege. Nam & lex ipsa spiri-tualis est Roman. 7. Sed dices: Igitur à suo Prin-cipe vel Prælato si sit animalis, iudicandus non erit is qui spiritualis est. Verùm hic non agi de iudicio publicæ potestatis, quod est Principum & Prælatorum. Tanùm enim toto hoc loco vult Apostolus per spiritualem excludere anima-lem & mundanam sapientiam, & conferre ac præferre spiritualem animali qua gloriabantur Corinthij, & cuius imperitum Paulum postpone-bant Apollo. vnde tacitè Corinthios vocat ani-males, quia quererebant docta humanæ sapientiæ verba, id est humanam sapientiam & eloquentiæ, qualem mirabantur in Apollo: dicitque eos

non

non posse iudicare de spiritualibus, & sua sapientia spirituali; se verò & sibi similes viros spirituales iudicare debere tam de sapientia spiritali, quam animali. Hoc & non aliud vult Apostolus.

Quis enim cognouit, per se scilicet, sensum Domini, qui instruat eum? Respicit Apostolus ad locum Isaiae 40. qui sic habet: *Quis cognouit mentem Domini, & quis eius consiliarius fuit? qui instruat eum?*] Igitur Paulus hac interrogatione probare intendit, non animales sed spirituales, cuiusmodi imprimis erant Apostoli, nosle ea quæ sunt spiritus Dei: ac de iis postea iudicare eadēmque aliis tradere. id enim est quod sequitur.

Nos autem sensum Christi habemus. Sensum, id est mentem, intelligentiam, sapientiam Christi, putam spiritualem & diuinam, non animalem & humana-
nam; nostra enim sapientia non Platonis est, non Pythagoræ, sed Christi, qui sua ipsius dogmata menti nostræ infudit. ita Chrysost. Potest autem tota sententia sic explicari: *Quamuis secundum Prophetam nemo perfectè nouerit mentem, consilia & cogitationes Dei; multoque minus quisquam sit qui possit eum instruere consiliis:* nos rāmen Apostoli qui spirituales sumus, mentem Christi Domini ex reuelatione Spiritus sancti perceperimus: ut de spiritualibus, id est arcanis religionis mysteriis iudicare possimus, atque illis ea tradere qui eorum discendorum fuerint

capaces.

* *

C A P V T III.

S V M M A R I V M .

Corinthios notat tanquam adhuc carnales , ut qui contentiones inter se haberent ob studia magistrorum. Quos docet ministros tantum esse : solo Deo dante incrementum : nec aliud esse fundamentum præter Christum ; cui quæ superaedificantur , per ignem probanda. Non esse violandum Dei templum quod nos sumus. Sapientiam mundi destruendam : nec in hominibus gloriandum.

VERS. 1. *E*T ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritu-
alibus, sed quasi carnalibus] Idem est hoc loco
carnalis, qui suprà animalis. sicut enim illic ani-
mali, ita híc carnali spiritualem opponit : vt car-
nalis intelligatur, qui sensu carnis impeditur à
spiritualibus contemplandis.

*Tanquam parvulis in Christo] Carnales exponit
Apostolus parvulos siue infantes in Christo, quod
nimis ipse quasi parvuli & carnales tantæ sa-
pientiae necedum essent capaces, ac proinde non
esca, sed lacte nutriendi.*

VERS. 2. *Lac vobis potum dedi] humiliorem ac simili-
quid A- ciorem doctrinam, quam velut infantes in Chri-
postolus sto facilius caperetis, vobis tradidi. Lac vocat
per lac, Apostolus faciliorem, suauorem & simplicio-
quid per rem doctrinam de Christi humanitate & gratia
esca in- zeligat. ac redemptione : qualis conuenit catechumenis
recens*

recens conuersis, & adhuc carnalibus.

Non escam] non cibum solidum. Perfectorum est solidus cibus. Hebr. 5. quo nomine significat doctrinam sublimiorem quæ adultis in Christo conuenit. *Escam*, id est solidum cibum, vocat perfectiorem, robustiorem, & de altioribus mysteriis doctrinam; vti de Deo, de Dei spiritu & spiritualibus, de crucis sapientia, potentia, amore. ita Ambros. Theoph. S. Thomas. Anselmus.

Nondum enim poteratis] Dat igitur rationem Apostolus, cur solidum cibum Corinthiis non præbuerit, quia ferre non poterant.

Sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales VERS. 3.
estis. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis? Idem est carnalis, animalis, secundum hominem ambulans; scilicet spiritu Dei destitutus, qui sequitur motus concupiscentiae, siue naturæ corruptæ. q. d. Paulus, Vos, o Corinthij, estis carnales, id est contentiosi, quia ut pueri inaniter de dignitate magistrorum contenditis, dum hic suum Paulum, alter suum Apollo præfert & venditat.

Ei secundum hominem ambulatis?] Ambulare secundum hominem, est affectus humanos & carnales in vita & actionibus suis ostendere.

Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo; nonne homines estis? id est affectibus humanis & carnalibus obnoxii. VERS. 4.

Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus?

Ministri eius cui credidistis? Græcè, Nisi ministri VERS. 5.
per quos credidistis? Paulus, inquit, & Apollo ministri vestri, propter quos contenditis, quid aliud sunt quam ministri Dei, quorum externa dūtaxat

opera & ministerio prædicatum est vobis Euangelium Christi, in quem credidistis.

Et uniuicue sicut Dominus dedit] diuersa habentes ministeria prout communis eorum Dominus cuique dedit.

VERS. 6. *Ego plantavi*] Plantare est doctrinam de Christo tradere iis qui Christum antè non nouerant.

Quid rigauit] id autem est doctrinæ Christianæ iam plantatae & fundatae, superaddere præcepta quibus illa conseruetur & augeatur.

Sed Deus incrementum dedit] id est, interius dedit vitam & vigorem gratiæ ad crescendum, & adolescentium in fide, virtute & christianismo. Hoc enim solius est Dei. vide August. tract. 5. in Ioannem.

VERS. 7. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*] quia licet foris exhibeant suum ministerium, non tamen actione sua interiorem attingunt effectum vel vegetations in naturalibus vel sanctificationis in diuinis. sed illam quidem efficit natura Deo authore, istam verò sibi soli Deus reseruat.

VERS. 8. *Qui autem plantat & qui rigat, vnum sunt*] Vnum sunt, id est, ambo non aliud quam ministri, & quidem vnus Domini ministri. Ergo omnes eadem charitate & vnione complecti debetis, non autem propter eos facere schismata.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem] Locus hic clarè docet merita bonorum operum; ubi enim merces est, ibi & meritum est. Opera nostra non ex laboris aut molestiae magnitudine estimationem habent apud Deum: ut neque ex diuturnitate temporis aut

aut ex numero actionum ; sed ex pondere charitatis, à qua procedunt. Cùm autem merces cogitari nequeat absque merito; manifestè sequitur ex hac sententia & aliis similibus , id quod hæreticus negat, bona iustorum opera (quæ nos profitemur esse Dei dona) mereti vitam æternam.

nem ha-
beant a-
pud Dñm.

Dei enim sumus adiutores , id est cooperatores. VER. 9.
Ingens hæc, angelica, imò diuina est dignitas (ait S. Dionys. de cælest. Hierarch. cap. 3.) *Dei cooperato-*
rem fieri in conuersione animarum , diuinamque in se Cociona-
toris di-
gnitas.
operationem palam cunctis ostendere.

Dei, non autem Pauli, vel Apollo, vt in iis gloriarri possitis , agricultura estis.] Agricola primarius est Deus, famuli sunt Paulus & Apollo, ager sunt Corinthij, semen est gratia, fructus sunt bona opera. Deus colit interius per spiritum; Paulus iuuat exteriorius per vocem, ita Anselmus.

Dei ædificatio estis] sed & ædificium Dei estis, ad quod ædificandū Deus nos operarios cōstituit.

Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui] q. d. Non mea VER. 10. est hæc fabrica, non meum est hoc opus Ecclesiæ Corinthiacæ : licet enim ego quasi architectus, prima illius fundamenta euangelizando iecerim , tamen quicquid ego in ea feci & perfeci, non meis, sed gratiæ Dei viribus effeci; tota hæc Ecclesiæ vestræ fabrica, non mihi, sed gratiæ Dei tribuenda est.

Alius autem superædificat.] Sicut enim idem Apostolo est is qui plantat, & qui fundamentum ponit: ita quoque idem est qui rigat & qui superædificat. De solis magistris seu prædicatoribus accipiendum est : quorū scilicet est docere fideles ea quæ sunt Christianæ veritatis ac pietatis.

Unusquisque autem videat quomodo superaedificet.] Quoniam multi erant Doctores Corinthiorum: generatim eos monet, ut quisque diligenter attendat, quomodo superaedificet: id est, quamē doctrinam fidei in fundamento positā superaddat, ne forte ex saeculari philosophia, qua videbantur instructi, vel ex opinione priuata, admisceant aliqua dissentanea veritati & simplicitati Christianae.

VERS. II

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est.] Nam, inquit, quod ad fundamentum attinet, illud, salvo hoc ædificio ac templo Dei, mutari non potest. Varia quidem est superaedificatio: sed nemo potest diuersum collocare fundamentum ab eo quod à me positum est.

Quod est Christus Iesus] quod fundamentū est Christus Iesus, scilicet à nobis Apostolis annuntiatus, & à vobis fide receptus. Fundamentum ergo Ecclesiæ, & cuiusque in ea animæ fidelis, est Iesus Christus, id est, fides in Christum Iesum Salvatorem nostrum, ac præsertim, fides viua per charitatem, super quam ego vos ædificauit ita Anselmus & Gregor. lib. 7. epist. 47. Hoc sensu solus Christus est Ecclesiæ fundamentum; puta fundamentum fundamentorum, ut ait S. August. in psal. 86. quod scilicet seipso consistit, omnia sustinet, etiam Petrum: alio sensu Petrus est fundamentum Ecclesiæ, idque secundarium; quia scilicet ipse firmus est in fide, ut publicè errorem docere non possit, sed alios semper in ea confirmet & illuminet. ita S. Thomas, & passim Doctores Catholicæ. Simili sensu non solus Petrus, sed omnes Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ,

Petrus
secunda-
riū fun-
damen-
tum Ec-
clesiæ.

cœlestis, Psalm. 86. vbi dicitur, *Fundamenta eius (Sionis, id est Ecclesiæ) in montibus sanctis. & Ioann. Apocal. 21. duodecim Apostolos collocat & nominat fundamenta Ierusalem sive Ecclesiæ cœlestis.*

Si quis autem superedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.] Est metaphora à domo per ignem conflagrante; quæ si ex auro & lapidibus pretiosis constructa sit, igne non læditur; sin ex ligno & stipula, aduritur. Vbi obiter aduerte per lapides pretiosos h̄ic intelligi marmoreos, porphyreticos, & similes, non autem adamantes & gemmas. Sensus ergo Apostoli est, q.d. Si oriatur incendium, domus ex marmoribus & auro structa, illo non lædetur, sed magis clarescet; vicina verò domus è ligno & stipulis conflagrabit, & qui eam inhabitat, elabetur quidem, sed ambustus: ita si quis Christianorum, præsertim doctorum, & prædicatorum Euangeli, fidei Christi superedificet aurum & argentum, id est opera sancta, ac præsertim doctrinam sanam, proficiam & sanctam, pertinentem ad ornamentum Ecclesiæ; hic mercedem accipet. S. Thom. *Aurum, ait, est quinam charitas; argentum, sapientia & contemplatio; lapides pretiosi, sunt virtutes aliae.* E contrario lignum, fœnum, stipulae sunt peccata non grauia illa & mortalia, ut vult Chrysoſt. Theophyl. sed leuia & venialia, quibus scilicet mens adhaerescit ad vanam, v.g. ad carnis commoda, nugas, vanam gloriam. Propriè verò ad mentem & scopum Apostoli; lignum, fœnum, stipula, est doctrina incerta, friuola, pomposa, phalerata, curiosa inutilis, ita S. Ambroſius, Sanctus Thomas, Theodor.

Anſelm.

VER. 12.

*Aurum,
argentū,
lapides
pretiosos,
ligna,
fœnum,
stipulā,*
*super-
adificet.*

Anselm. qui enim hæc superstruit fundamento fidei Christi , hic saluus erit , sic tamen quasi per ignem.

VER. 13. *Vniuersiisque opus manifestum erit.]* Tacitè monet Apollo , & alios Euangelijs precones , maximè eloquentes , quibus periculum est à vanitate , vt eam caueant , & puræ veritatis sint magistri , ne si secùs faciant igne hoc expiari debeant ; nam aliquos tales fuisse Corinthi , eòsque contentionis & schismatis fuisse causam vel occasionem , satis insinuat Apostolus .

Dies enim Domini declarabit] id est , dies iudicij , maximè vniuersalis ; quia hæc in igne reuelabitur . illa enim Domini , iam nostra est dies , ait Anselm . Theodor . Ambros .

Quia in igne reuelabitur .] Totus hic Apostoli locus de die iudicij , tam particularis , quam vniuersalis , déqué igne tam Purgatorijs quam conflagrationis mundi intelligendus est .

Et vniuersiisque opus quale sit , ignis probabit .] Sensus est : Eo ipso igne , quo reuelabitur vel dies Domini , vel ipse Dominus , vel opus cuiusque , tanquam instrumento iustitiæ diuinæ , quicquid doctrinæ superaedificatum fuerit fundamento à ministris verbi Dei , seuerè examinabitur : siue illud sit vt aurum , argentum , lapides pretiosi ; siue vt ligna , fœnum , stipula .

VER. 14. *Merces operū bonorum nota .* *Si cuius opus manserit quod superaedificauit , mercedem accipiet .]* Sensus est : Si cuius opus quod superaedificauit permanserit illæsum ab igne , vt pote purum , sanctum & irreprehensibile , quomodo purum aurum ab igne non læditur ; pro eo opere ipse ædificator mercedem recipiet à iudice Christo . itaque tali structori ignis ille , quantum

ad

ad eiusmodi opus attinet, nullum inferet cruciatum aut dolorem; quia nihil in eo inueniet purgandum.

Si cuius opus arserit, detrimentum patietur] si VER. 15.
cuius opus quod superaedificauit, ab igne corruptum & combustum fuerit, quomodo ligna, fænum, stipula comburi solent ab igne, hoc est, si malum ac reprehensibile inuentum fuerit, ideoque poena dignum; ipse ædificator detrimentum huiusmodi operis patietur, nihil pro eo mercedis accepturus, sed magis propter illud ab igne cruciandus operans damnum passurus est, & dispendium facturus sui operis ac laboris: quomodo mercator damnum patitur suarum mercium, dum eas in mare proicit, ut ipse euadat. ita *detrimentum quisque patietur*, id est, poena mulctabitur operans, ita tamen ut saluus fiat per ignem.

Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem] Græcè, *saluabitur, saluus fieri*. vult enim Apostolus hac similitudine ostendere, igne puniendos esse Doctores, qui fidei Christi vana & curiosa superaedificant: saluus erit sicut is, qui ex incensa domo elabitur, & transit ambustus per ignem. De igne Purgatoriū hunc locum accipiunt omnes Catholici Patres & Doctores Latini, & Concilium Florentinum initio: estque consensus & traditio Ecclesiæ.

Purgatoriū animalium.

Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?] quasi dicat: Estis ædificium non hominis, sed Dei, ac consequenter non profanum, sed sanctum, pura templum Dei, in quo Deus habitat per fidem, gratiam, charitatem & dona sua. ita Anselmus & alij passim.

Fideles templum Dei.

Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum] VER. 17.

illum Deus.] Sensus est : Si quis per falsam doctrinam subuertit fundamentum spiritualis ædificij, atque ita destruit ipsum ædificium, seu templum Dei ; is non existimet se saluum fore per ignem, sed planè peritum. Disperdet enim illum Deus: quia nimitem æterno ignis supplicio destructorem illum sui templi puniet.

Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos] ac si dicat: Sacrilegium committit ille templi Dei violator, ut pote rem sanctam, id est, Deo consecratam corruptens : ideoque dignus quem Deus vult iniuriæ templi sui disperdat.

VER. 18. *Nemo se seducat.*] Græcè, *Ne quis seipsum decipiatur.* Loquitur autem Apostolus de iis qui cum essent imbuti sapientia sacerulari, magistros fidei sese venditabant ; quorum quidam, ut dictum est, boni erant, sed imperfecti ; quia super fundamentum Apostolicum ædificabant ligna, fœnum, stipulam : alij verò simpliciter mali ; quos ut templi Dei corruptores proximè notauerat. Igitur de utrisque dicit : Nemo seipsum fallat, confidens ac sibi placens in sua sapientia ; quasi non sit passurus ea quæ dixi, si vel inutilia doceat vel perniciofa.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo (sapientia scilicet & eloquentia sacerulari, rhetorica, philosophica, mundana, terrena, ideoque quasi sapiens superbiat, & ex fastu alios despiciat) *stultus fiat ut sit sapiens.* [*Stultus fiat, id est doctrinæ Christianæ quæ stultitia est incredulis, penitus se subiiciat, & intellectum suum in obsequium fidei captiuet: ita futurum ut verè & secundum Deum sapiens fiat.*

VER. 19. *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum*

Deum] quia Deus reprobauit sapientiam sacerdotalem, & abiecit quasi fatuam: Primo, quia nihil sapit salutare & diuinum, nihil etiam facit ad negotium salutis. Secundo, Deus ea vti noluit in Euangeliō prædicando, sed potius rūdibus Apostolis. Tertio, quia sāpe contraria est fidei, tum in speculatiis, vti mysterio Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, mortis Filij Dei, repugnant omnes sacerdoli sapientes, quasi illa impossibilia & incredibilia sint.

Scriptum est enim] quod dixit sapientiam mundi huius esse stultitiam apud Deum, duobus testimoniis confirmat, quorum prius sumptum est ex libro Iob cap. 5. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.*] Sunt hæc verba non Iob, sed Eliphaz, qui falsò disputat contra Iob, volens probare Iob peccasse, & per peccata calamitates suas esse promeritum: vnde redarguitur à Deo, Iob 42. ac proinde verba hæc Eliphaz non habent auctoritatem sacræ Scripturæ, sed viri sapientis. Probat enim Paulus hanc Eliphaz sententiam, quia in se vera est, & sapienter à sapiente illo dicta. Sensus Apostoli: Deus deprehendit, detegit, eludit omnem astutiam ac versutiam sapientum huius sacerdotii. Sapientiam eorum stultitiae conuincit: dum scilicet ostendit eiusmodi sapientiam non posse præstare id quod promittit, hoc est, nihil prodesse ad bene beatèque viendum.

Et iterum (scriptum est Psal. 93.) Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vana sunt.] Sensus est: Dominus nouit cogitationes & consilia hominum qui sibi sapientes esse videntur, vana esse & inutilia ad finem quem spectant, id est advi

Sapiētes
mundi
Deus cō-
prehendit in
astutia
sua.

VER. 10.

ad vitam beatam. Omnes enim sapientes beatitudinem promittunt. Omnibus hinc sententiis & rationibus Apostolus docet Corinthios, vanam & inanem esse sapientiam & eloquentiam saecularem, in qua ipsi gloriabantur, & ob quam Apollo præponebat Paulo. Veram autem sapientiam esse fidem & doctrinam Christianam, quam ipse eis simplici licet sermone, ardenti tamen, & efficiaci spiritu prædicauerat.

*vera sa-
pietia est
fides &
doctrina
Christia-*

na.

VER. 21.

Nemo itaque glorietur in hominibus] eloquentibus vel sapientibus, puta Apollo, Paulo, &c.

VER. 22.

Omnia enim vestra sunt] hoc est, omnia propter vos sunt, & ad vestram ordinantur utilitatem: propter vos autem, intellige electos. Horum enim gratia sunt omnia.

Sive Paulus sive Apollo, sive Cephas] siue Paulus, inquit, qui plantauit: siue Apollo, qui rigauit: siue Cephas, id est Petrus, quamvis Apostolorum princeps, &c., vt ait Thomas, vniuersalis Pastor ouium Christi. Nam hi non aliud sunt quam ministri, per quos credidistis.

Sive mundus, id est vniuersa corporea creatura, quæ sine dubio propter electos est: sive vita, sive mors] vestra est vita, vt in ea merita colligatis: vestra mors, quia per mortem transitis ad vitam æternam.

Sive presentia, sive futura.] Vestra sunt præsentia, tam aduersa quam prospera, quia illis utimini in bonum. vestra sunt futura bona, quia illis fruemini: vnde iam vestra sunt in spe, re ipsa erunt in cælo. ita S. Thomas & Anselmus. Vestra quoque sunt mala, infernus, & damnati, vt illis dominemini.

Omnia enim vestra sunt] vti iā per partes ostendi.

Vos

Vos autem Christi] vt membra mystica Christi
capitis & Domini estis , ac consequenter Christi
possessio estis, sanguine eius empti. ita Anselmus
& S.Thomas.q. d. Ergo vobis , ô Corinthij, non
in hominibus Paulo vel Apollo , sed in Christo
gloriandum est.

Christus autem Dei] Christus quâ homo , Dei
est, quasi domini & capitis sui creatura & posses-
sio, ait S.Thomas, & Caietanus.

Ex dictis patet, fideles sanctos, & maximè ele-
ctos, esse finem, propter quem Deus omnia crea-
uit: horum verò omnium finis est Christus, vt ho-
mo. Hæc enim gloria per se tali homini debeba-
tur, scilicet, vt omnium creaturarum & hominum
esset finis, vt omnia illi seruirent, vt omnia ad eius
gloriam ordinarentur. Christus autem est propter
Deum, & Dei gloriam. quasi dicat Apostolus: Er-
go non in Paulo, vel Apollo , sed in solo Deo, ad
quem omnia alia reducuntur, est gloriandum.

C A P V T IV.

S V M M A R I V M.

Docet quo loco habendi sint prædicatores Eu-
angelij: nec esse indicando ante tempus, sed Do-
mini iudicium expectandum. Reprehendit
eos qui de acceptis donis gloriabantur , ac si
illa à seipsis haberent. Apostolorum sortem
humilem & laboriosam, cum aliorum magi-
strorum conditione comparat. Paternum erga
Corinthios amorem declarat: quibus & suum
aduentum promittit.

Q

Sic

VERS. 1.

Sic non existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei] mysticæ, arcanae & diuinæ doctrinæ, atque Sacmentorum Christi.

VERS. 2.

Hic iam queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur] nimirum utiliter agens Domini sui negotium: rem Domini tractans, non ut suam, sed suæ fidei commissam: nec suam, sed Domini sui gloriam ex sua administratione quærens.

VERS. 3.

*Mibi autem pro minimo est ut à vobis iudicer, aut ab humano die] id est, ab humano iudicio, quomodo dies Domini pro iudicio Dei frequenter accipitur, vt sit sensus: Atque omnino non motor hominum de me iudicia. Nam qui iudicat me, Dominus est. Sermo planè similis apud Ieremiam, cap. 17. sic loquentem Deo; *Laus mea tu es, & diem hominis non desideravi*, id est, in iudicio tuo inueniar laudabilis: hominum iudicia quibus me laudent, non ambio. Felix qui dicere potuit: *Diem hominis non desideravi*, ita ut huius rei testem habeat Deum: hæc summa perfectio est, qua omnia ut stercora reputamus, vt Christum lucrifaciamus Anselmus h̄ic: *Iusti, inquit, non humana iudicia, sed aterni iudicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba cum Paulo despiciunt*. Hoc est ergo quod quidam Sanctorum dixit: *Si vis esse beatus, disc contemnere & contemni*.*

Sed neque meipsum iudico] Græcè, diiudico, q.d. Non possum certo diiudicare mea opera, intentionem, conscientiam.

VERS. 4.

Iusti non certò scirent se

Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum] q.d. Non iudico me. Nam licet nullius infidelitatis in munere Apostolico mihi conscius

scius sim, non ideo tamen reuera iustus sum, non coram hominibus. Horum enim iudicium non curro, ut dixi, sed coram Deo: ipse enim forte in me peccata videt, quæ ego non video.

esse ius-
tus, idq;
ex hoc lo
co dñmō-
stratur.

Qui autem iudicat me, Dominus est Christi, inquit, iudicio, qui Dominus est omnium nostrum, reseruandus sum; non à vobis conseruis iudicandus: illius iudicium certissimum est, vestrum incertum & fallax.

Itaque nolite ante tempus iudicare] quia quamdiu non habetur certa rei iudicandæ notitia, nondum est tempus iudicandi.

VERS. 5.

Quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum] id est, tenebrosas, obscuras, & occultas hominum cogitationes & actiones. Ergo vult soli Deo arcana hominis, maximè intentiones, secretas inclinationes, & fundum cordis, qui homini est profunda abyssus, ac consequenter iustitiam, certò patere; ita ut nemo alterum, imò nec seipsum iudicare debeat, siue ex fide, siue ex operibus, siue ex gratia Christi, nisi solus Deus. Putamus enim sàpè nos benè agere, cùm malè agimus; nos ex gratia & Dei amore facere, quod amore nostræ gloriæ vel cupiditatis facimus. ita Chrysostomus, & Ambrosius híc.

Et manifestabit consilia cordium] id est, manifestum omnibus faciet, quo consilio, quo fine & intentione, quisque fecerit opera sua, etiam in speciem bona. Vel consilia cordium generaliter intelligit latentes cogitationes animorum.

Et tunc laus erit unicuique à Deo] vnicuique bono & laudem merenti tunc erit laus apud Deum, atque ab ipso Deo, dicente: Euge serue bone

Q 2 & fi

& fidelis, Matth. 25. quæ sunt utique verba laudantis. Tunc apparebit quis magistrorum fuerit honore dignus, aut aliis dignior: de quo nunc contenditis, nam illud erit tempus distribuendi à Deo honoris vnicuique.

VERS. 6. *Hec autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo propero vos, ut in nobis discatis, ne supra quām scriptum est (quām scripsi cap. 1.) vnu aduersiss alterum infletur pro alio.*

VERS. 7. *Quis enim te discernit?*] q.d. Cuius suffragio tibi hæc discretio & præcellentia tribuitur? *Quis te discernit?* id est, segregat aut eximit à cæterorum gregè, tanquam iis præstantiorem, ô Corinthie Catechumene. quasi dicat, Nullus, nisi tu qui inflaris. Licet enim à sanctiore, eloquentiore, & doctiore es baptizatus aut edocetus, non ideo tam en es sanctior aut doctior.

Quid autem habes quod non accepisti?] Ne forte superbus docttor interrogatus. *Quis te discernit?* ex aduerso respondeat; Ego me discerno studio, labore, & industria ab aliis, quibus præsto: secunda hac interrogatione pressius eum urget Apostolus dicens: *Quid autem habes quod non accepisti?* scilicet ab alio? nec aliundè quām à Deo. Est autem vera Pauli sententia tam de bonis naturalibus, quām de iis quæ naturæ terminos excedunt. Ex hac sententia docent Patres, hominem, nihil boni à seipso habere: sed quidquid habet boni, ut virtutes, bona opera, studium, conatum, cooperationem, consensum, motum ac nutum voluntatis, id totum in Deum auctorem & largitorem esse referendum: ideo ut affirmare non dubitent, hominem de suo non habere nisi mendacium & peccatum, vti definitum est in Concilio Arausiano can.

can. 22. verbis desumptis ex S. Augustino tractatu
5. in Ioannem.

Si autem acceperisti quid gloriaris quasi non acceperis?] Qui in Deo gloriatur, hoc ipso se se humiliat, Deum agnoscens boni sui datorem. itaque talis non se insolenter efferet supra alios, ut faciebant isti contra quos agit Apostolus.

*Iam saturati estis] Est autem ironicus sermo, VERS. 8.
quo doctores illos irridet, non solum gloriantes in seipsis & non in Deo, de bonis quæ habebant; verum etiam ascribentes sibi bonorum copiam ac præcellentiam quam non habebant. Iam, inquit, saturati estis, id est, ad satietatem usque repleti sapientia ac ceteris donis. sic enim de se sentiebant.*

Iam diuites facti estis] seu ditati estis, id est, abundantes usque adeo, ut etiam in alios dona vestra possitis effundere. Cum quis alios despicit, vultque haberi singularis: hoc tangit cum ait:

Sine nobis regnatis] sine nostro auxilio omnibus Deibonus excellere & triumphare vos puratis, & Corinthij, & magis vos, o magistri, inter discipulos quasi comparato regno, sumimam dignitatem vobis vendicatis, nobis exclusis.

Et utinam regnetis] Regnum, inquit, vobis non inuidemus, sed optamus: modò verè regnetis, id est, Corinthios ad eorum salutem regatis ac dirigatis.

Ut & nos vobis cum regnemus] Sensus: Vos secundè & feliciter agitis, in ista apud Corinthios eminentia, tanquam in regno pacato, quieti à laboribus, & longè positi extra pericula: cum nos interim in extremo contemptu, laboribus & peri-

culis assiduè versemur. ac vtinam bene & seeundum Deum illo regno vestro vtamini : vt & nos tandem his malis liberati , eiusdem pacifici regni vobiscum sumus participes.

VER. 9.

Puto enim quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos id est, qui sumus nouissimi , quos scilicet ultimos ultimis hisce temporibus misit in mundum. ostendit, id est, designauit tanquam homines morti destinatos & addictos. verbi gratia, damnatos ad bestias : vnde Tertull. legit , velut bestiarios. Nam bestiarij Romanis dicebantur , qui cum bestiis depugnare damnati erant. q.d. Deus designauit & destinauit nos non regno & triumphis, sed morti , persecutioni & martyrio.

Quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus] q. d. Facti sumus, vt damnati, qui in theatro morituri , vel cum bestiis pugnaturi, ab omnibus spectantur. Loquitur Paulus de spectaculo , quo Apostoli velut homines damnati , iudibriis spectantium expositi videbantur.

VERS. 10

Nos stulti propter Christum , vos autem prudentes in Christo] q.d. Nos Apostoli stulti sumus secundum saeculum ac vestro iudicio : idque propter Christum , cuius Euangelij praedicandi causa videamur imprudenter ac temerè nosinetipso obiciere tot periculis & incommodis. Vos autem secundum saeculum ac vestro iudicio prudentes in Euangeliō Christi, ob eloquentiam & philosophiam , quæ illis miscetis , & quia sic prædicatis Christum, vt cautè caueatis, ne quid periculi eius causa incurrat.

Nos infirmi] quia multa mala patimur, nec resistimus:

stimus: quod est infirmitatis.

Vos autem fortes, ac validi; quia vestra saeculari eloquentia, sapientia, amicitia, mala & aduersa que occurunt facile auertitis, hinc vos nobiles, id est gloriosi seu clari, nos autem ignobiles] inglorij, in honorati, ignominiosi.

*Visque in hanc horam & esurimus, & sitimus,
& nudi sumus, & colaphis cadimur; & instabiles sumus] Pro instabiles sumus. Græcè certam sedem non habemus, incertis sedibus erramus & vagamur.* VERS. 11

*Et laboramus operantes manibus nostris] Græcè, VER. 12.
propriis manibus.*

Maledicimur, & benedicimus] id est, bene precamur: tantum abest ut maledicta regeramus.

Persecutionem patimur, & sustinemus] id est, patienter & æquo animo ferimus, non resistimus, nec cogitamus vindictam. VERS. 13.

Blasphemamur, & obsecramus] id est, conuiciis affecti benignum ac molle responsum damus; humiliter loquimur obsecrantium more: quo sic vincamus malitiam aduersariorum.

Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus] Purgamenta vocat fæces, excrementa, fordes, inquit Thophilactus & Theodoreetus. Vnde & Syrus vertit, Tanquam stercus mundi facti sumus, idque non semel sed semper, usque ad hanc horam.

Omnium peripsema usque adhuc] Significatur hac & priori parte extrema vilitas & contemptus.

*Non ut confundam vos hec scribo] Sensus: Quæ VERS. 14
scri*

scribo de nostra vtilitate & contemptu , déque
magistrorum uestrorum honore & gloria; non
scribo vt vos pudore afficiam.

Sed vt filios meos charissimos moneo] vt sciatis quo
loco nos Apostolos & quo uestros illos magistros
habere debeatis.

VERS. 15. *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in
Christo, sed non multos patres] Vnde & patris mul-
tò vehementior est in filium amor quam pæ-
dagogi.*

*Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos ge-
nui]* Nam, inquit, ego pater vester sum in Christo,
quippe qui vos in Christogenui, hoc est Christianos
feci per Euangelium à me primò vobis an-
nuntiatum.

VERS. 16 *Rogo ergo vos, imitatores mei estote. Hoc autem di-
cit, conscius sibi suae integritatis : cum è diuerso
magistri illi seu paedagogi multa haberent non
irritanda. Sicut & ego Christi.*

VERS. 17. *Ideo misi ad vos Timotheum]* Græcè, propter hoc
misi vobis Timotheum; nempe vt ex eo discatis vitæ
meæ institutum , & conuersationem quam imi-
temipi.

*Qui est filius meus carissimus, & fidelis in Domi-
no] id est, fidelem mihi operam præstans in iis quæ
ad Christum & eius Euangelium propagandum
pertinent.*

*Qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in
Christo Iesu]* Sensus est : Qui in memoriam vobis
reducet meam conuersationem, prædicationem,
pericula, labores, & horum tolerantiam ; denique
totum vitæ meæ institutum, quod sequor in reli-
gione Christi : quibus cognitis habeatis quod in
me, vt filij in patre, imitemini.

Sicut

Sicut ubique in omni Ecclesia doceo.] Nihil, inquit, peculiare vobis iniūgo; sed illud exigo quod passim ab aliis, ut scilicet exempla Apostolorum imitentur.

Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt VER. 18.
quidam.] Inflat enim sapientia sacerularis: parcit autem nominibus, ne quasi iniuria affecti irritentur, & insanabiles se cùm venerit exhibeant.

Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit.] VER. 19.
Nam, vt dicitur Prover. 16. Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.

Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem] non facundiam eorum, qui inflati sunt, sed virtutem, id est energiam.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute] id est, virtus, energia spiritus, & perfectio Christiana, & maximè Apostolica, qua Deus regnat, & Euangelij, suæque gratiæ & spiritus efficaciam ostendit in nobis & in Ecclesia, non est sita in eloquentia, sed in potenti operatione Spiritus sancti, scilicet in efficacia sermonis, potestate miraculorum, expulsione dæmonum, & potius in tolerantia & vita Apostolica, morum conversione & sanctimonia. Nam S. Ioannes Baptista nullum fecit miraculum, & tamen regnum Dei prædicare cœpit in virtute sanctæ vitæ, spiritu & efficacia sermonis & prædicationis.

Quid vultis? in virga veniam ad vos?] quæ me VER. 21.
quasi patrem vestrum decet. Virga, inquam, id est, feueritate correptionis & potestate puniendo. ita Chrysost. Theophyl. Anselm.

An in charitate & spiritu mansuetudinis?] id est,
An vultis ut veniens ostendam erga vos amo-

VER. 20.

Non in
sermone,
sed in
virtute
regnum
Dei.

VER. 21.

Q. f. rem,

rem , & mansuetudinis seu lenitatis affectum ?
Quamuis enim Apostoli semper animo gererent
charitatem & mansuetudinem erga fideles ; non
tamen eam semper ostendebant.

C A P V T . V.

S V M M A R I V M.

Grauiter eos increpat quod incestum homi-
nem in suo cætu tolerarent. Eundem Satanae
tradendum iudicat in interitum carnis.
Monet ut expurgato veteri fermento epu-
lentur in azymis puræ conuersationis. Alios
quoque palam criminosos fratres vitari
præcipit.

VER. I

Omnino auditur inter vos fornicatio , & talis
fornicatio , qualis nec inter Gentes , ita ut quis
vxorem patris sui , id est nouercam , habeat] scilicet
sibi concubinam. Habere , pro eo quod est vti , in
vſu habere , frequens est in sacris Literis. Notat
Theodor. & Chrys. hic hunc fornicarium fuisse
insigne , potentem , & ducem factionis & schi-
smatis inter Corinthios. Quæritur , an hic forni-
carius , vel potius incestuosus , vxorem patris vi-
uentis , an mortui acceperit ? Respondent ali-
qui , mortui ; sed videtur potius viuentis patris
fuisse vxor : haec enim propriè dicitur vxor pa-
tris. Et quia v. 12. ca. 7. epist. 2. ait : Hæc scripsi non
proper eum qui fecit iniuriam , nec eum qui passus est:
scilicet pater. Ergo viuebat adhuc pater. ita An-
selmus & alij

Et vos

Et vos inflati estis] q. d. Et vos interim in vestris superbis contentionibus occupamini, & negligitis correctionem huius incestus, nec curatis vt reus tollatur, id est expellatur, ex cœtu vestro, & excommunicetur. ita Chrysostomus Theophilus.

Et non magis luctum habuistis, & non luxistis potius, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.

Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu.] VER. 3.
Porro spiritu praesentem se dicit, hoc est animo, affectu, sollicitudine. Nonnulli praesentem spiritu interpretantur, quod per spiritum nosset ea quae apud Corinthios agebantur, atque si praesens esset.

Iam iudicavi ut praesens] hoc est tanquam praesens, ac si praesens esset etiam corpore. Iam iudicavi, id est decreui, apud me statui, & de facto hisce verbis statuo, iudico, & impero eum excommunicari & tradi Satanæ, idque in nomine Christi, id est, auctoritate & vice Christi, qua fungor, dum impero & iudico.

Eum qui sic operatus est] id est, qui tale ac tantum facinus perpetrauit.

*In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huinsmodi Satanae, in interitum carnis] VER. 4.
& 5.*
vt ægreditur corporis, vulneribus, aut plagis ipsum maceret diabolus, ut caro eius atteratur, carnisque vigor intereat, ut ita humiliatus resipiscat. ita Theod. Chrysostomus Theophilus Anselmus.

Vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi] q. d. Ut anima & mens hac poena respiciens & renouata, salua sit in die iudicij.

*Non est bona gloriatio vestra] iactantia vestra, VER. 6.
qua*

qua vos iactatis de sapientia seculari, quaque dicitis, Ego sum Pauli, ego Apollo, mala est & intempestiuæ; cùm potius oculos & animos demittere deberetis; eò quodd tantum scelus inter vos sustineatis.

Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?] q.d. Hæc vnius fornicarij labes omnes vos quasi fermentum peruadit & aspergit.

VER. 7.

Expurgate vetus fermentum] putidum istum fornicarium è cœtu vestro, ne cum totum quasi fermentum inficiat, eiicite. Nonnulli fermentum vetus generaliter interpretantur peccati vetustatem seu prioris vitæ corruptionem, vt hæc sit generalis exhortatio ad vitæ puritatem.

Ut sitis noua confersio] id est, noua massa, hoc est, vt sit vestra Ecclesia noua & pura.

Sicut estis azymi] id est, fermentati, sinceri & puri à fermento peccati. esse debetis *azymi*, puri scilicet & sancti.

Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.] Nota, eten m.q.d. l ure exigo ut sitis azymi & puri, quia pascha agitis, in quo omnia Iudæis erant azyma: sicut enim pascha typus erat Christi, ita panes azymi erant typus Christianorum, & innocentia baptismalis ac vitæ puræ & Christianæ.

VERS. 8.

Pascha
est Christus in
Eucharistia.

Itaque epulemur] itaque festiuitatem celebemus, quia solebant festa solemnibus epulis celebrari, in signum lætitiae. Nota, epulum & festum hoc est vel agni paschalis, vel azymorum. Per pascha hic Christum in Eucharistiæ sacrificio immolatum & manducatum intelligunt S. Cyprianus, Nazianz. Chrysost. Ambros. Hieron. & Origen. Vnde S. Andreas: *Ego, ait, quotidie agnum immaculatum*

culatum immolo, cuius carnem cum omnis populus comederit, agnus tamen qui sacrificatus est integer perseverat & viuus. Hinc etiam Ecclesia hunc locum Apostoli, pro Epistola legit in solemnitate paschæ, quando omnes communicare præcipit; cum in primitiva Ecclesia de eodem fideles quotidie manducarent, ut hic hortatur Apostolus.

Non in fermento veteri.] id est, non cum fermento veteris vitæ.

Neque in fermento malitia & nequicia.] Pro nequitia alij versutiam, alij prauitatem vertunt. Augustinus malignitatem legit. Theophylactus admonet, nequiciam aliquid peius esse, quam sit malitia. Malus enim est, inquit, quisquis male agit; nequam autem qui mediatae, & cum dolo male agit.

Sed in azymis sinceritatis & veritatis.] Significare vult Apostolus, sinceritatem ac veritatem conuersationis: ut, quemadmodum annotauit Theophylactus, vita sincera & pura opponatur malitiæ: vita autem vera, id est hypocrisi ac dolore vacans, opponatur nequiciæ.

Scripti vobis in epistola ne commisceamini fornicariis, ne habeatis consortium cum fornicariis. non vtique fornicariis huius mundi, quasi dicat: Id quod scripsi, nolo intelligatis vniuersè dictum de fornicariis, ac si comprehensos velim etiam infideles, sed si is qui frater est] id est, si sit Christianus, ait Ambrofius, & publicè male audiat, quasi fornicator, hunc vitate.

Non vtique fornicariis huius mundi, id est, qui nondum facti sunt Christiani, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse.

VER. 9.
VER. 10.
Nunc

VER. 11.

Nunc autem scripsi vobis non commisceri ; si is qui frater nominatur, est fornicator.] Nominatur, inquit, id est iudicatur , condemnatur in iudicio de fornicatione, tanquam fornicator.

Aut auarius, aut idolis seruiens, aut maledicus , aut ebriosus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere] confortium eius ita vobis fugiendum esse , ut nec mensam cum eo habeatis communem.

VER. 12.

Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare ?] Sensus Apostoli: Quid ad me atinet , vt præter fratres nostræ curæ & potestati subiectos , etiam eos iudicare velim ac punire meo decreto qui sunt extra Ecclesiam, ideoque & extra meam iurisdictionem?

Nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis ?] Nam, inquit, & qui præsunt inter vos, id est, in Ecclesia Corinthiorum , tantum eos qui in Ecclesia sunt iudicant ac puniunt; nempe Christiani Christianos: videlicet agnoscentes , ad eos qui foris sunt, potestatem suam non extendi.

VER. 13.

Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit] Habet enim Deum iudicem , qui non relinquet impunitos ; sed etiam severius in eos animaduertet.

Auertere malum ex vobis ipsis] elicitè è cœtu vestro fornicarium.

C A P V T V I .
S V M M A R I V M .

Reprehendit quod iudiciis contendant apud infideles: & omnino quod iudicia habeant inter se. Docet quae peccata excludant à regno Dei. Corpora nostra cum sint membra Christi, & templum Spiritus sancti, non esse polluenda fornicatione.

Audet aliquis vestrum habens negotium aduentus alterum, iudicari apud iniquos?] Puta fratremsue Christianum iudicari, id est, iudicio experiri, iudicio contendere apud iniquos, puta apud Gentiles, infideles: iniquos enim opponit Sanctis, cum ait:

Et non apud Sanctos?] Græcè sub Sanctis, id est, fidelibus seu Christianis. Quos Sanctos appellat, eò quod Ecclesia fidelium sancta sit; et si non singuli quique sancti.

An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt.] Sanctos assumendos esse iudices suadet Apostolus, ex eorum dignitate: quae tanta est, ut etiam mundum, scilicet reliquum, hoc est, totum genus infidelium & reproborum sint iudicaturi. Quod fiet in extremo iudicio, ubi boni malos iudicabunt non sola comparatione, verum etiam approbatione sententiae diuinæ.

Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni es sis qui de minimis indicetis?] q.d. Si per vos Christianos

VER. 2.

Fideles
cur San-
cti dicā-
tur.

VER. 2.

&c

& sanctos iudicabitur totus mundus quanto magis per vos , quasi arbitros , minimæ vestræ lites componi debent?

VER. 3. *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?*] Amplificatio est eiusdem argumenti sumpti ex dignitate Christianorum , qui non solum iudicaturi sint mundum, id est homines , verum etiam angelos: vtique malos, id est dæmones, quia Sancti victores dæmonis in hac vita fuerunt , hinc pro præmio in iudicio malitiam eius, superbiam , & imbecillitatem coram toto mundo traducent , & quasi victo, vili, contemptibili, à Deo proiecto, & in æternum damnato insultabunt ; vti & Christus, ad Coloss. 2. v. 15. quæ res dæmonibus superbissimis maxima , & molestissima pœna erit.

Quanto magis secularia?] scilicet negotia , quæ ad communem hominum usum pertinent , subaudi, digni & apti sumus iudicare.

VER. 4. *Secularia igitur iudicia si habueritis?*] proinde iudicia si quidem habueritis de iis quæ ad vitæ usum attinent.

Contemptibiles qui sunt in Ecclesia , illos constituite ad iudicandum?] potius quam Gentiles iudices, siue arbitros constituite ad iudicandum, ita Theodoretus.

VER. 5. *Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens , qui possit iudicare inter fratrem suum?*] subaudi, & fratrem, hoc est, inter fratres, puta Christianos litigantes.

VER. 6. *Sed frater cum fratre iudicio contendit , & hoc apud infideles?*

VER. 7. *Iam quidem omnino delictum est in vobis , quod iudicia habetis inter vos]* q.d. Imperfæctio, deiection, impotentia animi est in vobis , quod scilicet iræ, lucri,

lucri, contentionis que affectu vincimini, & quod
nihil pati & sufferre potestis.

*Quare non magis iniuriam accipitis? Id est, dam-
num patimini, ut decet Christianos nonos in tan-
ta paucitate, primo feroore, pacis & perfectionis
professione. Apostolus hic non iudicium taxat,
sed primò, impatientiam litigantium: secundò,
quod fratribus, id est Christianis, iniuriam fa-
ciant.*

*Sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fra- VERS. 8.
tribus.*

*An nescitis quia iniqui regnum Dei non posside- VERS. 9.
bunt? Nolite errare.*

*Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque VER. 10.
adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,
neque fiures, neque auari, neque ebriosi, neque malefici,
neque rapaces, regnum Dei possidebunt] Non est aliud
regnum Dei quam vita æterna nobis in Scriptu-
ris promissa.*

*Et hæc quidam fuisti, sed abluti estis] Per ablutio- VERS. 11
nem intelligi potest vel ipse baptismus, qui est
ablutio corporalis & exterior, vel baptismi effe-
ctus qui est ablutio spiritualis & interior, quam
exterior illa significat.*

*Sed sanctificati estis] id est, puritatem consecu-
ti, ita ut iam verè & coram Deo sancti sitis. Nam ^{Sanctitas} quid si-
gnificat absentiam sor- dium, verùm etiam munditiam sonat positi-
uam & inhærentem, qua quis applicatur ad
Deum; quemadmodum iustitia significat restitu-
dinem.*

*Sed iustificati estis] id est, veram iustitiam ade- Quid ve-
pti, quæ non aliud est quam interioris hominis ^{ra iusti-}
rectitudo, principaliter sita in conformitate men- ^{tia.}*

tis ad legem Dei. Talem prorsus esse, qua quis à peccatis ad Deum verè conuersus accepta eorum remissione, nouum inquirit hominem, atque ita mente renouatus ambulet in nouitate vitæ, & in obseruatione mandatorum Dei.

Tota no-
stra iusti-
ficatio af-
scribenda
Christo,

In nomine Domini nostri Iesu Christi] Sensus: Per meritum Domini ac Redemptoris nostri Iesu Christi. Tota namque iustificatio & renouatio nostra à principio usque ad finem & consummationem, ascribenda est merito passionis Christi.

Et in spiritu Dei nostri] id est, virtute Spiritus sancti à Deo nostro procedentis. Huic enim auctori ea quæ ad sanctificationem nostram pertinent, peculiapiter in sacris Literis ascribi solent.

Omnia mihi licent, sed non omnia expedient] quasi dicat Apostolus; Repetere sua iudicio licet quidem, quatenus simpliciter non est prohibitum, nec per se malum; non tamen expedit ob causas supra dictas. Anselmus & S. Thomas referunt hanc sententiam ad superiora de iudicijs; quasi dicat, Hæc contra iudicia dixi, non quasi illicitum sit ex se in iudicio sua repetere, sed quod nolim sub aliorum, scilicet iudicium, aduocatorum, procuratorum, maximè infidelium, potestatem vos redigi.

VERS. II.

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate] Sensus est; Multa mihi licent, quæ tamen facere nolim, ne redigar sub alienam potestate. id est, non patiar me propter res pecuniarias ac temporales, velut essem sub earum potestate, vel abstrahi, vel distrahi, quo minus liberè & absque impedimento seruiam Deo, quod non potest.

potero, si tempus & cogitationes impendam litibus. Pro quo sensu notandum est, Apostolum fideles passim auocare ab implicamentis curarum huius saeculi; quo sint expeditiores ad seruendum Deo.

Esca ventri, scilicet destinata est, æque ac venier escis] q.d. Cur lites suscipitis ob temporalia, quæ fere ad escas & ventrem tendunt? Esca enim res caduca est & vilis, ad hoc facta ut in ventrem propiciatur; venter autem vilissima pars hominis tantum est ad hoc, ut escas coquat, digerat, egerat, corrumpat, estque vas sordium; & tam etiam quam venter peribunt, quia in morte sicut esca vermium; & licet venter resurget, non tamen amplius escas admitteret.

Deus autem & hunc & has destruet] abolebit venter in morte & resurrectione, vt scilicet non sit amplius venter escarum, qui escis pascatur, nec escæ sint ventris, vt ventrem inescit & impletant. Filij namque resurrectionis, qua venter cum ceteris membris restituetur, sicuti neque nubent neque nubentur, ita nec comedent nec bibent; sed erunt sicut Angeli Dei in celo, Matth. 22. Si igitur haec abolenda sunt, quia usum non habent nisi temporarium; non debeo me eorum seruum reddere etiam cum periculo ne me propellant in fornicationem.

Corpus autem non fornicationi, destinatum & datum est, vt fornicemur, sed ut Domino] casto corpore seruiamus, Christumque ut caput castis & sanctis moribus sequamur. Anselmus & Chrysostomus.

Et Dominus corpori] Christus scilicet corpori nostro datus est in caput, vt illi quasi immineat.

q. d. Ergo corpora nostra non fornicationi, sed Christo capiti quasi membra, purè seruire debent, sempérque caput suum Christum, Christique puritatem æmulari.

VERS. 14. *Deus vero & Dominum suscitauit, & nos suscitat] quemadmodum, inquit, Deus Christum Dominum resuscitauit à morte ad vitam immortalē; ita & nostra corpora donabit immortalitatē: ut ipsa quidem semper viuant, cesset autem usus membrorum ad ea quae sunt huius corruptibilis vitæ. per virtutem suam.*

VERS. 15 *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt (Christi?) Vosip̄i enim, ac consequenter corpus & anima vestra, estis membra Ecclesiæ Christi. Pulchrè S. Augustin. serm. 18. in hac Apostoli verba: Vita, inquit, corporis anima est, vita anima Deus est. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpore, ut & corpora nostra templum sint Spiritus sancti, quem habemus à Deo.*

**Corpus
nostrū
anima
sunt mē
bra Chri
sti.**

Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? abſit] Ostendit grauitatem peccati eius qui fornicatur, ut qui Christum caput suum contumelia afficiat, dum membra eius ad fornicationem prostituit, faciendo ea membra meretricis seu fornicariæ mulieris. quod quidem summoperè debet refugere Christianus.

VERS. 16 *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne una] Vnum corpus, per corporum vniōnem & commixtionem, ut sicut mercatores in societate vnas habent opes, quia communes; sic fornicarij vnum habent corpus, quia vtriusque corpus est vtrique commune, ait Caietanus: & sic sunt duo in carne una, id est, duo sunt vna caro. quasi dicat, E duobus*

bus fiet velut vnuſ homo, non ſpiritalis, ſed car-
nalis, & quaſi totus caro.

Qui autem adharet Domino (cum eo fit &c) eſt VERS.17.
*vnuſ ſpiritus] Sensus : Qui fide & charitate Chri- Adherēs
 ſto Domino ſeſe agglutinauit, iſ quodammodo
 fit vnuſ cum eo ſpiritus : nimirum coniunctiōne
 ſpiritus ſui cum ſpiritu Christi. Vnuſ non eſſen-
 tialiter, ſed accidentaliter, vnuſ, inquam, chari-
 tate, voluntatis conſensu, gratia & gloria : quaे
 hominem faciunt quaſi diuinum & Deum, ut
 cum Deo quaſi vnuſ idēmque ſit ſpiritus. ita Am-
 broſius, Anſelm. Oecumenius. Vnde ex hoc loco
 S. Baſilius lib. de vera virg. demonſtrat animam
 caſtam & sanctam eſſe ſponsam Dei, eāmque
 in diuinæ imaginis excellentiam transferri, ut
 cum Deo vnuſ fiat ſpiritus : atque ex hac cum
 Deo coniunctiōne haurire omnem puritatem,
 virtutem, incorruptionem, pacem & tranquilli-
 tatem. Vnitas, inquit Bernarduſ, ſpiritus cum Vnio mē-
 Deo hominis cor ſurſum habentis, proficienſis
 in Deum voluntatis eſt perfectio. Cūm iam non
 ſolū vult quaे Deus vult, ſed ſic eſt, non tan-
 tūm affectus, ſed etiam in affeſtu perfectus, ut eſſe Deo,
 non poſſit velle niſi quod Deus vult : velle au-
 tem quod Deus vult, hoc iam ſimile Deo eſte
 eſt, &c.*

*Fugite fornicationem] Peculiare eſt vitio forni- VERS.18
 cationis, fugiendo magis quaē repugnando ſu-
 perari. Hunc igitur hostem vincere qui volet, fu-
 giat : id eſt, iplas etiam primas & ſolas huius ge-
 neris cogitationes atque phantasmata penitus ex
 animo repellat ; & horum quoque occaſiones
 fedulō vitet.*

Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra

R 3 corpus

corpus est] id est, tale quo non peccat in corpus suum, corpus proprium non maculat, non polluit. *Omne peccatum*, id est, pleraque omnia peccata quæ ordinariè & communiter faciunt homines, extra corpus sunt.

Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.] Eum qui fornicatur, aut quocumque modo peccat per immunditiam carnalem, peccare in corpus suum, quia de honestat illud, & ignominia afficit, excitans in eo brutalem ac fœdam libidinem; qua nimis ita prorsus absorbetur animus, ut in eo actu nihil aliud cogitare possit.

VERS. 19 An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?] proinde futuri in Deum tanti muneric auctorem ingratii & iniuriosi, si Spiritum sanctum per fornicationem a vobis expuleritis.

Et non estis vestri] q.d. Vestri ipsorum: id est, non estis vestri iuris.

VERS. 20 Christiani quo pretio empti. *Empti enim estis pretio magno*] Sensus; Non estis iuris vestri. Nam servi emptiij estis, utpote pretio redempti, sanè permagno & inæstimabili, nempe sanguine Filij Dei. Quamobrem vos ipsos & corpora vestra tanquam rem pretiosam debetis intemerata seruare Domino vestro: quasi dicat, Magni æstimate, magni facite vestra corpora. Ne corpus tuum vilipendas, ne gratis vendas, imò maximi ducas. Hæc est enim gloria Dei, si magni fiant illa corpora, quæ Deus tanto sibi pretio compararit, scilicet sanguine suo.

Glorificate & portate Deum in corpore vestro.] castum illud seruando in obsequium Spiritus & Dei. Glorificamus Deum in corpore nostro, tanquam templo eius, quādo seruamus illud purum

ab omni immunditia, & ornamus bonis operibus. Per hæc enim Deus glorificatur apud homines, secundum illud Matth. 5. Sic luceat lux vestra contra hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum qui in cælis est. Portamus autem Deum in corpore nostro, quando corpus totum obsequio Dei mancipamus. Metaphora sumpta à iumentis quæ portant sessorem, & ad eius voluntatem mouentur.

C A P V T VII.

S U M M A R I V M.

Hortatnr ad continentiam à concubitu, debitum coniugale reddendum præcipit, usum coniugis causa vitanda fornicationis indulget coniux coniugem ne dimittat. Christiano coniugi quatenus ab infideli liceat discedere, docet: & ut quisque in sua vocatione maneat; virginitatem commendat ac matrimonio præfert. viduam quoque si sic maneat, fore beatiorem affirmat.

Dequibus autem scripsisti mihi, q.d. Quod at-
tinet ad quæstiones quas mihi proposuisti
de matrimonij & celibatus iure, usu, fructu, sic
respondeo; *bonum est homini mulierem non tangere]*
bonum, id est pulchrum, res præclara, eximia est.
ita Theophyl. Bonum ergo est bonum morale &
spirituale, quod per se facit ad concupiscentiae vi-
ctoriam, pietatem & salutem. Rursum tangere,

VERB. M.

vel cognoscere mulierem Hebræis honestè & modestè loquentibus idem est, quod exercere actum coniugij.

VERS. 2. Propter fornicationem autem, ne scilicet in eam incidat, si cælebs sit, & tamen castè viuere nolit, unusquisque suam uxorem habeat] suam Græcè propriam. sed & illud propter fornicationem, subaudi vitandam.

VERS. 3. Vxor vir debitum reddat; similiter autem & vxor viro] Vir pro marito accipitur. Debitum, Græcè debitam benevolentiam ita honesta periphrasi debitum coniugale circumscribit Apostolus. rectè autem debitum vocatur, quia ex iustitia quadam debetur. Cuius ratio sequitur.

VERS. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier] sui corporis. scilicet, secundùm ea membra quæ sexum distinguunt, & quatenus ea seruiunt actui coniugali. potestatem, ut pro sua voluntate possit continere, vel alteri se coniungere, non habet mulier, puta vxor, sed maritus, idque sibi tantum non alteri. ita S. Aug. lib. 5. contra Iulian. cap. 4. vnde pro potestatem non habet, Græcè, ius non habet, scilicet ad continentum, vel vt alteri corpus suum tradat.

VERS. 5. Nolite fraudare inuicem, negando debitum coniugale, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacatis orationi; Græcè, ut vacetis iejunio & orationi.

Et iterum reuertimini in idipsum] Græcè, & iterum ad idem conueniaris. ut sensus sit: Orationis tempore finito coniugibüs redeundum ad opus consuetum: quod, inquit Hieronymus, erubescit suo vocare nomine.

Ne tenet vos Satanás] id est, ne in adulterium
aliásue damnabiles corruptelas vos tentando
pertrahat diabolus, si diutiū maneatis toro se-
parati.

Propter incontinentiam vestram] Sensus: Post
orationem redite ad opus coniugale; quod ut
faciatis, moneo propter incontinentiam vestram,
ne alioqui Satanás vos sollicitet & inducat ad de-
teriora.

*Hoc autem dico secundum indulgentiam, non se- VER. 6.
cundum imperium*] q.d. Copulam indulgeo, non
principio.

Volo enim omnes vos esse sicut meipsum] quoad
cælibatum & continentiam. Nota *volo*, id est vel-
lem, cuperem, optarem si commodè fieri posset.
Volo ergo significat hic actum volendi inchoa-
tum & imperfectum. Patres ex eo colligunt &
docent, Paulum ab omni concubitu sese conti-
nuisse, & in perpetua castitate vixisse, vt Epiphanius
hæresi § 8. Hieronymus ad Eustoch. cap. 8. &
in epist. ad Celantiam cap. 8. Augustinus lib. de
gratia & libero arbitrio, cap. 4. &c.

*Paulus
vixit si-
ne con-
iuge.*

*Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo:
alius quidem sic, alius vero sic*] id est aliis tale, aliis
autem tale. De fidelibus agit Apostolus, ac dice-
re vult, non unum omnia habere, sed alios alia.
quidam enim donum habent castitatis coniuga-
lis, alij vidualis, alij virginalis.

*Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis
si sic permaneant, scilicet innupti vti sunt, sicut & VARS. 8.
ego*] innuptus permaneo. *Bonum est si sic perma-
neant, id est, permanere velint.* q.d. *Volo*, id est ve-
lim, omnes esse sicut meipsum, hoc est, esse virginēs,
vt ego virgo sum; sed nolo id præcipere.

R. s. Quod

VER. 9.

*Quod si non se continent, nubant.] Melius (satius) est enim nubere, quām vri, scilicet, nisi iam per votum nupseris Christo. Illis nubere quām vri melius est, qui adhuc nubere possunt. Apostolus enim dat causam, cur velit incontinentes & fragiles nubere, ne scilicet vrantur, id est, fornicentur: nam alios generosos pugiles vult continere, quasi dicat. Qui se non continent, nubant: melius est enim nubere, quām non continere. ita Theodoreetus, Ambrosius, Anselmus, Sanctus Thomas, Augustinus. Melius, inquit Hieronymus, est nubere quām vri, id est, melius est maritum ducere quām fornicari. Vritur ergo non qui tentatur incentiuo libidinis, sed qui à tentatione superatur: non qui sentit, sed qui consentit. quomodo dicitur vri igne, non qui calorem eius qualitercumque molestum sibi sentit, sed qui admoto igne læditur ac sauciatur. quod satis declarat Græcum verbum ab igne deductum, igniri, incendi, comburi. Quod si vri non plus esset quām pati motus libidinis, & inquietari stimulis carnis, vt volunt Sectarij; iam ipse Paulus qui suprà dixit, *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, iuxta suum hoc consilium vxorem ducere debuisse. Nam de stimulo carnis alibi queritur; *Datus est*, inquit, *mibi stimulus carnis mee*, &c. 2. Corinth. 12. Accommodation est textui, vt nubere dicatur melius quām vri, quia nubere minus malum est, & secundūm veniam concessum; vri verò deterius, ac minimè concedendum. idèò melius est nubere, quia peius est vri. Sanctus Thomas, *Melius interpretatur magis tolerandum*. Tale quoque est quod Sanctum Martinum dicere solitum refert Sulpius*

pitius : Coniugium pertinet ad veniam , virginitas spectat ad gloriam . fornicatio depunitur ad pœnam.

Iis autem qui matrimonio iuncti sunt , precipio non ego , sed Dominus , vxorem à viro non discedere . Respicit Apostolus ad præceptum Dominicum : non licere viro dimittere vxorem , nec vxori virum , excepta causa fornicationis Matth. 5. & 19. Marc. 10. Luc. 6. Quod si discesserit , manere innuptam , aut viro suo reconciliari : & vir vxorem non dimittat .] Manere innuptam . Hinc sequitur diuortium , etiam iustum & licitum , non soluere matrimonij vinculum , sed tantum thori consortium , vt si coniux sit adultera , non liceat viro innocentι aliud inire matrimonium . Eadem est ratio vxoris , si vir sit adulter . Et vir vxorem non dimittat , sine graui & iusta causa . Nam ob fornicationem & alijs iustis de causis licet dimittere .

Nam ceteris ego dico , non Dominus . si quis frater vxorem habet infidelem ; & hic consentit habitare cum illo , non dimittat illam .] Ego dico , id est , ego consulō id quod sequitur , scilicet , vt fidelis infidelem coniugem pacificam non dimittat .

Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem , & hic consentit habitare cum illa , non dimittat virum .

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem , & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem] q. d. Matrimonium & coniunctio ista sancta est : vnde non profanatur , nec poluitur fidelis per contactum infidelis , vti vos scrupulosè timetis , sed potius infidelis morali quadam

quadā denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselmus, inde sanctificatur: tum quia maritus est sanctæ, id est, fidelis coniugis, tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevolè cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, ut per preces, merita, verba & exempla fidelis coniugis conuertatur & ipse, siatque sanctus; sicut sancta Cæcilia maritum suum Valerianū conuertit.

Alioquin filij vestri immundi essent. quasi dicat: Si ab infideli coniuge faceretis diuortium, filij vestri haberentur quasi nati ex illico thoro, adulterini, illegitimi: *nunc autem sancti sunt*] id est mundi, mundi autem, id est ex honesto & legitimo matrimonio concepti & nati. ita Ambrosius, Anselmus, Augustinus. *Sancti sunt*, quia conniuente infideli, facilè fidelis parentis fide & diligentia ac cura, sanctificari, baptizari, & christianè educari possunt. ita August. lib. 3. de pec. meritis, cap. 12. & ex Tertull. Hieronymus epist. 153. ad Paulinum.

V. R. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat.*] Sensus est: Si infidelis discedit, non consentiens habitare cum fidei, vt fidei, id est, si religione eius offensus eam relinquat; non est quod coniux fidelis existimet se debere illum sequi; sed sinat eum discedere, tanquam per illius discessum libertati sive relictus.

Non enim seruitui subiectus est frater aut soror in huiusmodi] non est seruiliter subiectus frater aut soror talibus, hoc est, infidelibus qui discedunt, aut cohabitare non consentiunt.

In pace autem vocavit nos Deus.] In pace, id est ad pacem. *Quod autem dicit tale est:* Religio Christiana, ad quam à Deo vocati sumus, non cogit

cogit nos ad hanc seruitutem, qua pax Christiana turbetur, hoc est, pacificus & tranquillus Christi cultus in familia impediatur. Quare sicut pater filium, & filius patrem potest plena libertate relinquere ex eiusmodi causa ; sic & coniux fidelis infidelem.

Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut unde scis vir, si mulierem saluam facies?] quasi dicat: Donum Christi est pax', ad hanc, non autem ad seruitutem inquietam & rixosam vocati sumus à Christo. Si ergo infidelis rixis, probris, minis in fidem & fidelem coniugem, discessionem quærit, discede, ô coniux fidelis, ab eo, vt pacifice viuas : neque prætendas spem conuersionis eius. Vnde enim id speres, in homine pagano, blasphemico, rixoso? ac consequenter, vnde scis, vel vnde speras, quod eum saluum facies?

VER. 16.

Nisi unicusque sicut diuisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.] Dixi, inquit, fidelem infideli coniuge discedente non esse subiectum seruituti, vt eum sequatur aut retineat, ne quidem salutis eius procurandæ causa: non prohibeo tamen quo minus id faciat, si præser-tim occulto Dei dono & instinctu ad id moueat. ita sententia mea hæc est, vt quisque, quoad fieri potest, ita ambulet, sicut vocavit eum Deus: hoc est, conseruetur, Deoque seruiat, manens in eo genere viræ in quo ad fidem à Deo vocatus est; siue in coniugio, siue extra coniugium; siue in seruitute, siue in libertate, siue in alio quo-cumque.

VER. 17.

Et sicut in omnibus Ecclesiis doceo.] Sensus: Nec vobis solùm, sed omnibus Ecclesiis hanc meam sententiam propono & præscribo; Christianum

mum non cogere ad mutandum vitæ statum;
nec, nisi magna ratio cogat, mutandum esse.

VER. 18.

Circumcisus aliquis vocatus est? id est, quispiam prius circumcisus, ut pote Iudæus aut proselytus, vocatus est ad fidem? *non adducat præputium*] id est, non attrahat, scilicet ferro, præputium. ita Theophylactus. ne peniteat eum aut pudeat circumcisionis, nec affectet esse præputiatus.

In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.] Hoc enim esset iudaizare & Christum abiicere.

VER. 19.

Circumcisio nihil est, & *præputium nihil est.*] Sensus: Nihil haec valent, nihil conferunt ad iustitiam & salutem, ideo non sunt affectanda. agit de Iudæis ad Christianismum conuersis.

Sed obseruatio mandatorum Dei] supple, est aliquid, confert ad iustitiam & salutem: quia scriptum est, Factores legis iustificabuntur, Rom. 2. &c., Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Matth. 19.

VER. 20.

Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.] Vocationem intelligit vitæ statum seu conditionem.

VER. 21.

Seruus vocatus es? non sit tibi cura.] Seruus eras, inquit, quando vocatus es ad fidem? non te res illa angat, quod seruus sis.

Sed & si potes fieri liber, magis utere.] Sensus est: Etiam si possis assequi libertatem, magis tamen, id est potius, utere seruitute, & in ea permane majoris boni causa, scilicet ad tuam exercitationem & domini tui salutem, &c.

VER. 22.

Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini] q. d. Serui heriles si fiant Christiani, non ambiant fieri liberi à seruitute herili, sed gloriantur

rientur quod à seruitute peccati asserti sunt in libertatem gratiae & adoptionis filiorum Dei. vide Chrysost. hic & in moral. hom. 19.

Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi;
quia redemptus ab eo.

Precio empti estis] pura sanguine Christi, qui VER. 23.
antonomasticè dicitur pretium, vt pote ingens
& immensum. ita Ambros. Dicitur autem tam ad
seruos quam ad liberos, adeoque communiter ad
omnes fideles.

Nolite fieri serui hominum.] Pretio sanguinis
sui Christus vos emit, & seruos suos fecit; igitur
nolite fieri serui hominum, id est, ne vos ita
subiicite hominibus, vt Christo Domino debi-
tum subtrahatis, aut quoquo modo minuatis
obsequium atque seruitum. ita videlicet, vt
hominibus seruiendo Dei obsequium negli-
gatis.

*Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc per- VER. 24.
maneat apud Deum*] q. d. Verumtamen, quisque
in suo statu, siue herili, siue seruili, in quo vocatus
est, & venit ad Christianismum, permaneat. Per-
maneat apud Deum, id est Deo seruens, & à Deo
non recedens.

*De virginibus autem (vt scilicet maneant vir- VER. 25.
gines, & seruant Deo in virginitate) praeceptum
Domini non habeo: consilium autem do, vt id faciant,
tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim
fidelis.] Virginitatem, inquit, consulto, tanquam
is, qui misericorditer assumptus sum ad gratiam
Apostolici munera apud Gentes, vt fideliter illis
consulam. ita Ambrosius, Anselmus, Theodore-
tus, quasi dicat: *Quo præ aliis Apostolis indignior,
maiori gratia, & misericordia vocatus sum ad**

Apo

Apostolatum, eo magis in eo decet me esse fidelem, & fideliter consulere iis, ad quos à Christo missus sum Apostolus.

VER. 26. *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem.] Hoc, scilicet virginitatem. ita Ambros. & alij, vel aptius, hoc, ut scilicet sint & maneat virgines. Propter instantem necessitatem. Instans necessitas, vel præsens necessitas est necessitas temporis, id est, angustia præsentis vitæ, quæ nobis vitæque nostræ incumbit & imminet, eamque arctat & vrget, ut properet ad mortem & æternitatem. Instans ergo necessitas est breuitas temporis, quod nobis datur ad æternitatis conquifitionem: quæ proinde non mundo, non coniugi, sed animæ & Deo danda est. ita Chrysostomus, Anselmus, & S. Hieronymus lib. i. contra Iouinianum: *Necessitas*, ait, *hæc est breui moriendi*. quasi dicat Paulus: In hac breui vita necessitas est placendi Deo, & studiosè parandi vietum & necessaria, scilicet bona opera, ut inde vivamus beati in rota æternitate; ergo consulo virginitatem. hæc enim vni Deo intendere potest, cum conjugati per onera coniugij distrahanter.*

Quoniam bonum est homini sic esse] q.d. Existimo bonum esse manere virginem propter instantem necessitatem: quoniam, id est, quod inquam homini sit bonum sic esse, scilicet in virginitate.

VER. 27. *Alligatus es uxori? noli querere solutionem. Solutus es ab uxore? noli querere uxorem.*

VER. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, habilis scilicet ad nubendum, puta libera & innupta, nec Deo consecrata. ita Theodoreetus, Photius, & Sanctus Hieronymus. talis nuben*

nubendo, non peccauit.

Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi] Aperientes sibi per coniugij copulam dolorum officinam, inquit S. Basilius lib. de S. virginitate. Vocat Apostolus tribulationem carnis, coniugij, liberorum & familiae onera. Tribulationem ergo carnis appellat eam, quæ circa carnem & carnalia versatur, quæque carnem affligit.

Quæ tri-
bulatio
carnis vo-
cerur.

Ego autem vobis parco] ego autem vobis tanquam filii parco, cupiens afflictionum & molestiarum quæ nuptias consequuntur, expertes esse, ideoque continentiam suadeo.

Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est] quasi VER. 29.
dicat, Breue est omne hoc tempus, & imminet dies iudicij: non ergo temporaneis sæculi voluptatibus immoremur, sed comparemus nos ad iudicium.

Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint] ut scilicet non magnopere rei uxoriæ afficiantur, ut animum, mente in atq; amo-rem magis in Domino, quam uxoribus defigant. ita Ambrosius & Anselmus.

Et qui flent, tanquam non flentes] hoc est, quibus tristia accidunt, quæ sunt flendi materia, non iis admodum commoueantur; sed patienter & æquanimiter ferant, vt pote non diu duratura, séque consolentur spe vitæ futuræ. VÉR. 30.

Et qui gaudent tanquam non gaudentes] consideratione breuitatis ac vanitatis gaudiorum hu-ius mundi.

Et qui emunt, tanquam non possidentes] per-petui nimitem, sed tanquam vñfructuarj ad vitam.

Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur] VÉR. 31.
S vt qui

vt qui rebus huius mundi vtuntur , vtantur obiter, ac velut in transcurſu, quantum fert necessitas; eoque modo ſint quafi non vtentes.

Præterit enim figura huius mundi] tota huius mundi facies & diſpositio transitoria eſt, aliquando ceſſabit. Noli, ait Bernardus, amare præſentia, quæ poffeffa onerant, amata inquinant, amifla cruciant, figura, id eſt, habitus, ſpecies ac ſtatus mundi fugax, ita Ambr. & Anſelm. Nota. Mundo non tribuit Apoſtolum formam: hæc enim ſolidior eſt & conſtantior; ſed figuram, quæ mobilis eſt, fugax, euaniſta.

Præterit iſte dies, neſciitur origo ſecundi,

An labor, an requies. ſic transit gloria mundi.

VER. 32. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe] Volo, id eſt, velim. vt ſuprā, Volo, omnes vos eſſe ſicut meipſum, ſine ſollicitudine, ac confequenter in virginitate & cælibatu viuere.*

Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt.] magnam habet opportunitatē occupandi ſe totum cogitatione earum rerum quæ Chriſti Domini ſunt, id eſt, quæ ſpectant ad aeternam ſalutem.

Quomodo placeat Deo] Placetur autem Christo per opera pietatis.

VER. 33. *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt.] in multas nimirum curas distraetus, vt vni Domino vacare non poſſit, ſed partem Deus, partem, & potiorem, vxor & filij ſibi vendicent. ita Ambroſius.*

VER. 34. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ſollicitè meditatur, & curat ea quæ Domini ſunt, ut ſit sancta corpore & ſpiritu] Sancta, id eſt, pura & immaculata. Virgo, inquit, Oecumen. corpore*

corpore sancta est, propter castitatem; spiritu autem Virgo est
sæcta cor
pore &
spiritu.
sancta est, propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus sancti inhabitationem,

Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo-
modo placeat viro,

Porro hoc ad utilitatem vestram dico] ad maio- VER. 35.
rem scilicet perfectionem, & profectum vestrum
in spiritu & virtute, cælibatum vobis consulo.

Non ut laqueum vobis iniiciam, non quod vobis
imponere velim necessitatem continendi, & vos
eò cogere. ita Oecumen. Theophyl. Chrysost. sed
ad id quod honestum est] scilicet vos adhortans ad
honestum, id est, honestiorem & meliorem vi-
uendi conditionem in cælibatu.

Et quod facultatem præbeat vobis virginibus, sine
impedimento Dominum obserandi] quasi dicat, Ad
id quod assideat Deo indistracte, seu, ut in cæli-
batu indiuulsè semper assideatis & adhæreatis
Deo. ita Theophilactus & Theodoreetus, scili-
cet ut sit vobis facultas Dominum assidue obse-
randi.

Si quis autem turpem se videri existimat super VER. 36.
virgine sua, quod si super adulta, quasi turpe sit &
indecorum, quod illa virgo plus æquo sit su-
peradulta, & ita oportet fieri] & ita potius fieri
debere putat pater, ut collocet illam viro
in matrimonium, vel quia ipsa non vult conti-
nere.

Quod vult, faciat, filiam tradat nuptui si vult;
vel seruet virginem, si id malit. non peccat, si nubat.

Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens VER. 37.
necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntati-
tis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem
suam, bene facit] qui vero, inquit, stabile ac firmum

habet animo propositum, nec mouetur vulgi sermonibus, ut secus faciat quam constituit apud sc. Non habens necessitatem, scilicet præcepti. Potestatem autem habet circa propriam voluntatem. & hoc iudicat in corde suo, id est, maturo iudicio apud se decreuit ac statuit. Seruare virginem suam, Græcè, ut seruet. Bent facit, quia consilium Christi & meum adimpler.

VER. 38. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.]* id est, rem facit meliorem & præstantiorem, scilicet generre suo,

VER. 39. *Mulier alligata est legi, scilicet matrimonij, ut discedere à suo viro & alij nubere non possit. quanto tempore vir eius vivit, viuente viro, quod si dormierit vir eius.]* id est mortuus fuerit. Mors fidelium dicitur somnus: ex eo enim euigilabunt in resurrectione.

Liberata est: cui vult nubat, id est, est libera ad nubendum cui voluerit, tantum in Domino.] id est, in Domini Ecclesia & Christianismo. Nubat ergo in Domino, id est, nubat viro Christiano, ita Ambros. Theod. Theophyl. Anselm. Thomas. S. Augustinus.

VER. 40. *Beator autem erit si sic permanferit] beator autem est si sic maneat. Sic, id est sine viro. tum hic in quieta & sanctiore vita, tum in futuro maiori beatitudine felicior & gloriosior erit in caelo, ait Ambros. si sic (separata in viduitate) permanferit. Hinc patet consilium viduitatis, tanquam melioris matrimonio.*

Puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam] nimirum spiritum consilij, secundum quem puto me ista fideliter suadere. ita Anselm. & alij. Nota, & ego

& ego; q. d. Sicut alij Apostoli , ita &c ego spiritum Dei habeo. Notat S. August. tractat. 37. in Ioan. puto non dubitantis esse, sed asseuerantis & increpantibus.

CAPVT VIII.

S V M M A R I V M.

Reprehendit eos qui quod scirent idolum nihil esse , promiscue etiam cum offendiculo fratrum infirmorum , cibos edebant immolati- tios : admonens eos ne sua scientia ad fratrum perniciem abutantur.

DE iis autem , que idolis sacrificantur , scimus , VERS. 1
quod scilicet immolata idolis ab aliis cibis non differant , nec plus habeant numinis vel religionis , ut quidam vestrum o Corinthij , persuasi videntur . vide Chrysost. Quia omnes (bene & plenè in fide Christi instituti) scientiam (id est , sufficientem rerum Christianarum cognitionem) habemus] ex qua scimus idolothyta esse adiaphora .

Scientia inflat] quasi dicat , Scientia hæc vestra qua scitis idola nihil esse , & consequenter licitum idolothyris vesci , iisque vescomini cum scandalo ignorantium hoc : hæc , inquam , scientia facit vos superbire contra ignorantes , eosque despicer .

Charitas verò edificat] scilicet infirmos & ignaros : vt eos in fide & pietate Christiana conti-

neat & promoueat. Id enim est ædificare, proximos ad salutem promouere; cui è contrario opponitur scandali peccatum, quo proximus destruitur, hoc est, damno salutis afficitur.

VERS. 2.

Si quis autem se existimat scire aliquid, non dum cognovit quemadmodum oporteat eum scire] id est, qui putans se aliquid scire inde inflatur, hic neandum scit quis sit finis, usus & modulus scientiæ, videlicet, ut per scientiam non superbias, pro sis quibus possis, nemini obsis, neminem scandalizes: & sic à Deo agnoscaris & ameris.

VERS. 3.

Si quis autem diligit Deum, & propter Deum proximum: ut eum idolothitorum esu aliávere non scandalizet, sed ædificet; hic cognitus est ab eo] id est, hic à Deo approbatus & dilectus est, in huius scientia complacitum est Deo.

VERS. 4.

De escis autem qua idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo: q. d. Non est id quod existimatur & quod repræsentat, non est Deus. Vnde explicans subdit: & quod nullus est Idolum Deus nisi unus q. d. Idolum nihil est, id est, nihil uid fit. tale est quale præ se fert: quia nihil habet numinis, materialiter est lignum, formaliter nihil: quia imago est falsa rei, siue Dei qui non est; ac consequenter idolothytum quā tale nihil est, id est, nihil habet numinis vel sanctitatis ex idolo, cui est oblatum.

VERS. 5.

Nam et si sunt qui dicant dij à paganis, & apud eos sunt dij & domini multi, ut sequitur, dij inquam tam cælestes, vti sol, luna, stellæ; quam terrestres, vt Iupiter, Apollo, Hercules, nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum] ita illius scilicet gloria, & cultum creati sumus.

ERS. 6.

Et

Et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia,
 & nos per ipsum, scilicet creati & redempti sumus:
 sed non in omnibus est scientia, iam dicta, quod ido-
 lum & idolothytum nihil sit. nam ut sequitur:
 quidam autem cum conscientia idioli, ex erronea con-
 scientia putantes quod idolum habeat aliquid di-
 uinitatis, quasi idolothytum manducant] id est, cum
 reverentia quasi venerandum, quod numini, in
 idolo latenti sit oblatum & sanctificatum. ita An-
 selmus.

VERS. 7

*Et conscientia ipsorum cum sit infirma, non plenè
 in fide instruta circa idolothyta, polluitur] quia
 contra conscientiam, aliorum exemplo mandu-
 cant idolothyta. ita Chrysostomus.*

*Esa auem nos non commendat Deo. q.d. Idolothy-
 torum, vel aliorum ciborum esus per se nihil fa-
 cit ad pietatem, qua Deo placeatur: neque enim si
 manduauerimus (idolothyta) abundabimus, scilicet
 virtute, merito & gratia, quæ nos commendet
 apud Deum. Ostendit quām escæ sint res viles &
 exiles, ideoque omittendæ ob scandalum, &
 postponendæ ædificationi proximorum. ita An-
 selmus.*

VERS. 8

*Neque si nō manduauerimus, deficiemus] Sic vul-
 go dicimus, siue ad conuiuum hoc vocer, siue
 non, non ideo saturabor vel esuriam, non ideo
 pinguior ero vel macrior, ditione vel pauperior.*

*Videte autem ne forte hæc licentia vestra (come-
 dendi idolothyta) offendiculum fiat infirmis. Si enim
 quis viderit eum qui habet scientiam (idolothytum
 nihil esse) in idolio recumbentem, nonne conscientia
 eius cum sit infirma, edificabitur ad manducandum
 idolothyta?] In idolio, id est, inquit Erasmus,
 in epulo idolorum. Secundò, propriè in idolio,*

VERS. 9

VER. 10

id est, in templo, vel mensa idolis consecrata. nam ibi accumbeantur comeduntur idolothyta: tales enim epulas, vtpote sacras, in templo instrui solere docet Herodotus in Clio. Sic enim & Iudei victimas pacificas comedebant in atrio templi. Deut. 16. Hinc Syrus hic vertit; Si quis te viderit accumbentem inter idola. Vnde patet, idolothyta edere in idolio, non tantum esse malum propter scandalum, sed etiam per se, quia est professio idolatriæ. Nota, adificabuntur, id est, prouocabuntur, erigentur, ut comedat idolothyta quasi sacra, & quasi quid gratiæ inde accepturus. Alij adificabuntur, inquiunt, id est, prouocabuntur, ut contra conscientiam, qua putat cibum idolo oblatum ab eo esse afflatum & contaminatum, indeque se contaminandum, eum manducet.

VER. 11. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est].* Et peccabit frater infirmus comedendo idolothytum, quo putat edentem coquinari, proindeque rem illicitam facere: & peccando peribit, per tuam scientiam; quod dum tu male uteris, praestas illi peccandi occasionem; eumque perdis quem Christus in tantum dilexit, ut pro eius salute mortem oppetere non dubitarit.

VER. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & persecutientes (scandalizantes & per scandalum vulnerantes) conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis]* Christus enim sibi factum arrogat, quod vni ex minimis suis factum fuerit, Matth. 25. Rursum qui scandalizant proximum, in Christum peccant: quia Christi fabricam, puta proximorum probitatem & salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt.

Scandalizantes proximum in Christum peccant.

struunt & euertunt.

*Quapropter si esca scandalizat fratrem meum : VER. 13.
non manducabo carnem in eternum, ne fratrem meum
scandalizem] Verbum scandalizare, pro eo quod Quid scā-
est offendiculo esse, & peccandi occasionem præ- daliza-
bere. Hoc magistri (inquit Chrysostomus) opti- re.
mi est officium, suo exemplo docere quæ precipit. S.
Basilius in regulis breuioribus reg. 64. ait, eò
scandalum esse maius, quò is, qui illud dat, ma-
iori scientia aut gradu prædictus est : addítque
quòd Deus de manu eius sanguinem peccantium,
qui illius malum exemplum sequuntur, requiri-
& reposceret.*

C A P V T I X.

S V M M A R I V M.

*Docet multis argumentis se potestatem habe-
re sumptus exigendi pro ministerio Euani-
glico ; sed abstinuisse tamen, ne quod offen-
diculum daret Euangelio : cuius causa om-
nibus omnia se factum dicit. Ad perseue-
rantiam certaminis & cursus Christiani,
quò coronam assequantur incorruptibilem,
suo hortatur exemplo.*

Non sum liber ? non sum Apostolus ?] Dixe. VERS. 1.
rat Paulus in fine capitinis præcedentis omni-
no cauenda esse scanda: hic vt illud persuadeat,
proponit se in exemplum, quòd tam ad ca-
uendum scandalum, quam ad dandum raræ vir-

tutis exemplum, iure suo, tot nominibus sibi debito, cesserit, nolens recipere stipendium prædicationis suæ, sed proprio labore victum sibi patranc: vt & Corinthij suo iure decadant, ac præfertim non vescantur idolothytis, in gratiam proximorum, &c.

Non sum liber? non sum Apostolus?] q.d. Nónne mei iuris sum, vt tanquam Christi Apostolus sumptus & almoniā à vobis exigere & accipere possum? Hoc tamen non facio, vt ostendam, quanti sit facienda proximi salus, & consequenter quām vos scandala idolothytōrum, & alia quāuis vita re debeat. ita Chryf.

Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?] q.d. Hinc patet me esse Apostolum, quia Christum vidi, & ab eo ad euangelizandum missus sum. Act. 9. & 22.

Nonne opus meum vos estis in Domino?] id est, in fide ac religione Christi, quia ego per Euangeliū in Christo vos genui; vestra Ecclesia à me ædificata est, vos estis mea structura.

VERS. 2.

Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum] ac si dicat: Esto, non sum aliis Apostolus; at sanè negari non potest vestrum Apostolum me esse.

Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino?] Græcè sigillum, quod haberi solet apud homines certum signum veritatis. Testimonium apostolatus mei extat in vobis, scilicet in euangelizando, in edendis miraculis, in labore & periculis, quæ vel suscepi, vel feci apud vos ad vestram conuersionem: quibus quasi sigillis diuinis consignauī, confirmauī & corroborauī apostolatum meum.

VERS. 3.

Amen defenso apud eos qui me interrogant, qui inquirunt

quirunt de mea vocatione & apostolatu , *hæc est*]
quæ extat in vobis, vt dixi. ita Anselmus.

Nunquid non habemus potestatem manducandi VERS. 4.
& bibendi ?] scilicet de sumptibus vestris. q. d.
Hæc est gloria & defensio mea , & mei aposto-
latus, quod nullo pretio , vt pseudoapostoli; imò
nec ullo sumptu accepto , vti Apostoli alij , sed
gratis euangelizem ; cùm tamen ad sumptum
hunc ius ac potestatem habeam , æquè ac alij.

Nunquid non habemus potestatem mulierem soror- VERS. 5.
rem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres
Domini , & Cephas ?] Sororem mulierem , id est
Christianam matronam. Eam quippe fuisse A- Consue-
postolorum consuetudinem , vt diuites feminas
comites haberent , quibus necessaria vitæ sub- tudo cir-
ministrantibus , ipsi securius atque expeditius
Euangelio vacarent. Ac sanè ad hunc intellectum qualis.
cogit exemplum Christi. nam de eo refert Luc.
cap. 8. quod eum secutæ mulieres aliquæ mi-
nistrabant ei de facultatibus suis. Hoc autem erat
mulieres circumducere. Quo potissimum exem-
pto idipsum fecerunt Apostoli.

Sicut & ceteri Apostoli , & fratres Domini , &
Cephas ?] Fratres , id est , cognati Christi , scilicet
Iacobus , Ioannes , Iudas. ita Anselm. imò Petrus
princeps Apostolorum & Ecclesiæ.

Aut ego solus & Barnabas non habemus potesta- VERS. 6.
tem hoc operandi ?] Pariter enim ad Gentium
conuersionem Paulus & Barnabas missi fuerunt
à Spiritu sancto , Act. 13. Hoc operandi , id est,
faciendi quod ceteri faciunt , viuendi ex Euangeliō
& mulierem circumducendi.

Quis militat suis stipendiis unquam ?] q.d. Sicut VERS. 7.
æquum est milites ali & viuere suis stipen-
diis,

diis, vinitorem pasci fructu sue vineæ, pastorem
laetè gregis quem pascit: ita par est præcones Euā-
gelij viuere ex Euangelio, puta ex sua vinea scili-
cet Ecclesia, & ex suo grege, id est, Christianorum
bonis, sumptus & alimoniam accipere.

*Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?
quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

VERS. 8. *Nunquid secundum hominem hæc dico? nunquid
hæc dico ex humano & carnali affectu; tanquam
mihi meisque commodis consulere volens? mi-
nimè. Quin verò illa ipsa ex lege diuina stabilio &
communio, an & lex hæc non dicit?*

VERS. 9. *Scriptum est enim in lege Moysi (Deut. 25.) non
alligabis os boni trituranti] quia nimirum par est, vt
animalia laborantia comedant? Mos enim erat
apud Orientales, vt & hodie in quibusdam Gal-
liæ locis, boum opera vti ad fruges pedibus tri-
turandas. Qui verò tenaciores erant, bobus ora
obligabant, ne de frugibus quas terebant, edere
possent. quod erat inclemenciam cuiusdam & iniu-
sticiæ; quam lex inhibet.*

*Nunquid de bobus cura est Deo?] q.d. Præcipua cura
Dei in hac lege non fuit boum, sed altius quid
spectauit, videlicet nos, & nostri similes, qui su-
mus boues typici, laborantes, & triturantes in
agro & area Dominica, ex Euangelio posse viuere.
& hoc est quod subdit:*

VERS. 10. *An non propter nos utique hoc dicit? nam propter
nos scripta sunt] q.d. Si bos viuit ex tritura: ergo
multò magis Apostolus ex Euangelio. ita Tertull.*

*Quoniam debet in spe arare qui arat. in spe, id est,
cum spe, sperans scilicet mercedem. ergo præ-
dicator sperare potest alimoniam ex sua prædica-
tione, & qui tritturat in spe fructus percipiendi.*

*Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est,
si nos carnalia vestra metamus?] Spiritualia vocat
doctrinam Euangelicam, & Sacraenta per Spi-
ritum sanctum efficacia, quibus anima pascitur.
Carnalia vero dicit alimenta ac cætera subsidia,
quibus caro, id est corpus, nutritur atque fo-
uetur.*

*Si alij potestatis vestrae participes sunt, quare non VER. 12.
potius nos? potestatis vestrae, id est iuris sui, quod
habent in vos. q.d. Si alij vni sunt iure accipiendo
alimoniam quod habent in vos, cur non & ego
vti possim?*

*Sed non vni sumus hac potestate (iure accipiendo
stipendum) sed omnia sustinemus] Omnia mala ex
non vnu potestatis antedictæ prouenientia: nem-
pe famem, siti, frigus, nuditatem, vigilias,
manuum laborem: cuiusmodi in 2. epist. cap. 6.
& 11. recenseret.*

*Ne quod offendiculum demus Euangeliu Christi] q.d. Ne accipiendo sumptus demus occasionem,
qua homines tenaces & indiscreti abutantur. vt
remorentur Euangeliu, illique obloquantur.*

*Nescitis quoniam qui insacrario, id est, in templo, VER. 13.
operantur, id est, sacris funguntur, aut subser-
uiunt, vt sacerdotes & Leuitæ, quæ de sacrario sunt,
id est, hostias, aut templi prouentus, puta decimas
& primitias, participant & edunt?] Nota operantur.
Sacerdotum enim erat iugulare, excoriare, seca-
re, coquere, comburere victimas, quod operosum
est, estque alias opus lanionum.*

*Et qui altari deseruiunt, cum altari participant?] -
Sensus: Eos qui assistunt altari siue ipsi sacrificia
offerentes, siue offerentibus ministrantes, suas
accipere partes ex oblatis.*

VER. 14. *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangeliō viuere]* Dignus enim est operarius cibo suo, Matthæi decimo, mercede sua, Lucæ decimo.

VER. 15. *Ego autem nullo horum usus sum]* ac si dicat: Pro potestate mea non certavi argumentis, cum apud vos essem, sed magis eam dissimulaui, sustinens inediā, neque meo labore transīgens: quemadmodum scribit in 2. epist. cap. 11. *Cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui.*

Non autem scripti hæc, ut ita fiant in me] Ac ne nunc quidem ideò hæc scripti, ut similiter erga me fiat; sed ad hoc, ut ostendam quod initio proposui, me tanquam Apostolum Christi, & ministrum Euangeliū, ius & potestatem habere viuendi ex Euangeliō.

*Gloria
Pauli ad
uersus
pseudo-
apostolos.*
VER. 16. *Bonum est enim mihi magis (melius est) mori,
quam ut gloriam meam quis euacuet]* Gloriam meam, euangelizandi scilicet sine sumptibus. Porro gloriam seu gloriationem eam intelligit, qua gloriabatur aduersus pseudoapostolos, qui Corinthiis graues erant & sumptuosi.

*Nam si euangelizauero, non est mihi gloria: necesse
fitas enim mihi incumbit]* scilicet euangelizandi. Necessitatē intellige ex præcepto Christi.

Va enim mihi est, si non euangelizauero] Hinc patet graui præcepto præceptum fuisse Apostolis Matth. 28. ut euangelizent & doceant omnes Gentes; adeò ut si neglexissent euangelizare, peccassent mortaliter: talibus enim intentatur va iræ Dei & gehennæ.

VER. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo]* si voluntarius, liberaliter, & gratis prædicem; habeo non qualem qualem mercedem operis, præcepti, scilicet

scilicet prædicationis, vti alij Apostoli, sed mercedem per excellentiam, scilicet copiosam gloriam operis indebiti & heroici (quale est gratis prædicare) animique sponte sua tam liberalis apud Deum.

Si autem iunxit, id est, si non vtroneus, nec liberaliter aut gratis prædicem, sed quasi coactus præcepto Dei, vel metu pœnæ, dispensatio mihi credita est.] q. d. Tunc non habeo gloriam illam singularem, sed neque peccato, quia officio fungor meo, & facio quod iubeo. Nam commissa est mihi, & demandata hæc dispensatio, siue administratio Euangeli.

Qua est ergo merces mea?] gloriosa illa, & singularis iam dicta. Nota, merces ponitur hic pro merito, siue opere heroico, & meritorio magnæ mercedis per metonymiam. VER. 18.

Ut Euangelium prædicans sine sumptu ponam] tradam & annunciem Euangelium, sine sumptu, ac si dicas, insumptuosum, hoc est, gratuitum. sic enim loquitur ipse Paulus in epist. 2. cap. II. Gratis Euangelium Dei euangelizari vobis. Sensus: Ita deum mercedem ac præmium boni doctoris à Deo expectabo, si prædicans Euangelium Christi, sumptum ab aliis quibus prædicto non accipiam. Hoc est enim Euangelium ponere, seu facere insumptuosum atque gratuitum. nam pone-re pro facere frequens est in sacris Literis.

*Vt non abutar potestate mea in Euanglio] abut-
tar, id est, inquit, omnino utr omni iure meo. Si-
gnificat ergo se eatenus teneri ad ponendum fine sumptu Euangelium, ne in Euanglio prædi-
cando potestate sua, qua sumptus accipere pote-
rat, abuteretur.*

VER. 19. *Nam cùm liber essem ex omnibus (ab omnibus)
quasi dicat , Cùm nemini essem obstrictus , om-
nium tamen me seruum feci , ad omnia me demisi ,
etiam ad inopiam & famem , omnium infirmita-
tibus me accommodavi , &c. ut plures lucrifa-
rems] id est , vt quamplurimos acquiram Christo ,
saluosque faciam.*

VER. 20. *Et factus sum Iudeis tanquam Iudeus , ut Iudeos
lucrarer] Iudeis , inquit , cum quibus mihi con-
uersandum fuit , factus sum tanquam Iudeus , id est ,
similis illis , intellige quoad actiones quasdam &
obseruationes exteriores , velut circumcidens Ti-
motheum , tondens sibi caput cum voto secun-
dum legem , ac rursus ex voto sese purificans , diés-
que purificationis in templo cum oblationibus
annuncians , Act. 16.18.21.*

VER. 21. *iis qui sub lege sunt , quasi sub lege essem (cùm ipse
non essem sub lege) id est , cùm probè scirem me le-
ge Mosaica non teneri , ut eos qui sub lege erant lu-
crifacerem , nempe Christo , ad eius fidem illos ad-
ducendo , iis qui sine lege erant , tanquam sine lege es-
sem , quasi sine lege fuerit ; quomodo Gentiles
Dei legem omnino non seruantes (cùm sine lege
Dei non essem , sed in lege essem Christi) Sensus est :
Cùm tamen reuera non sim nec viuam sine lege
Dei , sed obseruem legem Christi cui sum obno-
xius . ut lucrifacerem eos qui sine lege erant] hoc est ,
Gentiles .*

VER. 22. *Factus sum infirmis infirmus , ut infirmos lucrifa-
cerem omnibus omnia factus sum , non mentientis ,
vel peccantis actu , sed compatientis affectu , ut
omnium moribus me cōtemperans , quantum ho-
nestas & Dei lex patitur , omnium morbis mede-
ri possem , ut omnes facerem saluos] Per quod decla-*

declaratur magna charitas Apostoli Pauli, quòd omnium seruum se fecerit, ut ex omnibus saltem aliquos, et si paucos ad salutem perducere.

*Omnia autem facio propter Euangelium ut parti-
ceps eius efficiar] vt nimis fructum prædicati
Euangelij suo tempore percipiam, & participem
cum aliis prædicatoribus, hoc est, ut vna cum il-
lis ascquam ea bona quæ promisit Euangelium.*

*Nescitis quod iij qui in stadio currunt, omnes quidem
currunt, sed unus accipit brauium ?] q. d. Ideò sine
sumptu euangelizo, ideo omnibus omnia sio, ideo
laboro; quia in stadio hoc curro, quia ad brauium
concerto pro præmio, etiam primo & maximo.
Vnus accipit brauium. q. d. Sicut in stadio, ita in via
& vita Christiana non omnes currentes accipient
brauium, sed tantum benè & ritè currentes ad
meram usque. Sicut in stadio, qui rectè currit, ac-
cipit brauium, sic & qui rectè currit in Christia-
nismo, coronam gloriae accipiet.*

*Sic currite ut comprehendatis] scilicet coronam
gloriae & brauium victoriae. vox, sic, notat reconstitu-
dinem, diligentiam, celeritatem, & perseveran-
tiam, quæ maximè in cursu ad brauium requiri-
tur. Talis fuit cursus Christi, quem omnes Chri-
stiani imitandum sibi proponere debent. Quidam
enim currunt bene, sed in bono cursu non perse-
verant: quales Galatae, quibus ait cap. 5. *Currebatis
bene ; quos tamen in illo cursu queritur impedi-
tos.* Vnde & hic paulo post de seipso loquens, af-
firmat se currere, haud dubium bene : & tamen
adhuc se castigare corpus suum dicit, ne forte cum
aliis prædicauerit, ipse reprobus fiat. Constat igi-
tur ex hoc Scripturæ loco, quemadmodum ex
multis aliis, veram iustitiam amitti posse : quod*

VERS. 23

VERS. 24

Veræ ius-
titia &
mitri
posse.

T negant

negant hæreses nouæ.

VERS. 25 *Omnis autem qui in agone contendit, id est agonizans in agone decertans gymnaſticam exercens, ab omnibus, scilicet eum in agone impedientibus, se abstinet.] Græcè per omnia temperans est & abstinentis. &c., ut Cyprian. continens. Addit Clemens Alexandr. athletas abstinuisse venere. Sicut enim libido corpus debilitat, eneruat & exhaurit; ita continentia & castitas roborat corpus, ac multò magis mentem. & ita hoc Apostoli dictum: ab omnibus, id est ab omni libidine, se abstinet.*

*Libido
corpus de-
bilitat,
castitas
illud ro-
borat.*

Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipient, id est, præmium aliquod temporale ac peritum: nos autem incorruptam] id est æternam coronam, in celo repositam iis qui bene certauerint & cursum consummauerint.

VERS. 26 *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans] Pugno, id est, prælior in bello, inquit S. Thomas, id est pugilem ago, pugnis certo, non quasi aërem verberans, id est, frustra & inaniter laborans: sed hostem verbero, scilicet corpus & carnem meam subigo, qua subacta facile duo reliqui hostes, scilicet dæmon & mundus, subiguntur.*

VERS. 27 *Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar] Castigo, id est subigo, coerco, contundo. Irenæi interpres lib. 4. cap. 72. vertit, Liuidum facio corpus meum, id est siccum & squalidum reddo, ut intellegas Paulum fame & inedia corpus suum attenuare & affligere. & in seruitutem redigo, id est, ut seruum ago, ac subiectum mihi teneo: sic træcto ut cogatur & assuescat seruire. Iam quomodo corpus suum castigauerit, & in seruitutem regenerit,*

*Corpus
seruituti
subiecti-
dum.*

degetit, alibi significat, ut illis verbis 2. epist. cap. 6. In laboribus, in vigiliis, in ieiuniis. Porro castigatio corporis fit per ieiunia, cilicia, humiliationes, plagas, aliasque carnis macerationes & afflictiones. Hinc nonnulli censem Paulum corpori suo plagas & verbera inflixisse.

Ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar] id est reprobatus. q. d. Ne reproberet & reiiciat à Deo, cælōque excludat. Loquitur non de reprobatione æterna, quæ est in mente diuina, sed temporali, quæ est executio æternæ. Hinc patet incertitudo gratiæ & prædestinationis. Paulus metuit damnari, tu fide credes te saluandum? Secundò, hinc colligitur, Paulum non habuisse revelationem de sua salute. ita S. Gregorius lib. 6. epist. 22. ad Gregoriam. Tertiò, non ita fuisse confirmatum in gratia, quin ab ea excidere potuisset. Si Paulus hæc timuit, ait Chrysost. qui tam multos docuit; & timuit postquam predicauit, quid nos dicerimus? Augustinus ferm. 19. de verbis Apostoli, citante etiam Beda: *Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremuit.* Addo, Gregorium Pamph. affirmare Apostolum Paulum hæc scribentem, quamuis iam ad tertium cælum ascendisset, & in paradisum ductus arcana verba audiisset, quæ homini loqui non liceret; tamen adhuc trepidasse & timuisse ne à salute excideret.

* *

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Ab idololatria, fornicatione, & aliis vitiis deterreret exemplo veteris & ingratia populi, propter eadem à Deo varie puniti: cui in figura contigerunt omnia. Admonet ut à mensis idolorum abstineant, omnia ad Dei gloriam faciant, & proximis offendicula ne præbeant.

VERS. I. **N**olo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt] quasi dicat: Ideò dixi post baptismum Christianis esse certandum in agone, ne reprobi fiant & brauium, amittant; sicut Hæbræi post typicum baptismū, & escam cælestem, scilicet manna, terram promissionis & brauium inertes per peccata amiserunt. Patres nostri, patres Iudæorum, è quibus ego sum, & multi inter vos, ô Corinthij. Sub nube. Nubes hæc fuit columna per diem obumbrans Hebræos ut nubes, & per noctem lucens ut ignis, quæ eos duxit per desertum quadraginta annis.

Et omnes mare (rubrum, siue sinum Arabicum) transierunt] sicco pede, Moysè per virgam suam aquas percutiente & diuidente.

VERS. 2. *Et omnes in Moysè baptizati sunt, in nube & in mari] Exod. 14. Nota, transitum maris rubri typum fuisse baptismi, in quo sanguine Christi rubricamur, & mergimus Ægyptios, scilicet peccata.*

cata. Moyses typus est Christi; nubes est Spiritus sanctus, æstum concupiscentiæ refrigerans, nōsque illuminans.

Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt] q.d. Omnes Hebræi tam boni quam mali comederunt eandem escam, id est, idem manna.

VERS. 3.

Et omnes eundem potum spiritalem biberunt] Erant enim illa spiritualia, non in se, sed in rebus significatis, quarum erant figuræ: sicut & alia multa, quæ in illo populo vel exhibebantur, vel gerabantur in typum futurorum.

VERS. 4.

Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra] Petra enim quæ dedit aquam Hebræis, erat typus Christi, qui est vera petra, è qua fluxit sanguis sitim concupiscentiæ nostræ restinguens. Hæc autem petra comitata dicitur Israëlitas, eò quod aquæ quas petra copiosissimè fundebat, pro commoditate populi in riuos diuisæ, longo spatio profluerent, donec veniretur ad locum, vbi esset aquarum copia. vnde psalm. 77. de illis aquis dicitur: *Et deduxit tanquam flumina aquas, & torrentes inundauerunt. & psal. 104. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.*

Petra cœ
sequens
quo s̄esu.

Petra autem erat Christus] illius petræ significatum erat Christus; siue, quod per petram significabatur, est Christus. Christus enim ut petra firmissima totam sustinet Ecclesiam; idemque percussus & occisus à Iudæis, quorum figuram Moyse gerebat, exundauit aquas uberrimas gratiarum, quibus salubriter reficimur in huius vitæ deserto, quicunque tendimus ad terram promissionis spiritualem seu mysticam, id est patriam cælestem. q. d. Paulus, Christi diuinitatis virtute, quæ erat petra spiritualis significata per petram

Petra spē
ritualis
qua dicitur.

dantem Hebræis aquam , quæque Hebræos semper comes per desertum sequebatur, data est Hebræis aqua de petra illa materiali. ita S. Chrysostom. Ambros. Anselm. Hanc aquam typicam miraculosè eis dabat , vt Christum eam dantem agnoscerent & colerent : quod tamen , vt sequitur, plurimi eorum non fecerunt.

VERS. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo]*
q. d. Licet omnes idem manna comederint, eandem aquam de petra biberint , tamen non omnes placuerunt Deo. ita Chrysost. Theophyl. Hebraïnus, id est, plurimi eorum Deo non placuerunt : imò vehementer displicuerunt ; vtique propter incredulitatem , murmurationes , & alia peccata , quibus iram Dei aduersum se prouocauerunt.

Nam prostrati sunt in deserto] Sic Hebr. 3. de iisdem : Quorum cadavera prostrata sunt in deserto. Omnes enim Hebræi , qui duce Moysè egressi sunt ex Ægypto, ob peccata sua, præsertim murmurationem, mortui sunt in deserto, dempto Iosue & Caleb. qui soli cum noua mortuorum sobole ingressi sunt terram promissam, Num. 14.

VERS. 6. *Hec autem in figura facta sunt nostri] Figura, hīc tam exemplum, quām typum significat. Voluit enim Deus Hebræos statuere Christianis in exemplum , vt ex ipsorum punitione discerent Deum reuereri, illique obedire.*

Vi non simus concupiscentes malorum , sicut & illi (patres nostri, scilicet prisci Hebræi) concupierunt] delicias carnium , in loco qui inde dictus est Sepulchra concupiscentiæ, eo quod Hebræi ibidem ob hanc carnium concupiscentiam cæsi sint à Deo. Num. 11.

Neque

Neque idololatra efficiamini, sicut quidam ex ipsis: Vers. 7.
quemadmodum scriptum est, Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere] Nam ederunt & biberunt epulo constructo ex hostiis pacificis quas aureo vituli simulacro obtulerant. Vnde & surrexerunt ludere, saltando nimirum, & choros agendo: hos enim paulò post descendens è monte vidit Moyses, Exod. 32.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt] cùm scilicet Hebrei coluerunt Beelphegor, id est, Priapum, & in eius gratiam & cultum fornicati sunt cum filiabus Moab, Num. 25.

Et ceciderunt una die viginti tria millia] Chrysost. Anselm. Caiet. referunt hoc ad plagam ob fornicationem cum filiabus Moab, de qua iam dixi, quæ recensetur Num. 25, sed ibi dicuntur cæsa viginti quatuor millia; h̄c autem sunt tantum viginti tria millia. Cajetanus respondet errore scribarum poni viginti tria pro viginti quatuor. Alij respondent Apostolum dicere verum, quia maior numerus, scilicet viginti quatuor, includit minorem scilicet viginti tria; sed planiū & apertiū dicemus Apostolum respicere ad Exod. 32. v. 28. vbi ob adoratum vitulum cæsa dicuntur viginti tria millia; vt habent Biblia Romana. Hanc ergo pœnam non refert Paulus ad fornicatores proximè præcedentes, sed remotius more Hebræorum ad idololatras, de quibus egit v. 7. nam obliuīs pœnam tanto sceleri illatam expōnere, quasi postliminio illam tradit: sic enim in sequentibus sceleribus pœnam semper subnētit, &c.

Neque tentemus Christum] quasi diffidentes eius promissis, vt aliqui Corinthiorum dubitabant de

T 4 refug



resurrectione. vt patet c. 17. ideoque signa petamus 2. Petri 3.

Sicut quidam eorum tentauerunt] Citat Num 21. vbi dicitur : Et tñdere cœpit populum itineris & laboris , locutusque contra Dominum & Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto ut moreremur in solitudine? deest panis , non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Vbi Nota, *contra Dominum*. Hunc enim Dominum Paulus explicat hñc esse Christum : ergo Christus est Dominus Deus.

Et à serpentibus perierunt] scilicet morsibus eorum imperfecti. Scriptura serpentes ignitos, id est, vrentes vocat , Numero. 21. quia suo morsu & afflato calidissimo tantum calorem inducebant , vt qui ab eis erant morti sibi vri videbantur.

VERS. IO *Neque murmuraueritis vel contra Deum , vel potius contra homines vobis præfectos, Sicut quidam eorum murmurauerunt , & perierunt ab exterminatore.*] Angelo scilicet , per quem Deus pœnas Hæbræis murmurantibus infligit, vt Core cum suis à terra viuis absorberetur, alia quatuordecim millia & septingenti igne perirent. Numer. 16. Hic Angelus videtur fuisse Michael dux populi , & legis in Sina dator , & vindicta, Exod. 23. typusque Christi.

VERS. XI *Hac autem omnia in figura contingebant illis]* *Hec omnia* , nimirum quæ iam dixi. Figura hñc non tam sensum allegoricum vel mysticum significat , quam exemplum. quasi dicat : Deus puniuit Hebræos in figura nostri , hoc est , ad exemplum nostrum ; vt eorum pœna sapiamus.

Scripta sunt autem ad correptionem nostram.]
Sensus: ut iis lectis vel auditis, admoniti sapiamus, ne similiter peccantes similia patiamur.

In quos fines seculorum deuenerunt.] Ultimam quippe mundi ætatem significat, quæ ab aduentu Christi protenditur usque ad sæculi consummationem. Loquitur enim Apostolus non tantum in persona fidelium sui temporis, sed & eorum qui post futuri erant usque ad finem sæculi.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat] VER. 12.
scilicet alieno cautus exemplo. Præcipue notat eos qui scientiæ nomine sibi placentes, cum destructione proximorum & idololatriæ periculo, cibos idolis immolatos comedebant. Observa Paulum non dicere qui stat, sed, qui se existimat stare, qui sibi videtur stare. Multi namque sibi stare videntur, qui non stant. fallunt enim semetipos, aut certè falluntur. Quales utique erant quos inflabat scientia, charitate destitutos ædificante. Qui stat videat ne cadat: nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus, inquit S. Leo serm. 5. de Quadragesima.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana] q. d. VAR. 13.
Esto, ô Corinthij, tentemini & sollicitemini ad schismata, ad litigia, ad luxum & venerem, ad idola & idolothyta; constantes tamen estote: quia hæ tentationes, quæ vos apprehendunt & occupant, communes sunt & humanæ, quas facile, si velitis, vinceris.

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.] Si non patitur Deus nos tentari supra vires; ergo multò

T 5 minūs,

minus, immo nullo modo impellit nos Deus ad peccata; ut vult Caluinus. *Deus*, ait August. impossibilitas non iubet (cum iubet ut cuius tentationi resistamus) sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat ut possis. Deus est fidelis, id est, verus in promissionibus, qui se protectorem suorum electorum promisit, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ferre; quia vel cadere non sinit, vel a casu erigit.

Sed faciet etiam cum temptatione prouentum, ut possitis sustinere.] Sensus est: Is qui vos permittit tentari, faciet ut bonum exitum habeat tentatio: hoc est, ut eam supereritis, ac victoriam inde reportetis. *ut possitis sustinere*, id est, ita sustinere, ut supersint adhuc vires ad plus aliquid sustinendum: itaque tale tantumque auxilium Deus confert, ut cum magno excessu possit quis tentacionem superare.

VER. 14. *Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura.]* Vnde per propter quod, significat, se omnia praecedentia dixisse, ad hoc, ut absterrat eos ab idololatria & idolothytis. vnde non dicit, Ne colatis idola: sed, *fugite ab idololatria*. id est, ab idolorum cultu. Christianus enim idolothyrum vna cum idololatris comedens, etsi non propriè colebat idolum; tamen ab idioli cultu non satis recedebat. nam etsi ille idolothyti, participatio quædam erat cultus idololatrici.

VER. 15. *Vi prudentibns loquor]* scilicet id quod sequitur. ac si dicat: Cum prudentibus & intelligentibus mihi sermo est.

Vos ipsi iudicaretis quod dico.] Sensus: Id quod volo dicere tale est, ut vos ipsi, tanquam prudentes,

tes, facile de eo iudicare possitis.

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?] Calix benedictionis quem benedicimus. Benedixit autem Christus panem & calicem, hoc est, Dei benedictionem & omnipotentiam super panem, & vinum inuocauit, ut præstò esset, & iam, & in futuris omnibus consecrationibus, ad panem conuertendum in corpus, & vinum calicis in sanguinem Christi, quando legitimè pronunciantur verba consecrationis. Similis fuit benedictio panum, Luc. 9. Non ergo benedictio hæc fuit consecratio, licet id velit D. Thomas 3. part. quæstio. 78. articulo 1. sed prævia oratio. ita Trident. sessio. 13. cap. 1. vnde in liturgia Sancti Iacobi, Basiliij, & nostra, Christi exemplo petimas, vt Deus benedicat hæc dona, vt diuina virtus in panem, & calicem descendat ad perficiendam consecrationem: & hinc dicitur *calix benedictionis*, id est à Christo benedictus. Nonne communicatio sanguinis Christi est? Ergo, non typus sanguinis, vt vult Caluinus: sed ipsissimus sanguis Christi est, & nobis communicatur in calice Eucharistie. Non dixit, inquit Theophylactus, participatio, sed communicatio; ut aliquid excellentias indicet, puta summam unitem. quod autem dicit huicmodi est, Hoc quod in calice est, illud est, quod effluxit de latere Christi, & ex eo accipientes communicamus, id est unimur Christo. non pudet itaque vos, ô Corinthis, ad idolorum calicem recurrere, à calice hoc, qui vos ab idolis liberavit. Nos in Eucharistia Deum ipsum tangere & manducare, & ab eo omnia bona percipere clarissime assuerat Chrysostomus in morali hom. 24.

VER. 16.

*In Eu-
charistia
prævia
benedi-
cio non
est con-
secratio.*

dicens:

dicens: *Hæc mensa animæ nostra vis est, nervi mentis, fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Si hinc hoc sacrificio muniri migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, & quid futura commemooro? nam dum in hac vita Eucha- sumus, ut terra nobis sit calum, facit hoc mysterium: ristia fa- sicut enim in calis, ita in terra regium corpus tibi vi- cit, ut terra no- dendum proponitur, &c. neque eum conspicaris tan- bis sit ca- tum, sed tangis & comedis, &c.

Et panis quem frangimus, nonne participatio cor- poris Domini est?] Sensus est: Communicatio, vel esus panis, quem frangimus, communicat nobis ipsum Christi corpus, vt illud reuera singuli in Eucharistia participemus. Corpus Domini panem Apostolus vocat, tum quia ex pane factum est: qua ratione homo puluis seu terra vocatur, Ge- nes. 3, tum potissimum quia speciem panis totam- que eius operationem retinet. Adde, non dici nudè panem, sed *panem quem frangimus*, id est Eucharisticum, siue transsubstanciatum, qui est corpus Christi, panis tamen speciem & operatio- nem retinet. ita omnes Patres & Doctores or- thodoxi. Hinc frangere panem, est verbum Ec- clesiasticum & sacramentale. Vnde Paulus hic Eucharistiam vocat *panem quem frangimus*, scilicet in Sacramento species corporis Christi fran- gentes, & comedentes; & in sacrificio illas offe- rentes, sumentes, & consumentes.

VER. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*] De quo sic exclamat S. Augustinus: O Sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis! Aquinas vero subtiliter ac sublimiter in his Apo- stoli verbis duplicem obseruat unitatem: primam incor

incorporationis , qua in Christum transformamur ; cùm dicit , Vnus panis : alteram vitæ & sensus , quam à Christo capite accipimus ; cùm addit , Vnum corpus . Sic ergo ratiocinatur : Nos Christiani quicumque de vno pane , id est corpore Domini , & de vno calice , id est sanguine Domini , communicamus , hoc ipso cum Christo Domino , & inter nos societatem sanctæ religionis habemus atque fouemus ; adeoque vnum inter nos & cum illo tanquam capite , mysticum corpus efficimur : ergo fideles vna cum infidelibus ex immolatiis idolorum edentes , societatem impiæ religionis cum eis ineunt , atque idolatriæ participes efficiuntur ; imò , sicut infrà dicit , ipsorum dæmoniorum socij fiunt .

Videte Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias , participes sunt altaris ?] q. d. Eodem modo qui comedunt de pane Eucharistico , participes sunt sacrificij Eucharistici , & qui comedunt idolothyta , participant de sacrificiis idololatricis , illaque consummant , ac per hoc quasi sacrificant idolis .

*Quid ergo ? dico quod idolis immolatum , sit ali- VER. 19.
quid ? aut quod idolum , sit aliquid ?] q. d. Minimè . idolum enim & consequenter idolothytum nihil est , nihil habet numinis vel virtutis , vt dixi cap. 8. v. 4.*

*Sed que immolant Gentes , demoniis immolant , & VER. 20.
non Deo . nolo autem vos socios fieri dæmoniorum : non potestis calicem Domini bibere , & calicem dæmoniorum : non potestis mensa Domini participes esse , & mensa dæmoniorum] mensa sacræ scilicet , id est altaris , quæ est quasi mensa Dei , in qua Deus quasi conui*

coniuatur nobiscum , vt patet Malachiæ 1. ita Ambros. Anselm. & Concilium Tridentin. sess. 22. c. 1. vbi ex hoc loco docet Eucharistiam esse sacrificium: de ea enim Apostolum agere, non de sacrificio crucis. Primo , quia crucis victimam transiit , & iam diu desit : hic autem agit Apostolus de sacrificio , cuius Corinthij in dies erant participes. Secundo, ex voce panis, & mensæ Domini, id est altaris: vbi enim est altare , ibi est & sacerdos , & sacrificium. Hæc enim tria sunt correlatiua.

VER. 22. *An emulanur Dominum]* id est , an prouocamus Dominum ad iram & zelum ? quasi contemnentes eius potentiam , & probare volentes an punire nos possit , ad triualem & hostem ipsius diabolum transeuntes ! id enim facit qui participes effectus mensæ Domini , postea se se mensæ dæmoniorum associat.

Nunquid fortiores illo sumus?] ac si dicat, Minime. ergo non impunitè nobis cedet illa æmulatio , & Dei ad iram prouocatio.

VER. 23. *Omnia mibi licent, sed non omnia expediunt, quia, vt sequitur, non omnia edificant]* quasi dicat: Materialiter licet vesci idolothyto per se , per accidentem tamen non licet, si sequatur scandalum.

VER. 24. *Nemo quod suum est querat, sed quod alterius]* q.d. Nemo querat ematve carnem idolis immolatam, sibi commodam, gratam, sapidam, vilis pretij : sed in hac re aliisque similibus querat alterius, proximi scilicet, ædificationem, vt non cum eius scando , & damno spirituali illam emat & comedat. ita Theophylact.

VER. 25. *Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogantes propter conscientiam.]* Omne, scilicet omnia tam idolis immolata, quam non immolata

indifferenter comedite: *Nihil interrogantes, id est, nihil diiudicantes, vel discernentes; Ambrosius, nihil disquirentes; Theophylactus, nihil hæsitanter.* *Propter conscientiam;* quasi scrupulus sit faciendus, si vendant idolothyta, illudque rogare debeatis, an scilicet carnes quas emere vultis, fuerunt idolis oblatæ, nec tales emere & comedere liceat. ita Anselmus, Ambrosius, Theodoreetus.

Domini est terra & plenitudo eius] q. d. Omnis VER. 26.
creatura, quia Domini est, bona est & munda: sic
& idolothyta, non immunda sunt, ut vos putatis
esse, ex eo quod dæmoni sunt oblata; sed munda
sunt, quia à Domino creata sunt. ita Chrysost.
Theoph.

Si quis vocat vos (ad prandium vel cœnam) infideliū, & vultis ire: omne (etiam si idolothytum
sit) quod vobis apponitur manducate, *nihil interrogantes propter conscientiam.*] Si enim rogetis,
& respondeatur esse idolothytum, conscientia
vestra constringetur, eoque vesci non po-
terit.

Si quis autem dixerit (in prandio vel cœna.) Hoc idolis immolatum est: nolite manducare, propter illum qui indicauit] ne videlicet ei scandalum
præbeat manducando, siue fidelis ille sit, siue
infidelis.

Et propter conscientiam] ne scilicet lædas
conscientiam fratris tui in fide infirmi, tibi in
mensa assidentis, dum eum tuo exemplo pro-
uocas, ut contra conscientiam suam idolothyta
comedat.

Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius VER. 29.
ut quid enim libertas mea indicatur ab aliena con-
sciencie

scientia?] q.d. Quare utrā libertate mea cum scandalo, vt damnari ab aliena conscientia? illa enim cūm infirma sit & rudis, putat me rem damnabilem facere, si comedam idolothyta, quasi dicat: Neutiquam id faciendum est. ita Ambrosius.

VER. 30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?*] Sensus est: Committere non debedo, vt alius mihi maledicat, aut male de me loquatur, propter id pro quo ego Deo gratias ago, id est propter cibum: sed potius abstinebo, quamvis alioqui cum gratia participatus.

VER. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis: omnia in gloriam Dei facite*] q.d. Ita manducate, bibite, omniāque vestra ita facite, vt apta & habilia sint ad gloriam Dei promouendam, scilicet vt talia sint, ex quibus glorificari possit Deus, nemo offendit, nec Dei gloria laedi, sed potius omnes ædificari, & consequenter Dei gloria celebrati & propagari.

VER. 32. *Sine offensione estote Iudeis, & Gentibus, & Ecclesia Dei*] tales, inquit, vos gerite, vt nullum præbeatis offendiculum neque Iudeis, neque Gentilibus, neque Ecclesiæ Dei. Iudeos & Gentiles rectè plerique restringunt ad eos qui foris sunt, id est infideles, & Ecclesiam nondum ingressos. Nam de fidelibus est tertium membrum, & Ecclesia Dei.

VER. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placebo, id est, placere conor & fatago, vt omnes ædificem, neminem offendam & scandalizem, non querens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*] Græcè, Non querens meum ipsius commodum, id est utilitatem, sed multorum. id enim argumentum est charitatis, quæ non querit quæ sua sunt.

C A P V T XI.

S V M M A R I V M.

*Vt viros aperto capite, sic mulieres velato orare
præcipit ac docet. Reprehendit quòd cœnam
Dominicam irreuerenter ac tumultuosè ce-
lebrarent. Commemorat traditam sibi à Do-
mino Eucharistie institutionem. Indignè su-
mentes quam grauiter peccent, & qua puni-
tione digni sint exponit.*

Imitatores mei esote, sicut & ego Christi] scilicet VERS. 1.
imitator sum; nominatim in eo quòd dixi me
per omnia omnibus placere. nam & Christus
non sibi placuit Roman. 15. sed dedit redemptio-
nem semetipsum pro omnibus, 1. Tim. 2.

*Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei me- VERS. 2.
mores estis] Omnia vero intellige doctrinam, præ-
cepta, traditiones.*

*Et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis] vt sens-
sus sit: Non sola tenetis memoria, quæ vobis ser-
uanda tradidi & præcepi, id est traditiones, insti-
tuta, præcepta: verum ipso opere ea præstatis.*

*Volo autem vos scire, quod omnis viri caput, Chri- VERS. 3.
stus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi,
Deus.*

*Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, de- VERS. 4.
turpat caput suum: omnis autem mulier orans, aut pro-
phetans non velato capite, deturpat caput suum: unum
enim est, ac si decaluetur] Prophetans enim hic non
sumitur propriè, ut idem sit quod prophetiam*

proloquens aut explicans; sed impropriè, idemque est, quod sacris hymnis & psalmis Deum laudans, eosque Deo decantans, sic propheta pro cantore capitut, 1. Paralip. 25.1.Reg. 10. Sic Saul dicitur fuisse inter prophetas, id est inter cantores, Dei laudes canentes. *Detur pat.* id est dedecorat, probro afficit caput suum quasi dicat: Si non velet se mulier in templo, facit contra naturalem honestatem & verecundiam illi inditam à Deo. *Vnum enim est,* perinde est, æquè turpe est mulieri, si non veletur ac si decaluetur.

VERS. 6. *Nam si non velatur mulier, tondeatur,* id est, etiā tondeatur: quia pars est turpitudinis. *Si vero tur-*

VERS. 7. *pe est mulieri tonderi aut decaluari:* velet caput suum. vir quidem non debet velare caput suum: quoniam *imago & gloria Dei est.* Dicit hīc Apostolus, quod vir sit Dei imago & gloria, id est imago gloriæ vel glorioſa, in qua scilicet maximè elucet Dei maiestas & imperium. Est enim vir in supremo rerum gradu collocatus in hoc mundo, & tanquam secundarius aliquis Deus, dominans omnibus. *Muli-*
er autem gloria viri est] id est, mulier facta est ad gloriā viri ex viro, velut eius opificium & imago: vnde illi subiecta est, & in signum subiectionis velanda.

VERS. 8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro]* Mulier ex viro formata est, non contraria & ptoinde mulier est gloria viri, id est, caries in qua tanquam in pulchro opere ex se formato, vir merito glorietur.

VERS. 9. *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mu-*
lier propter virum] ut scilicet esset viro in adiutorium, ad vitæ societatem, & prolis propagationem.

VERS. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput]* Pote

Potestas, significat h̄ic auctoritatem , ius , imperium, principatum, non ipsius mulieris, sed viri in mulierem. Alludit enim ad Gen. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

Propter angelos] ad literam sensus est, mulieres debere habere velamen super caput ob reuerentiam Angelorum, quia mulieres angelos testes habent honesti pudoris, aut impudentiæ, item obedientiæ, & inobedientiæ suæ. ita Chrysostom. Theophil. Theodor. Thom. Anselmus.

Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino] alter enim alterius, vtpote coniugis, ope indiget, idque in Domino, id est, Dominio ita volente & disponente.

Nam sicut mulier prima, Eua, de viro formata est, VERS. 11
ita & vir per mulierem concipitur, formatur, nascitur, propagatur. omnia autem ex Deo] sunt, ordinantur, & disponuntur.

Vosipſi iudicate] apud vosipſos iudicate: id est in VERS. 13.
suo quisque animo æstimet quod dico.

Decet mulierem non velatam orare Deum?] quasi dicat, minimè.

Nec ipsa natura docet vos, id quod præcedit, scilicet decere mulierem non velatam orare, sed potius eius contrarium, scilicet id quod sequitur: VERS. 14
Quod vir si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. VERS. 15

Si quis autem viderit contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus] contentiosus, ut scilicet contendat, non veritatis, sed gloriæ & victoriæ studio, feminas Christianas velandas non esse cum in templo orant, sed pristinum Gentilium morem, & nuditatem retinere debere.

VERS.17. *Hoc autem præcipio : non laudans quod non in melius, sed in deterius conuenitis] q. d. Hoc de velan-
dis mulieribus ita præcipio , ut interim vos non
laudem in eo quod sequitur , scilicet , quod non in
melius , sed in deterius conuenitis , id est , quod non
ad utilitatem & profectum spiritualem , sicut
oportebat , conuenitis in Ecclesiam , sed magis ad
spirituale detrimentum .*

VERS.18 *Primum quidem conuenientibus vobis in Eccle-
siam , audio scissuras esse inter vos in Ecclesia , id est ,
in ipso conuentu , & ex parte credo] Id intelligi
potest , vel de parte rerum , vel de parte persona-
rum , vel Apostolum credere partem aliquam
malorum , quæ sibi narrata essent .*

VERS.19 *Nam oportet & hæreses esse] Chrysostomus cæ-
terique Græci , hæreses intelligunt hoc loco , non
aduersus sanam & catholicam doctrinam erro-
neas opiniones : sed dissidia circa mensas , & lo-
cum & tempus accumbendi .*

*Vt & qui probati sunt , qui probi , solidi ac firmi
sunt , manifesti fiant in vobis .*

VERS.20 *Conuenientibus ergo vobis in unum , iam non est
Dominicam cœnam manducare] q. d. Dum conue-
nitis tali modo ad Eucharistiam & cœnam Christi
Domini , iam vestra cœna non est cœna Domini-
nica , vti esse solebat ; & vestrum manducare , iam
non est Dominicam cœnam manducare , vti olim
erat ; non instituitis cœnam Domini (qui omnes
Apostolos , quin & Iudam cœnæ suæ sobriæ &
piæ adhibuit) sed Bacchi aut Martis . Conueni-
tis enim ad vos inebriandum , & pauperes ex-
cludendum : itaque quilibet in se ebrius , in pau-
peres vero violentus est . ita Anselm . Chrysost.
Theoph.*

Vnus-

Vnusquisque enim suam cœnam præsumit] S. Au-
gust. epist. 118. Præsumit, inquit, hoc est, sumit
ante Synaxim. Hoc enim propriè est præsumere:
& quia ad hanc præsumptionem tollendam, iubet
versu 33. vt inuicem sese exspectent, scilicet in
cœna ante S. Synaxin. Nam in ipsa sacra Synaxi,
vel post eam, non videtur opus fuisse exspectatio-
ne, cum ea non celebraretur, nisi postquam om-
nies conuenissent, eamque promiscue sumebant
pauperes misti diuitibus.

VER. 21.

Vbi Nota. tempore Pauli, Christiani ut limita-
rentur Christum (qui post cœnam agni, & com-
munem Eucharistiam instituit) ante cœnam Eu-
charisticam, instituebant cœnam communem
omnibus Christianis, tam pauperibus, quam di-
uitibus, idque in mutuae Christianæ charitatis
symbolum. Perdurauit hic mos in nonnullis
Ecclesiis per multa sœcula: nam Sozomeni adhuc
tempore, vt ipse narrat lib. 7. historiar. cap. 29.
in Aegypto, multis urbibus & pagis, sumpta cœ-
na vulgari, exemplo Christi, celebrabant & su-
mebant S. Synaxin. Idem de aliis quibusdam Ec-
clesiis indicat Conciliū Carthaginens. 3. can. 29.
Hunc morem, vbi & quamdiu permisus fuit,
non taxat hic Apostolus, sed eius abusum, in iis
qui in hac coena se inebrabant, sinentes alios
pauperiores esurire. hoc enim taxans subdit: *Et*
alius quidem esurit, alius autem ebrius est. &, Qui
*māducat indignè, hoc est, in peccato mortali ebrie-
tatis, & contemptus pauperum, reuerterit corporis &*
sanguinis Domini. Rursum concludens v. 33. Itaque
fratres, inquit, cum conuenitis ad manducandum, in-
uicem exspectate: si quis esurit, domi manducet, vt non
in iudicium conueniatis. Scilicet, dum conuenitis, vt

Cœna
Domini
præcessit
institu-
tionem
Eucha-
ristie.

cœnam Dominicam, siue Eucharisticam manducetis, ut dixit v. 26. Ergo loquitur de cœnentu qui fiebat ante, non autem post cœnam Eucharisticam. Licet paulò post prima hæc Ecclesiæ tempora, scilicet cum Ecclesia sanxit, ut Eucharistia ob reuerentiam, non nisi à iejunis sumeretur, post Eucharistiam celebrata sit hæc agape; ut patet ex Tertulliano & Chrysostomo, & ex Augustino, epist. 118. Græco vocabulo *Agapæ*, id est charitates, appellabantur, velut quædam fraternæ dilectionis symbola.

Præsumit ad manducandum] præsumit manducare, vel præsumit manducando, scilicet suam cœnam.

Et alijs quidem esurit, alijs autem ebrios est] Esuriebant pauperes, quod nihil attulissent, & à diuitiis negligerentur: illis interim laute epulantibus, & tam cibo quam potu replentibus sese supra modum.

VER. 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis: & confunditis eos, pudore afficitis pauperes, qui non habent?*] Sensus: Si cœnam non vultis facere communem, sed priuatam; cur non in suis quisque priuatæ ædibus comeditis & bibitis? illic enim locus est priuatæ refæctionis. An sacrum illum cœtum Christianorum, qui vocatur Ecclesia Dei, quia conuocata à Deo, despiciatis ac vilem habetis? per hoc nimirum, quia vacatis in eo commissationi & ebrietati, nam ea res conuentum illum non mediocriter dehonestabat.

Et confunditis eos qui non habent?] eos, inquit, qui nihil attulerunt, eò quod non habebant quod conferant, pudore & probro afficitis coram tota

Eccle

Ecclesia: dum vobis epulantibus coguntur esuri-
re. Hoc enim erat pudorem illis ingerere, & ino-
piam quodammodo exprobrare.

Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.] Di-
xi, inquit, me vos laudare, quod per omnia mei
sitis memores, & sicut tradidi vobis præcepta
mea teneatis. verum in eo nunc cogor exceptio-
nem facere. Nam in cœna Dominicâ & celebra-
tione misteriorum traditionem meam malè ser-
uatis, ideoque hac in re non laude, sed represen-
tatione digni estis.

Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis]
non scripto, ut pater, sed viua voce. Nota hunc
locum pro traditionibus, quas orthodoxi verbō
Dei scripto adiungendas dōcent. Sed iam quæ-
res, quomodo hæc Pauli narratio cohæreat cum
præcedentibus. Verum certa ex ipso Paulo com-
memoratae huius institutionis ratio colligitur.
Etenim Corinthij cœnam Dominicam ita age-
bant, ut contra dignitatem ac reuerentiam sacro-
rum misteriorum, quorūm celebratio cœnam illi-
lam continuò sequebatur, grauissimè peccarent:
ut qui ad ea participanda protinus indigni veni-
rent, post epulas, crapulam & ebrietatem, postque
pauperum iniuriam, & contemptum Ecclesiæ Dei.
Id ostendere volens Apostolus, & tam grande pec-
catum corrigere; commemorat institutionem Sa-
cramenti, ex qua nimis intelligatur mysterio-
rum magnitudo, simul & peccati grauitas eorum
à quibus illa tam indignè tractata fuissent. *Ego*
enim, inquit, accepi, id est, edoctus sum à Christo
Dominō. à Domino sentit accepisse se, immediatè
scilicet per reuelationem, quomodo dicit ad Gal.
1. de suo Euangelio: Neque enim ego ab homine

VERS. 23
Vis & rite
ritus tra-
ditionis.

accepi illud, neque didici; sed per reuelationem
Iesu Christi.

*Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur,
a Iuda & Iudeis in mortem & crucem, accepit pa-
nem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & man-
ducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur]*
Nota hic quinque actiones Christi. Primò, Chri-
stus accepit panem. Secundò, gratias egit Patri,
Tertiò, panem benedixit: ut habet S. Matth. c. 26.
Quartò, panem fregit. Quintò porrexit, & inter
porrigendum dixit: *Accipite & manducate: hoc est
corpus meum.* Hæc enim verba tam porrigentis
sunt, quam consecrantis. S. Ioannes ait c. 13. Cùm
dilexisset suos qui erant in mundo, usque in fi-
nem dilexit eos, qui, ut canit S. Thomas,

*Se nascens dedit sōcium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.*

Vt non solum ipse Christus panem consecraverit
in corpus suum; verum etiam ex eius institutio-
ne id faciant ad hodiernum usque diem, sacerdo-
tes eius ministri.

Quod pro vobis tradetur] scilicet in mortem.
Bellarm. lib. de Missa c. 12. In Eucharistia, inquit,
corpus Christi frangitur, id est, diuiditur & de-
struitur, dum scilicet sub distinctis & diuer-
sis speciebus panis & vini Deo immolatur, su-
mitur, ut Christum passum & occisum repre-
sentet. Hinc Chrys. Fractio, inquit, corporis in
Sacramento significatio est passionis & fractionis
in cruce.

Hoc facite in meam commemorationem] Quod ego
nunc facio, quodque vos me iubente nunc facitis,
id

id ego deinceps à vobis & successoribus vestris
cæterisque fidelibus fieri volo: idque in mei com-
memorationem, id est recolentibus memoriam
passionis & mortis meæ pro vobis.

Similiter & calicem (accepit Christus) post- VER. 25.
quam canauit, dicens : *Hic calix nouum testamentum
est in meo sanguine]* q.d. Hic calix est instrumen-
tum authenticum, & quasi charta, in qua scri-
ptum & consignatum est nouum testamentum,
id est sancitum est nouum fœdus, nouaque pro-
missio diuina, & ultima voluntas mea consignata
est, de æterna hæreditate vobis danda, si credatis,
& obediatis : scriptum est, inquam, non litteris
atramenti, sed in sanguine meo, quem continet
hic calix, sicut charta continet scripturam testa-
menti. Est igitur sensus istiusmodi : Id quod hoc
poculo continetur, est sanguis meus, in quo, id
est, per quem, nouum testamentum sanctitur &
confirmatur. Vocatur autem nouum testamen-
tum ea promissio, qua Deus spiritualia bona, id
est fidem, spem, charitatem, veniam peccato-
rum, legis obedientiam, perseverantiam, &
vitam æternam electis suis se daturum pro-
misit.

*Hoc facite, quod ego iam feci, nimirum con-
secate, offerte in sacrificium, sumite, distribuite
Eucharistiam, ut ego consecraui obtuli, sumpsi,
distribui. Vnde hic Apostoli ordinati sunt sacer-
dotes. ita Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. ex Ecclesiæ
perpetuo consensu. Quotiescumque bibetis, in meam
commemorationem] ad recolendam memoriam
passionis & mortis meæ.*

*Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, VER. 26.
& calicem bibetis, mortem Domini annunciatibitis]*

Sanguis
Christi
est nouū
testamē-
tum, quo
sensu.

Nouum
testamē-
tū quod
dicatur.

Vbi &
quando
Apostoli
ordinati
sunt sa-
cerdotes.

tum verbo (hinc in Canone Missæ dicitur : *Vnde & nos memores tam beatæ passionis*) tum potius factis & rebus, repræsentabitis nō tam vobis quam populo mortem Christi. Ita Anselmus, Theoph. Ambros. Pro annuciabitis, Syrus vertit, in memoriam reuocabitis. Annuciare mortem Domini est mortis ac totius passionis eius pro nobis susceptæ gratam memoriam recolere.

Nota. mortem suam præ vitæ suæ gestis aliis iubet Christus annunciarci, quia morte consummatū est Christi testamentum, & ultima voluntas ac redemptio nostra, & extremus Christi in nos amor, quo pro nobis mortem subiit, quorum omnium memoriale est Eucharistia.

Donec, inquit, ipse veniat] nempe. gloriosus ad iudicium. Vbi intelligi datur, ait Thomas, quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi.

VER. 27. Itaque quicunque manduauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini] violati nimirum, indignè sumpti, & tractati, ut à Iuda & Iudeis tractatus fuit. ita Photius, Theophylactus, & Chrysost. Sicut enim Regi grauem iniuriam facit, qui eius mensæ accumbit, retinens hostilitatem contra eum in animo; sic & qui cum peccato mortali accumbit mensæ Christi; & longè magis, qui ipsum Christum manducat, & in corde hostili recipit. ita Basilius serm. 2. de baptismo, cap. 3. Hinc patet, in Eucharistia verum esse Christi corpus: non enim de nudo signo verum est, quod qui illud indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini.

VER. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.] Probet, hoc est, se examinet, num aptus sit,

& di

& dignè dispositus ad tanta mysteria, atque ad ea
decenter & congruè se purget & præparet, non
vt examinet an habeat fidem: (illam enim præ-
supponitur habere; loquitur enim Apostolus de
fidelibus Corinthiis) sed an sibi sit conscius ali-
cuī peccati, maximè mortalis, v.g. ebrietatis ac
superbiæ, vt dixit v. 21. illudque purget contri-
tione & confessione.

*Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi
manducat & bibit. ac si dicat: Talis rearum damnationis incurrit, non ex natura mysteriorum quæ
viuifica sunt, ait Theophylactus, id est gratiæ &
salutis per se efficacia; sed per suam indignita-
tem. Iudicium, id est damnationem, ait Chrysost.
non diiudicans corpus Domini] sed eo tanquam
promiscuo, communi & indifferenti cibo vtens.
ita Photius & Anselmus. Nam, vt ait S. Iustinus
in orat. ad Anton. Pium Imp. *Nos Christiani Eu-
charistiam non vt communem cibum sumimus, sed cre-
dimus quod sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus
est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia
fiat, & sit caro & sanguis Christi.**

Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles.] Sic VER. 30.
hodie, ait Anselm. multi post pascha variis mor-
bis corripiuntur, quia indignè corpus Domini
aceperunt.

*Et dormiunt multi] præmaturè moriuntur, vel
potius mortui sunt (ob indignè, & sine proba-
tione sumptam Eucharistiam) & in morte quies-
cunt. Hi enim propriè dormire dicuntur. sic An-
selmus, & Chrysost. Imò ab hoc peccatum ve-
xabantur à dæmone. testis est S. Chrysost. in 1.
ad Timoth. hom. 5.*

*Quod si nos metipos diiudicaremus, probaremus, VER. 31.
exami*

examinaremus, discuteremus, ut si quid peccati inueniamus, illud contritione & confessione expiatus. ita sensus est: quod si nos metiplos examinaremus, id est probaremus, ac non nisi probati mensam illam sacram accederemus, non utique iudicaremur] id est, puniremur a Deo ob indignam corporis & sanguinis Dominici sumptuationem. Græcè, si nos ipsos iudicassemus, non utique iudicati, id est, per iudicium Dei morbis & morte puniti fuissimus.

VER. 32. *Dum iudicamur autem (dum scilicet punimur in praesenti vita per morbos & mortem) a Dominō corripimur, ut non cum hoc mundo, id est infidelibus & peccatoribus mundi, damnemur] sed ut hac Dei castigatione admoniti, per paenitentiam peccatum hoc indignæ communionis expiatus, itaque saluemur.*

VER. 33. *Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate] id est, ad celebrandam cænam Dominicam, de qua supra.*

VER. 34. *Si quis esurit, domi manduceret.] Hinc deducitur moris tum fuisse, ut communicaturi toto eo die ieunarent usque ad cænam communem: ideo enim esurientes ad eam venisse ait Apostolus. Sensus est: Si quis non potest tam diu ieunus in Ecclesia permanere, donec omnes conuenerint, prius domi comedat, aut certè prægustet aliquid, ne sit ei molestum exspectare communem cænam.*

Vt non in iudicium, puta in condemnationem, ob superbiam, gulam, ebrietatem, inobedientiam conueniatis.

Cetera autem, cum venero, disponam] id est, ordinabo, constituant, ac sigillatim præscribam,

Cetera,

Cetera, nimirum quæ spectant ad dignam & honestam Eucharistiæ celebrationem. Est hic locus illustris pro traditionibus Ecclesiasticis. vide S. August. epist. 118, Talis ait Aug. traditio est, ut Eucharistia sumatur à ieiunis, cum tamen Christus post canam eam instituerit.

Traditiones
Ecclesia
sancte
Paulus.

C A P V T XII.

S V M M A R I V M.

Ostendit eiusdem Spiritus sancti varia esse dona, diuersis Ecclesiæ membris ad communem utilitatem attributa: exhibita similitudine corporis humani, in quo diuersa membra diuersis officiis sunt deputata, sic ut alia aliorum operâ adiuuentur.

De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres] VER. 1:
Id est, de charismatis quibus ditati estis, ut initio epistolæ dixi, volo vos instruere. Vocat ea spiritualia ab auctore Spiritu sancto.

Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulachra muta, prout (quædam mancipia) ducebamini (à consuetudine, institutione maiorum, & sacrificiolorum, atque à dæmonis impulsu.) eumes.] Id est, ibatis.

Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu] in Spiritu, id est, per Spiritum. Sensus est: Quod cùm ita sit, imprimis scire vos volo, quòd nullus per Spiritum Dei loquens,

quens Iesum vocat anathema, id est, Iesum execratur, Iesu maledicit, interitum ei & exterminationem imprecatur: sed potius talis Iesum agnoscit & inuocat, quasi auctorem gratiae, salutis, omniumque donorum spiritualium. Hoc à Paulo dicitur propter Iudeos, qui de spiritu Dei gloriantes, Iesu tamen maledicebant: atque eum non solum Christum negabant, sed etiam dicebant anathema. Ita Caietanus.

Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.] Dicere dominum Iesum, id est, agnoscere, credere, inuocare, & prædicare nomen Domini Iesu, eiusque fidem profiteri, scilicet Iesum, esse Dominum nostrum, profiteri inquam, & inuocare ut oportet, & ut proficuum est ad salutem. hoc facere nemo potest, nisi in Spiritu sancto, id est nisi per Spiritum sanctum. fides enim, spes, & oratio sunt dona Spiritus sancti, quasi dicat: Hæc dona adeò non sunt vestra, sed Spiritus sancti, ut nec Iesum agnoscere & inuocare ex vobis meti ipsi possitis: sed agnitus hæc & inuocatio sit Spiritus S. donum.

VER. 4.

Divisionses vero gratiarum sunt. gratiae divisiones sunt per Ecclesiam, hæc vni, illa alteri datur & diuiditur. *idem autem Spiritus]* id est, unus idemque Spiritus sanctus est, qui ea omnia largitur: cuius & dona vocantur.

VER. 5.

Et divisiones ministracionum sunt. Græce, ministeriorum. ministeria quoque, inquit, varie distributa sunt per Ecclesiam.

VER. 6.

Idem autem Dominus] scilicet Iesus Christus, à quo ut Deo, & per quem ut hominem, illa omnia conferuntur.

Et divisiones operationum sunt] operationes item, hoc

hoc est operandi facultates & impetus multifariam per Ecclesiam distributi sunt.

Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.] Pro operatur S. Hilarius lib 8. de Trinitate legit inoperatur. significat intimam praesentiam, vim, & efficaciam, qua Deus intime omnia operatur, maximè miracula, & dona gratuita: de his enim agit toto capite Paulus.

Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.] Hilarius legit, ad id quod utile est. Hieronymus, ad id quod expedit. Sensus est: Cuicunque datur aliquod huiusmodi donorum, per quod manifestatur eum accepisse Spiritum sanctum. datur, inquam ad utilitatem, non propriam, sed totius Ecclesiæ.

Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientia] VER. 8. facultas scilicet explicandi sapientiam, id est altissima mysteria Trinitatis, incarnationis, prædestinationis, vt explicat cap. 13.

Alij autem sermo scientia secundum eundem Spiritum] vt scilicet explicit quæ ad agenda, moralia que pertinent. ita sapientiam à scientia distinguit. S. August. Alij scientiam intelligunt, qua res fidei per exempla, comparationes, rationes humanas, & Philosophicas explicantur.

Alierifides in eodem spiritu.] Fides hic, est intelligentia magna mysteriorum fidei ad ea contemplandum & explicandum: sic enim ad Rom. 12. dicit Prophetas habere prophetiam, & debere prophetare, hoc est, docere secundum rationem fidei, id est, iuxta mensuram intelligentiae rerum fidei sibi à Deo datam.

Alij gratia sanitarum in uno spiritu.] per unum & eundem Spiritum S. charismata sanacionum vocat

vocat Apostolus, dona curandi languores & ægritudines corporales : siue id fiat impositione manuum, quæ est oratio super hominem, S. August. teste lib. 3. de baptismo, cap. 16. ita promittit Dominus Marci 16. Super agros manus imponent, & bene habebunt.

Alij operatio virtutum.] Qualia sunt excitare mortuos, dæmones eiicere, punire incredulos & impios per miraculum, vti S. Petrus Ananiam & Saphiram miraculosa morte puniuit, Act. 5. ita Chrysost. & Ambrosius, & sic distinguitur operatio virtutum à gratia sanitatum.

Alij prophetia] id est, donum futura prædicendi, vel Scripturas, præsertim propheticas, explicandi. quod utrumque generali nomine reuelationis arcanorum, comprehendendi potest.

Alij discretio spirituum] cogitationum scilicet & intentionum cordis, & consequenter actionum & sermonum; vt sciat an à naturæ, an à dæmonis, an à Dei vel Angeli spiritu & instinctu profiscantur. ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselm. Tale donum habuit S. Hilarion teste S. Hieronymo in eius vita.

Alij genera linguarum] id est, donum loquendi variis linguis. quod quidem in Ecclesia primitia fuit admodum frequens: vt in Actis Apostolorum manifestum est.

Alij interpretatio sermonum] obscuriorum, maximè sacræ Scripturæ. Hinc olim in Ecclesia interpretes erant, quorum officium erat interpretari primò, eos qui in cœtu Ecclesiæ ex dono linguarum peregrina prophetabant, vel hymnos canebant. Secundò, illos qui obscura & alta mysteria afflati Spiritu sancto eructabant. Tertiò, epistolas

Discre-
tio spiri-
tuum
quid sit.

epistolas sancti Pauli & aliorum ad plebem suam missas publicè exponere. Quartò , eas vertere in alias linguis, sic multi censent S. Clementem epistolā ad Hebræos, ex hebræo in græcum vertisse.

Hec autem omnia operatur unus atque idem spiritus] Solum nominat Spiritum sanctum, qui in diuinis amor est:cui proinde bonitas,& ex ea fluens distributio donorum Dei congruenter appropriatur.

VERS. II

Dividens singulis, id est, dividens unicum priuatum, peculiariter, propriè ; vel potius propria, scilicet cuique, dona & charismata. Ita sanctus Hieron. prout vult] scilicet ipse Spiritus. prout vult, id est, pro sua ipsius voluntate, quam cum Patre Filiōque communem habet, vt diuina dona dispenset ac distribuat in homines.

Sicut enim corpus, naturale & animale, puta hominis, unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita & Christus] unum scilicet corpus habet, puta Ecclesiam, cuius varia sunt membra, & ipse est caput. Caput & corpus dicitur Christus, propter ineffabilem unitatem capitum & membrorum. huius ergo totius corporis caput Christus est: membra omnes fideles, una cum Christo capite, corpus hoc mysticum constituentes.

VERS. 1A

Etenim in uno Spiritu, per unum eundemque Spiritum sanctum, omnes nos in unum corpus baptizati sumus] Docet Apostolus, quando & quomodo fideles facti sint unum corpus: videlicet in baptismo, per quem insiti sunt Christo, & facti membra corporis illius, in quo Christus est caput. *In unum corpus, scilicet Christi mysticum, quod est Ecclesia, ac consequenter in ipsum Christum, qui, uti*

VERS. 1B

iam dixit, est quasi corpus totius Ecclesiae. Baptizati, id est baptismo incorporati sumus.

Sine Iudei, sine Gentiles, sine serui, sine liberi] Seruos anteposuit liberis, ut innueret in Christo nihil inter hos esse discriminis: secundum id quod ait de iis qui sunt in Christo Iesu. Gal. 3. non est seruus, neque liber.

Et omnes in uno Spiritu potati sumus] scilicet in calice Eucharistiae unum Christi Spiritum cum sanguine hausimus. Vnde Graeca quædam habent: *omnes uno potu potati sumus*, ut scilicet unum eundemque ex eo Christi Spiritum participemus, qui per omnia permeans singula membra vivificat, & suis functionibus reddit idonea. q.d. Non tantum nati sumus, & quasi membra inserti in idem corpus iam dictum; sed & eodem alimento vtimur, scilicet carne & sanguine Christi in Eucharistia. nam ex una specie Eucharistiae, scilicet vini, alteram panis, id est, ex potu cibum intelligit; vti è contrario ex panis specie vini speciem intelligit c. 16.v.17. ita Chrysost. & pulchre Caiet. hic.

VERS. 14 *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa.*

VERS. 15 *Sidixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?]* q.d. minimè. Insinuat Apostolus istiusmodi querelas fuisse inter Corinthios, propter donorum & ministeriorum disparitatem.

VERS. 16 *Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore?]* Per aures & oculum quæ sunt sensuum instrumenta, possunt intelligi, qui in Ecclesia vacant actionibus vitae contemplatiæ. Quo in genere Doctores sunt ut oculi, discipuli ut aures: quemadmodum explicat Thomas, &c.

Si totum corpus oculus: vbi auditus? si totum audi- VERS.17
rus: vbi odoratus? id est, si totum auris, vbi nares? sic
igitur & in corpore mystico, &c.

Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque VERS.18
eorum in corpore sicut voluit] at verò Deus huma-
num corpus sic instituit, ut esset compositum ex
variis membris situ & officio distinctis.

Quod si essent omnia unum membrum, vbi corpus?] VERS.19
intellige corpus organicum.

Nunc autem multa quidem membra, unum autem VERS.20
corpus] sic igitur & in Ecclesia.

Non potest autē oculus dicere manu: Opera tua non VER.21.
indigeo; aut iterū caput pedibus: Nō es tibi necessarij.

Sed multo magis quæ videntur membra corporis VERS.22.
infirmiora esse, necessaria sunt] Per membra infirmio-
ra accipiunt ventrem & ventre contenta. Venter
enim quasi culina & nutrix totius corporis, quæ
singulis membris cibum concoquit & dispergit,
maximè necessarius est vitæ & corpori.

Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, VERS.23
his honorem abundantiorem circumdamus] Membra
ignobiliora sunt pedes, ait Chrysost. his honorem
abundantiores circumdamus, id est, diligenter eos
custodimus, vestimus, calceamus elegantibus cre-
pidis, calceis, vel ocreis eos ornamus & commu-
nimus, ne in saxa impingant, ne incedendo læ-
dantur, ne nimio frigore vel humore aliquam in-
temperiem noxiā, quæ in stomachum & caput
redundet, contrahant.

Et quæ inhonestā sunt nostra, abundantiores hone-
statem habent] inhonestā intelligit verenda. ita S.
Chrysost. Ambros. & Theoph. Vocantur, ait S.
Augustin. libr. 2. retract. 7. verenda inhonestā,
non ex naturæ prima institutione, sed quia post

peccatum in iis maximè regnat concupiscentia, quæ legi mentis repugnat, ideoque homini pudenda est: pudet enim hominem quasi dominum, quod membrum hoc ita sibi sentiat rebelle. Hæc abundantiores honorem habent, id est, hæc diligenter & honestius tegimus atque vestimus, ut etiam si quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari non patiatur. ait Theophylactus.

VERS. 24 *Honestæ autem nostra, puta oculi, facies, manus, quæ sunt membra honestiora & nobiliora corporis, nullius egeni] quia per se satis decoris & honoris habent.*

Sed Deus temperauit corpus ei, cui deerat, abundantiores tribuendo honorem] maiorem scilicet custodiā, curā, amictū, ornatum.

VERS. 25 *Vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem sollicita sint membra] Sic igitur & in corpore mystico fieri oportet.*

VERS. 26 *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra] compatiuntur (ut sic membrum patiens dolore leuetur) non per communiorē clavis, sed per solarium charitatis, ait S. August. epist. 133. Compantiuntur autem Beati nostris malis, non doloris affectu, sed amoris: quatenus ex charitate student à nobis, ut communibus membris, et si longè infra se positis, auertere & profligare mala quæ patimur.*

Sine gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra] Gloriatur gloria afficitur; græcè, glorificatur. Syrus, exultat unum membrum, congaudent omnia membra. Cyprianus epist. 12. & 52. ita legit: Et si lætatur unum membrum, collætantur & cætera membra.

VERS. 2. *Vos autem etsi corpus Christi, & membra de membro]*

bro] Vos, id est Ecclesia, in qua volo omnia quæ de corpore naturali dixi, per similitudinem intelligi & compleri. Estis membra de membro, id est membra membrorum, hoc est commembra, compartes. q. d. Estis confratres eiusdem societatis & corporis mystici, scilicet Ecclesiae. ita Chrysostomus. singuli alter alterius membra, id est, membra inuicem connexa & dependentia. quasi dicat Paulus, Estis, ô Corinthi, membra eiusdem corporis Christi, puta Ecclesiae; ergo non sint schismata inter vos, unus alium non spernat, non inuidet, non doleat, sed iuuet, amet, gaudeat; quisque suo loco, gradu, officio sit contentus: quia sic particeps erit non tantum sui boni, sed & aliorum: sicut pes ambulat pro oculo, &c.

*Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, pri-
vers. 28
mum Apostolos, ut caput. secundo Prophetas, ut oculi.
tertio Doctores, ut linguam. deinde virtutes] Græ-
cè, potestates, hoc est, miraculorum operatores: hi
sunt quasi manus Ecclesiae. Virtutes hîc ad perso-
nas referri, perspicuum est ex eo quod postea re-
petens dicit: Nunquid omnes virtutes? obserua gra-
tiam miraculorum ab Apostolo postponi prophe-
tiæ & doctrinæ.*

*Exinde gratias curationum] curatores scilicet
morborum.*

*Opitulationes] qui aliis opitulantur, exercént-
que circa ægros, pauperes, miseros, peregrinos &
hospites opera misericordiæ.*

*Gubernationes] qui præsunt gubernationi rerum
temporalium, quas fideles offerebant Ecclesia. Hi
enim vltimi sunt quasi pedes in corpore Christi,
scilicet Ecclesia. Tales fuerunt diaconi electi ab
Apostolis, ut viduis & mensis præsenter, A. C. 6.*

Genera linguarum] id est , donum loquendi di-
uerso generæ linguae.

Interpretationes sermonum] sensum autem repe-
te ex superiore versu 10.

VERS. 29 *Nunquid omnes Apostoli*? quasi dicat, minimè:
nunquid omnes Prophetæ? eadem respōsio negatiua.

VERS. 30 *nunquid omnes Doctores*? *nūquid omnes virtutes*? *nun-*
quid omnes gratiam habent curationum] *Gratiam*, grē-
cē dona, ut legitur in commentario Ambros.

Nunquid omnes linguis loquuntur?] Hæc inter-
rogatio post alias posita , Corinthiorum increpa-
tio est; qui volebant omnes loqui linguis.

Nunquid omnes interpretantur?] subaudi lin-
guas. Sentit enim Apostolus , nec omnes quidem
eos qui loquuntur linguis , posse interpretari
quod loquuntur.

VERS. 31. *Emulamini autem charismata meliora*] Græcē
præstaniora, id est, ad Ecclesiam iuuandam vtilio-
ra : cùm alioqui in spiritualibus ea maiora dicantur,
quæ sunt meliora. Sensus est: Quoniam æmu-
lamini charismata , quod non prohibeo , studere
consequi meliora, id est Ecclesiæ Dei vtiliora. Si
æmulamini meliora, ecce ostendo vobis viam ex-
cellentiorē. ita Chrys. Theophyl. Oecumen.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro]
viam scilicet charitatis , quæ via est ad Deum , ad
vitam & gloriam æternam. In hoc ergo distinguit
Apostolus charitatem à charismatibus ; quod hæc
gratis dantur ad vtilitatem Ecclesiæ, non ad san-
ctificationem eius cui dantur : charitas vero de-
tur ad hoc, vt is qui illam habet, sanctus & gratus
Deo fiat.

C A P V T XIII.

S V M M A R I V M .

Docet non habenti charitatem cætera dona nihil
prodeſſe; virtutes & opera charitatis recenſet:
ipſamque ceteris, eò quòd ex parte ſint, cef-
ſantibus, oſtendit permanſuram: fide etiam
ac ſpe maiorem eſſe.

SI linguis hominum loquar & Angelorum] Quo- VERS. 1.
niam Corinthij donum linguarum præ cæte-
ris admirabantur, ſive quia primum hoc Apostoli
acceperant, descendantē ſuper ipſos Spiritu San-
cto, Aet. 2. idecirco Paulus ab eo capit exordium.
Si, inquit, dono linguarum ita polleam, vt om-
nium gentium linguis loquar: imò & Angelorum.
Angelorum ergo h̄ic linguae non ſunt ſenſibiles, Quae ſunt
Angelorum
linguae
vt vult Caietan. ſed intelligibiles, ſcilicet hæ lin-
guæ ſunt ipſi conceptus angelici, perfectissimi &
pulcherrimi.

Angelorum lingua id eſt, elegantissima lingua.
ſic vulgō dicimus: Diuinè loquitur, vt hoc ſche-
mate sermonis, aliquid humanis linguis excellen-
tiū ſignificaret.

*Charitatem autem non habeam, factus sum ut' ut
as ſonans aut cymbalum tinniens*] inconditum &
confuſum ſonum edens. q.d. ſonans alala, alala. ſic
Appion Grammaticus ob garrulitatēm dictus eſt
cymbalum orbis.

*Et ſi habuero prophetiam, id eſt donum prophe- VERS. 2.
tiæ, & nouerim mysteria omnia, & omnem ſcienſiam,*

id est omnium scientiam , scilicet eorum ad quæ
scientiæ donum extenditur . & si habuero omnem
fidem , ita ut montes transferam , charitatem autem non
habuero , nihil sum] Sensus est : Si fidem habeam ad-
eò perfectam , vt per eam miracula faciam etiam
maxima , factuque difficillima ; quale est , homi-
num opinione , montem loco dimouere , & aliò
transferre . Perfectam autem fidem dico , non à
charitate , quam formatam fidem vocant Theo-
logi : sed ab illustratione intellectus circa ea quæ
creduntur & promissa sunt , cum fiducia impe-
trandi quod petitur . q.d. Sine charitate nihil pro-
deft , nihil facit amicitiam cum Deo , nihil est quod
homini conciliet iustitiam & salutem , ne fides
quidem maxima & excellentissima , quæ montes
transferat .

Nihil sum] id est , nullius sum pretij apud Deum ;
nihil istorum me Deo commendat .

VERS. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*] Adduxit pro exemplo operis in speciem
valdè præclari : quia magni solet hoc æstimari ab
hominibus sicut & id quod sequitur .

*Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam , chari-
tatem autem non habuero , nihil mihi prodeft]* Sensus
Apostoli hic erit : Martyrium nihil prodeft , nisi
vel antecedat , vel sequatur , vel adsit charitas , siue
vt principiū , siue vt terminus & effectus marty-
rij . ita Caietanus & Franciscus Suarez . quasi di-
cat , ait Anselmus , Sine charitate nihil licet excellens ,
prodeft ; cum charitate vero omnia , licet
vilia , prosunt , siuintque aurea & diuina . *Nihil mihi
prodeft* , non iuuor , non capio utilitatem (scilicet
vt iustificer & saluer) ita Syrus . Docet ergo , non
solum charismata quæ propriè non sunt virtutes ,
quibus

quibus homo bonus efficitur; sed & opera virtutum quantumuis speciosa, ac suo genere præclara & ardua, nihil homini ad salutem prodesse, si desit charitas illa quæ præstat ut Dei gloria quæatur imprimis & salus proximorum. Adde charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. sic Augustin. serm. 50. de verbis Domini, cap. 1. Martyrium ipsum, si idè fiat, ut admirationi & laudi habeamur à fratribus; frustra sanguis effusus est. Hieron. in Comment. ep. ad Gal. 5.

Charitas patiens est, benigna est] Ambros. legit, Charitas magnanima est. Charitas patiens est, non formaliter, sed causaliter, quia parit patientiam & benignitatem: quia patientia æquè ac benignitas non est actus elicitus, sed imperatus à charitate.

Charitas non emulatur] Græcè, non zelat, hoc est, non inuidet. nam emulatio, dum in vizio ponitur, inuidia est; præsertim ubi quis dolet alteri obtigisse quod ipse concupiebat, & non obtinuit.

Non agit perperam] peruersè, procaciter, malitiosè.

Non inflatur] id est, per charitatem nemo super alios superbè se extollit, aut alios infra se despicit, ut solent homines magnis donis prædicti, si charitate destituantur.

Non est ambitiosa] non pudebit charitas, quia nihil nullumque decus ambit. non reputat sibi pudori, quod fratribus sese submittat, aut abiectum & humile aliquid vel agat vel patiatur: quomodo Christus ad pedes discipulorum lauandos se demisit, & crucis ignominiam sustinuit.

VER. 4.
Patiens
est cha-
ritas,
quia pa-
rit patien-
tiam.

Non querit quæ sua sunt.] Ad quærendum quæ sua sunt, impellit amor sui, quæ est vitiosa cupiditas.

Non irritatur] hoc est, non facile concitatatur ad iram, sed tolerans est iniuriarum.

Non cogitat malum] non reputat aut non imputat cuiquam malum. Si laceſſitur ab aliquo charitas, non æſtimat iniuriam, nec petit vindictam, sed diſſimulat, excusat, ignoscit.

VER. 6. *Non gaudet super iniquitate]* non gaudet si quis malum quid, & iniustum faciat.

Congaudet autem veritati] q. d. Charitas cùm proximos videt iuste & recte viuere, ac proficere, non inuidet, sed quasi de augmento proprij profectus gaudet & hilarescit. ait ex Sanct. Gregorio Anſelm. Veritas ergo hīc est æquitas, probitas, & iustitia.

VER. 7. *Omnia suffert]* instar trabis quæ impositum onus sustinet: vel potius instar palmae, quæ non succumbit oneri suo, sed magis instar fornicis erigitur.

Omnia credit] q.d. Charitas facit cuncta credenda credere, cuncta speranda sperare, & per patientiam exspectare. Charitas omnia credit non hominibus, sed Deo: non est tarda ad credendum omnia quæ credenda diuinitus traduntur. Nam hominibus omnia credere leuitatis est, non charitatis. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax, Roman. 3. Sic & Augustinus hanc partem intellexit lib. de spiritu & lit. cap. 32. ita scribens: Ipsa charitas quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo, quia non dictum est, Omnibus credit.

Omnia sperat] à Deo, non ab hominibus: omnia,

nia, inquam, quæ Deus promisit ac speranda pro-
posuit.

Omnia sustinet] patienter exspectat promissa
Dei, quamvis in longum tempus dilata; faciens
quod præcipit Habacuc propheta c. 2. Si moram
fecerit, exspecta eum, & quod Iacobus Aposto-
lus cap. 5. Patientes estote fratres usque ad ad-
uentum Domini.

Charitas nunquam excidit.] Sensus est, ita cha-
ritatem haberi in hoc seculo, ut si quis eam re-
tineat usque ad exitum huius vitæ permansura
cum eo sit in vita futura. Non intermoritur, nun-
quam cessabit, cætera dona in gloria cælesti ces-
sabunt.

Charitas nunquam excidit] scilicet per se, nam
sponte sua nunquam hominem deserit, nisi prius
ab eo per peccatum deseratur. Sin peccas, per
se non excidet charitas, sed per vim eam ipse
eiicies.

Sive prophetia euacuabuntur] quæ quidem om-
nes abolendæ sunt, quia non erit illarum usus
in cælesti patria, ubi omnes clare videbunt Deum,
nihilque remotum à notitia Beatorum erit illis
annunciandum aut exponendum.

Sive lingua cessabunt.] Non dicit linguam ces-
saturam, sed linguas, non enim post resurrectio-
nenem cessabit usus linguae corporeæ, id est locu-
tio sensibilis: sed non erunt ibi genera linguarum,
ac proinde nec donum linguarum. Una ergo re-
manebit lingua quæ omnes utemur in celo, ea-
que futura Hebreæ, qua usus fuit Adam in statu
innocentiae.

Sive scientia destruetur.] Scientia, id est cognitio,
scilicet, ut Chrysost. Theodor. Theophyl. imper-
fecta,

fecta, obscura & ænigmatica, vt ait Paulus v. 12. puta fides & quidquid fide nititur, qualis scientia est Theologica nostra, quæ ex principiis fidei conclusiones deducit: hæc omnis in cælo cessabit. Nam erit ibi alia specie Theologia, vt pote ex visione Dei & principiis euidentissimis euidentissima. ita Caietan. Molina, Vasquez, & alijs initio primæ partis.

Scientia destruenda dicitur, quia donum scientiæ, de quo dictum est cap. superiori, alijs datur sermo scientiæ, non habebit usum ad proximos in futuro sæculo, quando fide in speciem conuersa, perfectè adimplebitur illud Ierem. 31. *Non docebit ultrà vir proximum suum. Omnes enim cognoscunt me à minimo eorum usque ad maximum.*

VERS. 9. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus] Ex parte, hoc est, imperfectè. Syrus vertit, Modicum ex multo cognoscimus; hoc enim modicum & imperfectum, quod partim per scientiam, partim per prophetam cognoscimus, opponit perfecto versu sequenti, id est, perfectæ visioni & cognitioni Dei in se, & omnium in Deo. quia reuera totum quod est Dei & omnia eius attributa & perfectiones in hac vita non cognoscimus, sed soli & omnes Beati illa cognoscunt: idque probat exemplo paruuli, qui vti aetate, ita scientia adolescit; Beati enim scientia sunt quasi viri, cum in ea nos simus pueri.*

VERS. 10. *Cum autem venerit id quod perfectum est, evanescabitur quod ex parte est] imperfecta mutabitur in perfectam, eadem numero permanens. Quantò enim perfectius cognoscetur Deus, tantò magis amabitur & ipse, & in eo omnes electi.*

Cum

Cum essem parvulus] id est puer , qui nunc incipit loqui,cogitare,moliri,conari,studere,ludere,& agere aliquid , vti faciunt nostri parvuli.

Loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus , cogitabam vt parvulus] id est , omnia hæc agebam imperfectè , prout imperfectus in parvulo seu puerō infante est usus rationis. Sapiebam , id est sentiebam. Parvuli enim , id est infantes, non habent sapientiam , sed sensum quasi dicat : Sicut parvulus existens cogitaui & sapui , & sensi ut parvulus , sed factus vir, cogitaui & sapui ut vir: ita, cum venerit quod perfectum est , id est , perfecta in cælo sapientia, euacuabitur partialis & imperfecta scientia , quam in hac vita habemus ; ut qui hic scientia sumus pueri , in cælo eadem simus viri.

Quando autem factus sum vir, euacuavi quæ erant parvuli] atqui vir factus , inquit , aboleui, abieci, ac missas feci istas imperfectiones: & cœpi loqui,sapere, cogitare ut vir. ita nos in hoc sæculo, tanquam in pueritia , de Deo ac mysteriis diuinis loquimur , sapimus , & cogitamus obscure & imperfectè : quia solam de iis habemus fidei cognitionem , quæ per se obscura & imperfecta est. Dum enim sumus in corpore hoc mortali, per fidem ambulamus , & non per speciem, 2. Cor. 5. Similatque verò futuri sæculi statum illum beatum attigerimus; omnem istam loquendi , sapiendi, cogitandi imperfectionem , quam secum trahit notitia fidei , prorsus abiiciemus : fide scilicet in visionem , & spe in apprehensionem commutata.

Videmus (scilicet Deum & diuina, quibus salvi & beati simus, ut patet ex seq.) Nunc per speculum

in enigmate, tunc autem facie ad faciem.] Rem eamdem declarat Apostolus alia similitudine, nempe visionis specularis & obscuræ, collatæ cum visione clara & directa. Videmus igitur nunc tanquam per speculum, & tanquam in ænigmate: quia Deum ac res diuinæ in hoc sæculo cognoscimus admodum imperfectè. Cùm res in speculo repræsentata minùs perfectè videatur, quam si eam directè, & in seipsa contueamur. Imperfectionem adhuc auget quod addit, *in enigmate.*

Quid a- Per hoc enim non solùm obscuritas significatur, sed etiam cognoscendi difficultas. Nam ænigma propriè quæstio est seu propositio, qua sub inuolucris signorum quæritur aut dicitur aliquid: quæ proinde ad coniectandum & explicandum difficilis est. Hic agit de notitia Dei & mysteriorum quam per fidem habemus, pérque eam scientiam quæ inter Spiritus sancti charismata numeratur.

Tunc autem facie ad faciem] subaudi, videbimus. Alludit ad Moysen, de quo dicitur Exod. 33. *Loquens ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* & Num. 12. *Ore ad os loquor ei palam, & non per enigmata & figuratas,* (vti alij Prophetæ) *Dominum videt.* Significatur visio perfecta, qua nimirum videtur res in seipsa, & sicuti est, vt loquitur Ioan. 1. epist. c. 3. id est, non tantum in similitudine, sed per suam ipsius essentiam. Theophylactus appellat notitiam omnino reuelatam.

Nunc cognosco ex parte] imperfectè, vt dixi v. 9. *Ex parte nunc se cognoscere dicit:* non solùm quia pauca cognoscit ex multis, id est, mysteriorum partem aliquam, non omnia mysteria; sed etiam

*Deū vi-
dere per
speculū
quid sit.*

*Quid hoc
loco co-
gnoscere
ex parte.*

etiam quòd ea quæ sibi sunt reuelata, cognoscat imperfectè & obscurè; nimis per fidem, quæ est argumentum non apparentium, Hebr. 11. Quem sensum volunt tam ea quæ proximè præcedunt de speculo & ænigmate, quam hoc quod sequitur, *Sicut & cognitus sum*. Locum hunc Augustinus lib. 12. de Trinitate, cap. 14. ita legit, *Nunc scio ex parte: dicitque sapientiam, qua Deum contemplamur, h̄c vocari scientiam,*

Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum] q.d. Tum in cælo perfectè cognoscam & intuebor Deum sicuti est in sua essentia, & reliqua Dei & fidei mysteria, sicut ipse me nouit & intuetur hoc quod sum per meam essentiam. ita Anselmus, Theoph. Caïtan. Ambros. & Theod. *Cognoscam*, inquit, *sicut & cognitus sum*, id est, sicut notus & familiaris, qui vultum amici clarè intuetur.

*Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hec: VER. 13.
maior autem horum est charitas.] Nunc, id est adhuc,
scilicet in præsenti vita. Clare enim hoc capite
docet Paulus, fidem, spem & charitatem h̄ic ma-
nere, sed in patria solam charitatem.*

*Maior autem horum est charitas.] Eadem sola
nunquam excidit, sed permanet in patria: quando
& fides in visionem, & spes in apprehensionem
commutabuntur.*

C A P.

C A P V T X I V .

S V M M A R I V M .

*Donum linguarum dono prophetie postponit:
adeoque inutile esse, si desit qui interprete-
tur, variis rationibus ostendit. Regulam ac
ordinem prescribit, iis donis utendi in Ec-
clesia. In qua postremo mulieribus silentium
indicit.*

V E R . 1 . *S* E tamen charitatem] quoniam, inquit, chari-
tastam excellens & necessaria virtus est, eam
seculamini, vel, vt Græcè est, persequimini. Significat
ardens studium charitatis; vt eam inseculemur,
perinde vt venator feram insequitur.

Emulamini spiritualia] Sensus, Non prohi-
beo quo minus aspiretis ad charismata; quin
studium ea consequendi facile vobis permitto.
verum id volo vos facere cum iudicio & ex cha-
ritate; non excellendi studio, sed ædificandi.
vti est donum linguarum, gratia sanitatum, &
alia.

Magis autem vt prophetetis] vt scilicet ex affla-
tu Spiritus sancti doceatis, dicatis, vel canatis ea,
quæ alios ad pietatem excitent. Hoc enim est hic
prophetare.

V E R . 2 . *Qui enim loquitur lingua (alia & peregrina) non
hominibus loquitur, sed Deo, qui non solum intel-
ligit verba loquentis, sed etiam inspicit affectum
cordis. quod hominibus non loquatur, probat:
nemo enim audit]* videlicet cum intellectu: id est,
nullus

nullus intelligit ea quæ loquitur, licet ipse spiritu afflatus loquatur subinde alta mysteria, non est enim qui interpretetur.

Spiritu autem loquitur mysteria] Sed quæres, quo spiritu? plerique Spiritum sanctum intelligunt. Alij tam ex antiquis quam ex recentioribus, de spiritu hominis interpretantur: ut per spiritum intelligatur affectus animi, ad quem pertinet deuotio, quem spiritum à mente, id est intelligentia, Paulus in sequentibus aperte distinguit. ita sensus erit: eum qui lingua loquitur occulta quædam, ac sibi non intellecta, loqui cum pio deuotionis affectu quo in Deum sustollitur.

Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem] Ecce quod dixi, prophetare hic est loqui quæc alias ædificant, exhortantur & consolantur: ac proinde præstat prophetare quam loqui linguis peregrinis, vt potest quas nemo intelligit, ut proinde nemo iis instrui, ædificari, vel consolationem aliquam accipere possit.

Qui loquitur lingua, semet ipsum ædificat] id est, VERS. 4. sibi ipsi proficit, vni sibi prodest, quod si semet ipsum ædificat is qui loquitur lingua quam non intelligit; non igitur inutile est aut orare aut laudare Deum verbis non intellectis.

Qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat] qui prophetat, inquit, conuentui fidelium proficit; per hoc nempe quod loquitur ædificationem, exhortationem, consolationem.

Volo autem (hoc est, velim, optarim) omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare, ut scilicet alios ad pietatem excitetis. nam maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte

interpretetur, ex ignota lingua in aliquam notam.
vt Ecclesia adificationem accipiat] ipso videlicet interpretante.

VERS. 6. *Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero? nisi vobis loquar, aut in relatione?] id est, nisi loquar reuelationem, puta expositionem reuelationis mihi factæ.*

Aut in scientia?] id est, ea quæ scio per scientiam, vel à Deo infusam, vel studio partam.

Aui in prophetia?] id est, ea quæ scio per prophetiam, tum propriè dictam, tuim impropriè prophetiam, hoc est, occultorum & obscurorum, maximè sacræ Scripturæ, explicationem.

Aut in doctrina?] scilicet per eam docendo & accommodando meum sermonem ad captum auditorum. sic ferè D. Thom. & Theophil.

VERS. 7. *Tamen quis sine anima sunt vocem dantia. nam & instrumenta animæ expertia, quæ sonum redundunt voci similem. sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint; quomodo sciatur id quod canitur, aut quod citharizatur?] ac si dicat, Nullo modo id intelligi ac discerni poterit.*

VERS. 8. *Etenim si incertam vocem det tuba, haud distinguens ipso sonitu ad quid vocet homines, aut quid agendum moneat. quis parabit se ad bellum?] id est, ad pugnam, ad prælium? vtique nemo, quia sonus tubæ indistinctus non hoc loquitur.*

VERS. 9. *Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis?] id est, qui bene & clarè significet, sermonem vestrum interpretando feceritis intelligibilem.*

Quomodo sciatur id quod dicitur?] id est, quomodo id quod loquimini ab aliis intelligetur? lingua enim

enim est character, imago, index & nuncius
mentis. nam voces sunt notæ earum affectionum,
quæ in anima delitescunt.

Eritis enim in aëra loquentes] Locutionem si-
gnificans inutilem, ut quam nullus intelligit:
sicut aërem verberare, pugnam significat inuti-
lem, & qua non laeditur aduersarius.

Tam multa, utputa, genera linguarum sunt in hoc VERS. 10
mundo] vti varias linguas audire contingit.

Et nihil sine voce est] nihil, id est, nulla lingua-
rum est sine voce. q. d. Multæ sunt linguae, &
quæque suas habet voces.

Si ergo nesciero virtutem, hoc est vim & signi-
ficationem, vocis, ero ei cui loquor, barbarus: &
qui loquitur, mihi, barbarus] frustra sanè quisque
loquitur quacquoque lingua, si non intelligatur:
eritque alter alteri non intelligenti barbarus.

Sic & vos, quoniam emulatores estis spirituum] do-
norum scilicet Spiritus sancti & gratiarum, de
quibus cap. 12.

Ad ædificationem Ecclesia querite, ut abundetis]
q. d. Petite & poscite à Deo hæc dona abundè
vobis donati; sed ita vt iis vtamini, non ad ostend-
tionem, sed ad ædificationem Ecclesia.

Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur] VERS. 13.
quod ea quæ peregrina lingua loquitur, ad alio-
rum intelligentiam proferre possit.

Nam si ore lingua, spiritus meus orat, mens au-
tem mea sine fructu est] Spiritus meus orat, hoc est,
spiritu meo reficior, mens autem mea sine fructu est.
mens hic idem est quod sensus. Aristotel. inquit:
Quis est horum verborum sensus? Apostolus
opponit hic linguam & mentem, sive ver-
bum & sensum. Sensus autem hic idem est quod

intelligentia, non actiua qua scilicet sentiam, hoc est intelligam: sed passiua, scilicet, qua sentiar, id est intelligar ab omnibus. passiuè enim h̄c capitur *sensus*. Hæc ergo mens, id est sensus, significatio & intelligentia linguarum mearum est sine fructu, quia nemo eam capit intelligit, ut inde ad pietatem excitetur.

V E R S . 1 5 *Quid ergo est?*] id est, quid igitur opus ut faciam; sibi respondet verbis sequentibus.

Orare spiritu, vt spiritus meus oratione mea pascatur: *orabo & mente,* id est, orabo sensu & intelligentia, orabo, intelligenter, ut alij me sentire, id est intelligere possint, *psallam spiritu, psallam & mente]* Alludit Paulus ad illud psal. 46. v. 8. *psallit*

Quid sit te sapiens, pro quo hebraicè est, in intelligentia, quod Septuag. vertunt, *psallit intelligenter,* vt nimur vos ipsi intelligatis, & sapiatis ea quæ psallitis, & ut alij qui vos audiunt, ea quæ psallitis intelligent.

V E R S . 1 6 *Ceterum si benedixeris spiritu,* qui supplet locum idiota, quomodo dicet, *Amen,* super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit] Si benedixeris, id est, si Deum laudaris tua lingua & spiritu. Loquitur Paulus de benedictione psalmis & linguis, quas unusquisque ex spiritu proferebat ad communem fidelium ædificationem. *Idiota,* est indoctus, rudis, linguarum expers. ita Chrysostom. Syrus, Theophyl. *Amen,* dictio confirmantis & approbantis est apud Hebreos, latine fiat, verum, firmum ratumque sit. *Amen* in prece vero tantum est optantis. sic in oratione Dominica subiungitur *Amen,* quasi signaculum orationis. ps. 105. Et dicet omnis populus, Fiat, fiat. Hebraicè, amen, amen.

Nam tu quidem bene gratias agis] Nimurum quantum

tenus spiritu, id est, pia animi deuotione id facis,
hoc est quod suprà dixit eum qui loquitur lin-
gua, loqui Deo, & spiritu loqui mysteria, & se-
ipsum ædificare.

Sed alter non ædificatur] id est, proximus tuus
nullum ex verbis tuis percipit fructum, non pro-
mouetur ad salutem.

*Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lin-
gua loquor.]* Omnia vestrum, id est, omnium gen-
tium, quæ vobiscum & inter vos versantur, lin-
guis loquor. quasi dicat Paulus: Non eleuo, nec vi-
tupero donum linguarum, nam & ipse eo vtor,
sed non eo modo, quo vos in Ecclesia ad ostend-
ationem, sed ad ædificationem.

Sed in Ecclesia volo, id est malo, quinque (pau-
cissima) verba sensu meo (id est intelligentia, qua
intelligar) loqui, ut & alios instruam : quam de-
cem millia verborum in lingua] peregrina, quam
audientes non intelligent.

Fratres nolite pueri effici sensibus] q.d. Mente,
iudicio ac ratione nolite effici pueri, ut pueriliter
ostentetis donum vestrum linguarum.

Sed malitia parvuli estote] id est, in malitia esto-
te simplices, ut illa sit vobis incognita quasi in-
fantibus: infantes sitis in malitia. infans qui fari
non potest, multò minis nosse malitiam. sit &
Christianus in malo sit infans, ut illud non norit,
nec de eo fari aut differere possit. verbi gratia, no
sciat quid sit æmulatio, pollutio, fornicatio.
Tertullianus, Repuerascere, inquit, nos Apo-
stolus iubet secundum Deum ut malitia infantes
per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus si-
muss.

Sensibus autem perfecti estote] Sensibus, id est,

Y 3 mente,

mente , animo . sicut estote viris adultis & æta-
te perfectis , sensus habeatis exercitatos ad spiri-
tualem boni malique discretionem.

VER. 21. *In lege scriptum est] Isaiae 28.* Aliquando enim lex vocatur , non solus Pentateuchus , sed & Prophetæ , totumque vetus Testamentum . ita Chrysostomus .

*Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar po-
pulo huic] Sensus : Ego Dominus loquar populo
huic Iudaico , variis & peregrinis linguis scilicet
per Apostolos meos . quod quidem præcipue fuit
impletum in die Pentecostes , Act. 2 . qui aliis lin-
guis non ad irrisionein , sed ad ædificationem lo-
quebantur . Nam qui loquuntur linguis aliis ,
quasi balbi sunt & barbari , non intelligentibus ,
& deridere videntur auditores ; & ipsi vicissim
audientibus habentur ridiculi , imò & insani , vel
etiam temulenti . vnde quidam eorum qui Apo-
stolos audiebant variis loquentes linguis , irri-
dentes dicebant , Quia musto pleni sunt isti , Act. 2 .*

*Et nec sic exaudient me , dicit Dominus] & nec
sic quidem , id est , viso huiusmodi signo quod eis
daturus sum , audient , siue exaudient me , id est
credent , obtemperabunt verbis meis quæ per
Apostolos loquar .*

VER. 22. *Itaque lingua in signum sunt non fidelibus , qui iam
creidunt , sed infidelibus] vt credant .*

VERS. 23. *Prophetia autem , id est , doctrinæ verbi Dei , &
exhortationes , signum sunt non infidelibus , sed fide-
libus] Signum , inquam , benedictionis , qua Deus
suos erudit & benedicit , id est , ad omne bonum in-
citat & promouet .*

*Si ergo conueniat universa Ecclesia in unum , & om-
nes linguis loquantur (simul , mixtum , confusè , & tu-
mul-*

multuariè) intrent autem idiota vel infideles , nonne dicent quod insanitis.

Si autem omnes prophetent] Prophetare accipitur VERS. 24
pro eo quod est ex inspiratione diuina proferre
quædam occulta, præsertim pertinentia ad expli-
cationem Scripturarum ; atque ex iis auditores
instruere.

Intret autem quis infidelis , vel idiota , conuincitur
ab omnibus , diiudicatur ab omnibus] quia nimis
ab omnibus Prophetis , id est doctribus & con-
cionatoribus , de sua infidelitate , malis moribus &
vitiis arguitur & increpatur .

Occulta cordis eius manifesta fiunt] dum sic apud VERS. 25
se per doctrinam Prophetarum redarguitur &
diiudicatur infidelis aut idiota ; manifesta ei fiunt
quæ prius in corde ipsius ita latebant , ut nec ipse
qualia essent , agnosceret .

Et ita cadens in faciem adorabit Deum] id est , to-
ta cordis & corporis humilitate verum Deum
agnoscat , sibiique deinceps colendum statuet .

Pronuncians quod vere Deus in vobis sit] id est ,
profidens , palam affirmans & testificans , aper-
te confitens Deum Christianorum esse verum
Deum .

Quid ergo (faciendum) est fratres : cum conueniis VERS. 26
(in Ecclesia) unusquisque vestrum psalmum ha-
bet] quisque vestrum vel psalmum habet , id
est canticum aliquod spirituale quo Deum lau-
det ad hoc enim quidam peculiariter inspira-
bantur .

Doctrinam habet , apocalypsin habet] Doctrina ser-
mo scientiæ est , ideoque scientiam comprehen-
dit : apocalypsis vero , quæ reuelatio est altiorum
mysteriorum , comprehendit prophetiam ,

tanquam sermonem sapientiae per quem enuncianda est.

Linguam habet, interpretationem habet] Sensus est: Alius ex dono paratus est loqui peregrina lingua; alius verò donum habet quo linguas interpretetur.

*Charita-
tis studiū
est ubiqz
aedificare* *Omnia ad adificationem fiant] id est, ad promouendam Ecclesiam Christi, & singula eius membra, in vita spirituali. Charitatis enim studium est, ubique ædificare, quatenus adest ædificandi materia. Nam & si aliis non est quem ædifices, te ipsum ædifica.*

VERS. 27 *Sive lingua quis loquitur] quod si, inquit, lingua quis loquitur, unus aut plures.*

Secundum duos, aut ut multum tres] duo aut ad summum tres loquantur, scilicet in uno conuentu.

Et per partes] id est, quisque seorsum, puta vicissim, ne fiat confusio.

Et unus interpretetur] hoc est, unus aliquis interpretandi dono præditus, statim interpretetur quod alius lingua peregrina dixerit: videlicet ne fructu careat huiusmodi sermo à nemine intellectus.

VERS. 28 *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia] quod si, inquit, nullus adsit qui possit interpretari, publicè in Ecclesia non loquatur is qui donum linguae habet.*

Sibi autem loquatur & Deo] tacitus & in corde loquatur sibi ipsi, id est, ad suam priuatam adificationem; quia iam alios ædificare non potest. item loquatur Deo, spiritu & pio affectu, quo ad orandum aut laudandum Deum mouetur: quem utique affectum Deus, qui dedit, inspicit.

Quod

Quod si faciat, non erit ei propterea inutile donum
hoc, etiam si interprete destituatur.

Prophetæ autem duo aut tres dicant] suas pro-
phetias scilicet, sua dogmata, lumina, monita sibi
à Deo inspirata.

Et ceteri, non vulgus, sed Prophetæ, ut præ-
cessit, diuidicent] ex dono sibi concessò, an id
quod dicit Prophetæ, siue doctor, sit verè pro-
phetia, id est, doctrina lana & utilis, necne.

Quod si alij aliquid melius reuelatum fuerit se-
denti, & audienti, surgat ille & loquatur, ac prior
Prophetæ tacet] & sedeat. Mos enim erat, ut au-
dientes sederent, loquentes starent.

Potestis enim omnes per singulos prophetare, non
omnes fideles, quia iam dixerat c. 12. Nunquid
omnes Prophetæ? sed omnes prophetiæ donum
habentes. q. d. Possunt omnes Prophetæ sigilla-
tim hac ratione, si nimis seruent modum &
ordinem, quem iam præscripti, exhortari, ut om-
nés discant & omnes exhortenur] id est, exhorta-
tionem & consolationem accipient.

Et spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt]
ut possint Prophetæ spiritum prophetiæ cohi-
bere & tacere cum volunt, aliisque Prophetis
dare locum dicendi. non enim aguntur ad verba
eo impetu, quo phanatici idololatræ. Nam spiri-
tus, vel donum prophetiæ, ait D. Thomas, non
est habitus: sed partim est instinctus, & impressio
lucis & veritatis, qua Deus illuminat mentem
Prophetæ circa res futuras, obscuras, vel diuinatas:
partim est vis, seu impetus, quo Deus corrigit,
mouet & impellit ad prophetandum, sed liberè.
vnde Ionas & Ieremias illi ad tempus testi-.
runt, vti & Moyses. Exodi 4.

VER. 32.

Prophetæ donū
non est
habitus
manens,
sed im-
pressio
transiēs.
In posse-
state
Prophetæ
est eloqui-
ans sa-
cerdos.

VER. 33. *Non enim est dissensionis Deus, vt cogat hos illosve simul prophetare, tumultuari, & inticem interturbare. Dissensionis, quæ dictio propriè confusione denotat, hoc est, turbatum rerum ordinem, vt in tumultu aut seditione. sed pacis.]* Vocatur Deus pacis, quia nimurum pacis auctor est.

Sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

VER. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant]* etiam prophetisæ, quia contra ordinem naturæ est & legis, Gen. 3. vt in conspectu virorum feminæ eis subditæ loquantur. ita Ambros. Iure, ait Anselm. tacere iubetur femina, quæ cum loqueretur viro suo suasit peccatum; Genes. 2.

Non enim permittitur eis loqui] subaudi in aliis Ecclesiis, aut in Ecclesiis Sanctorum.

Sed subditas esse, sicut & lex dicit.] Legem accipit pro Scriptura veteris testamenti, Genes. 3. *Sub viri potestate eris.*

VER. 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent]* hinc, ait Primasius, viri adeò docti esse deberent, vt vxores suas docere, & in rebus fidei instruere possent.

Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia] id enim est contra verecundiam illi sexui naturaliter inditam.

VER. 36. *An à vobis verbum Dei processit?]* q. d. Nonne ante vos credidit Ecclesia Iudaica, Samaria, Palestina, Cyprus, & Syria. Inspicite ergo ordinem & morem illarum Ecclesiarum, an ita de suis donis contendant, an ita linguas suas iactent, de ipsisque tam pueriliter glorientur sicuti vos facitis? ita Ambrosius & Anselmus.

Aut in vos solos peruenit?] Sensus: An vos soli
cre

credidistis? vestra Ecclesia nec prima est, nec sola, debetis ergo priores imitari, & aliis Ecclesiis vos conformare.

Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, si quis, inquit, eminet inter vos, & habetur tanquam excellens Propheta, aut homo spiritualis. cognoscat quæ scribo vobis, quoniam Domini sunt mandata.] Domini non per se, sed per me iubentis, ut hic ordo in vestris cœribus & collationibus seruetur, nam sensus est: Ille Propheta aut spiritualis iudicet atque cognoscat, ea quæ scribo vobis, esse præcepta Christi Domini: Propheta quidem, ex dono propheticō. ac si diceret: Hæc per me vobis præcipit Christus: id que veri Prophetæ & spirituales ignorare non debent.

VER. 37.

Si quis autem ignorat, ignorabitur. q.d. Qui non vult agnoscere has leges & potestatem meam, ignorabitur, id est, improbabitur à Deo, dicente, Nescio vos: nam qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Sensus est: Si quis non agnoscit, hæc esse Domini mandata, nec meis verbis, nec iudicio Prophetæ, aut hominis spiritualis acquiescit, sed mauult ignorare; vicissim ignorabitur à Domino, auditurus illud cum reprobis, Nescio vos. id est, Dominus eum non agnosceret pro suo.

VER. 38.
Ignorans
ignorabi-
tur quo
sensu.

*Itaque fratres æmulamini prophetare.] Quoniam, inquit, æmulatores estis spirituum, id consequi studete quod magis ædificat, id est, do-
num & actum prophetandi potius quam loqui linguis.*

VER. 39.

Et loqui linguis nolite prohibere] id est, ne reiicie tanquam malum aut inutile. Habet enim

enim & illud suam utilitatem, modò quis in tempore utatur.

VER. 40. *Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant in vobis.]* Ad honestatem & decentiam pertinet, ne mulieres in Ecclesia loquantur. id enim turpe est, vt antè dixit. Ad ordinem, ne quibus loqui licet, plures simul loquantur, sed singuli, alias post alium. *In vobis, id est, in publico vestro conuentu.*

C A P V T X V .

S V M M A R I V M .

Ab exemplo resurrectionis Christi, multis oculatis testibus, quorum ipse unus, comprobatae, fidem resurrectionis mortuorum astruit; quam mox & alisis argumentis confirmat. Eiusdem ordinem, modum & formam tradit, corporum resurgentium qualitates, ac gloria differentiam describens; postremò mortem prorsus abolendam concludit.

VER. 1.

Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod predicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione predicatorum vobis si tenetis, id est retinetis, firmiter teneatis. nisi frustra credidistis.

VER. 2.

Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuum est pro peccatis nostris, secundum

VER. 3.

dum Scripturas, intellige propheticas & reliquas
veteris Testamenti. Et quia sepultus est, & quia re- VER. 4.
surrexit tertia die secundum Scripturas.

Et quia visus est Cepha.] Petro. Inter viros
primus reuera fuit Petrus cui Christus à mor- VER. 5.
te rediuius apparuit.

Et post hoc undecim, scilicet in octaua paschæ,
præsente iam Thoma, Christus apparuit vnde-
cim Apostolis. Deinde visus est plusquam quin- VER. 6.
gentis fratribus simul.] Multi putant hanc esse
celeberrimam, & toties à Christo antè promis-
sam apparitionem in monte Galilææ. vnde præ-
moniti eò confluxerunt omnes Christiani, fuit-
que non in ascensione, sed antè, nam Christus
non in Galilæa, sed in Iudæa ex monte Oliueti
ascendit in cælum, ita Hieronymus.

Ex quibus multi manent usque adhuc] ut ab illis
peti possit testimonium.

Quidam autem dormierunt] in hoc testimonio
ad finem usque perseverarunt.

Deinde visus est Iacobo.] Alphæi, qui frater VER. 7.
Domini dicitur, fuitque primus Episcopus Hie-
rosolymitanus.

Deinde Apostolis omnibus,] & discipulis in af-
fensione ad cælum, ita Anselmus & alij.

Nouissime autem omnium tanquam abortiuo vi- VER. 8.
sus est & mihi.] Abortiuo, id est contémpto, &
abiectione, ita Theoph. & Theodor. quia aborti-
ui fœtus, utpote imperfecti, tenuiores & graci-
liores esse solent. Hac imperfecti ratione pu-
tandus est Paulus abortiuum se vocare, tanquam
Apostolum cæteris imperfectiorem atque mino-
rem, nec cum illis conferendum, adeoque &
Apostoli nomine indignum. Hanc enim ratio-
nem

nem ipsem allegat verbis consequentibus : eal-
démque Græci tractatores attendunt. Nota. Fa-
cta est hæc Christi apparitio Paulo in eius con-
uersione, Act. 9. vbi Paulus vidit Christum , sed
mox lumen eum excæcauit. Dominum vidi in
maxima illa luminis claritate ; qua perstrictos &
offensos oculos iterum clausit , & clausos te-
nuit usque dum sermo Domini secum loquen-
tis finiretur. Tum surgens apertis oculis nihil
vidit.

*Paulus
Christū
vidit in
via Da-
masci.*

VER. 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum , qui non
sum dignus vocari Apostolus .] Dignus , id est ido-
neus. Respicit enim ad statum vitæ suæ præ-
teritæ , quando persecutus fuit Ecclesiam Dei.*

Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.

VER. 10. *Gratia autem Dei sum id quod sum] quod sum
Apostolus , & doctor Gentium.*

*Et gratia eius in me vacua , Græcè inanis , otio-
sa , id est , sine opere & fructu , non fuit.*

*Sed abundantius illis omnibus laborauit] scilicet
in ea gratia muneric Apostolici . neque tamen
sensus est , abundantiū seu copiosius , quām om-
nes illi simul , sed , quām singuli , id est , unusquis-
que illorum . igitur plus illis omnibus laborauit ,
quia nullus illorum tot loca percurrit , totque ac-
tantas tulit aduersitates ac molestias Euangeli
causa , atque Paulus .*

*Non ego (solus) autem , sed gratia Dei tecum .]
Intelligitur enim , gratia quem mibi in auxilium adest ,
& operem præstat , tecumque operatur . Præsumens
se non solum operis esse ministrum per effe-
ctum , sed & operantis quodammodo socium
per consensum . ita Bernard. lib. de grat. & lib.
arbit.*

Sine enim ego , sine illi, sic prædicamus , & sic cre-
didistis] q. d. Tam ego , quām alij Apostoli , ita
omnes prædicamus & assueveramus tanquam ocul-
lati testes , scilicet Christum mortuum esse , & à
mortuis resurrexisse , nobisque esse visum & ap-
paruisse.

Si autem Christus prædicatur , quod resurrexit à
mortuis , quomodo quidam dicunt in vobis , quoniam
resurrectio mortuorum non est ?] Quidam , hic fuit
Cerinthus cum suis , qui primus post Simonem
Magum hæresiarcha tempore S. Pauli negavit
resurrectionem.

Si autem resurrectione mortuorum non est : neque
Christus resurrexit] tum quia Christus fuit unus
ex mortuis , tum quia haec prima mortis & re-
surrectionis Christi causa fuit , scilicet plena abo-
litio mortis , vita reductio , fuitque Christi resur-
rectio , exemplar nostræ , scilicet ut alij homines
resurgent ad iustitiam in hac vita , & ad gloriam
in altera . Est autem Christus resurgens , exem-
plar resurrectionis hominum electorum , quatenus
gloria resurrectionis ac beatæ immortalita-
tis in Christo tanquam capite perfectissimè de-
clarata , suo quodam modo & ordine declaranda
est in omnibus eius membris , id est electis .

Si autem Christus non resurrexit , inanis est ergo
prædicatio nostra: inanis est fides vestra .

Inuenimus autem & falsi testes Dei] Inuenimus ,
inquit , hoc est arguimus , deprehendimur (quod
in Apostolo turpissimum est) falsi testes Dei . Nam
testes Dei sunt , quorum est veritatem Dei nun-
ciare hominibus: falsi testes Dei , qui pro veritate
Dei falsa prædicant . Injuriam Dei probatio se-
quens exaggerat .

VER. 11.

VER. 12.

VER. 13.

Christi
resurre-
ctio fuit
oblatio
mortis .

Christus
resurgens
quate-
nus exé-
plar re-
surre-
ctionis
electorū .

VER. 14.

VER. 15.

Quoniam

*Quoniam testimonium diximus aduersus Deum,
quod suscitauerit Christum] quia quicunque fal-
sum aliquid annunciat, tanquam Dei verbum, fa-
cit Deum mendacem.*

VER. 16. *Quem non suscitanit, si mortui non resurgent.
Nam si mortui non resurgent, neque Christus re-
surrexit.*

VER. 17. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides
vestra. Fides inanis & vana sit fides inutilis
ac nullius fructus. id enim declarant quæ se-
quuntur.*

*Adhuc enim estis in peccatis vestris] ac si di-
cat: Ideò vanam & inutilem arguo fidem vestram,
si Christus non resurrexit, quia si non resurrexit,
adhuc estis in peccatis vestris, nempe quoad rea-
tum mortis æternæ: id est, nondum accepistis re-
missionem peccatorum, quam fides promittit.
quia si Christus non resurrexit, nondum estis iu-
stificati: cùm in fide resurrectionis Christi vobis
sitæ sit iustitia. resurrexit enim propter iustifica-
tionem nostram, Rom. 4.*

VER. 18. *Ergo & qui dormierunt in Christo, qui scilicet in
spe, fide, gratia & charitate Christi mortui sunt,
perierunt] qui dormierunt in Christo, hoc est, qui
nobis Christianis vocantur dormientes in Chri-
sto, ob spem certam resurrectionis. Porrò quia
dicere quis poterat fidem Christi prodeesse sal-
tem ad bona huius vitæ: consequenter id etiam
remouet dicéns:*

VER. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus;
miserabiliores sumus omnibus hominibus] id est, si
non ab eo exspectamus bona futuri sæculi, sed
præsentis tantum: sumus ergo miserabiliores cæ-
teris hominibus; puta, hominum stultissimi su-
mus*

mus, vt pote qui falsa & inani spe resurrectionis,
quaे nunquam continget, ieunia, mortificatio-
nes, persecutioпes, aliaque durissima patimur:
mundi carnisque voluptates abdicamus, cum alij
iis indulgent.

Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primi-
tiae dormientium] primus tempore inter resurgen-
tes ad vitam immortalem fuit Christus. Christus
verò primus fuit qui resurrexit ad vitam beatam,
gloriosam, & æternam. Hoc enim propriè signi-
ficat vox primitia. Sic dicitur Christus primogeni-
tus mortuorum, id est, ante omnes resurgens, &
quasi renascens ex mortuis. Nullus ante eum sur-
rexit, sed omnes alij post eum. siquidem & illi, de
quibus scribit Matth. 27. Multa corpora Sanctorum
qui dormierant surrexerunt (quos omnino verifi-
mille est ad immortalem vitam resurrexisse) iuxta
sententiam multorum valde probabilem, non ante,
sed post Christum surrexerunt, velut glorio-
sa eius resurrectionis comites & aсclæ.

VERS. 10

Christus
primitia
dormien-
tium.

Nota. primitia dicuntur primus terræ fructus,
qui olim in lege veteri Deo offerebatur. sic Chri-
stus post resurrectionem quasi primitius fructus
e terra, in quam quasi granum frumenti cecide-
rat, repullulans & renatus per resurrectionem
Deo oblatus est.

Resurre-
ctio eorū
de qui-
bus Mat-
thaeus
qualis &
quādo fa-
cta.

Quoniam quidem per hominem (Adamum) mors
(inducta est in homines, sic) & per hominem (Chri-
stum, inducta est) resurrectione mortuorum] Vox quo-
niam, dat causam cur Christus sit primitiae resur-
gentium, quia scilicet per Christum, quasi ante-
signanum, & mortis dominatorem, in orbem in-
uecta est resurrectione mortuorum.

VERS. 21

Et sicut in, id est, per & propter, Adam omnes
Z moriun

moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur] omnes qui sunt Christi, id est, omnes electi qui sunt membra Christi. igitur hi omnes & soli per Christum viuificabuntur, id est, excitabuntur ad vitam beatam. Hanc enim viuificationem electis propriam, non autem eam quæ reprobis communis erit, intelligit.

VERS. 23 *Vnusquisque autem in suo ordine]* Græcè, *in proprio ordine*, subaudi viuificabuntur. ordinem intellige dignitatis ac meritorum, ut bene exponit Tertullianus, non autem temporis. Certe constat non inter omnes resurgentes fore temporis ordinem.

Resurgēt electi ordine dignitatis non temporis. *Primitia Christus]* hoc est, ante omnes in Christo viuificandos, ipse Christus tanquam primitia dormientium, ideoque primus dignitate, iam viuificatus est.

Deinde i& qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt] in eius aduentu, supple, credentes, hi post ipsum resurgent: licet Vatablus & alij simpliciter sic accipient: *in eius aduentu, supple resurgent.*

VERS. 24 *Deinde finis]* supple erit. id est consummationem fore omnium rerum: eo quod nulla sit amplius in expectatione futura rerum mutatio nimirum peracto iudicio, & eo completo quod sequitur.

Cum tradiderit regnum, id est, Ecclesiam fidelium & congregationem electorum, *Deo & Patri]* vtique Christus homo, significatus per illum hominem nobilem, qui abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reveri, Luc. 19. Hoc autem Christi regnum Ecclesia eius est, quam acquisivit sanguine suo, Act. 20. Et quæ dicit in omni

omnibus Sanctis agno Christo : *Fecisti nos Deo nostro regnum*, Apoc. 5. Hoc ipsum regnum suum tradet Christus Deo & Patri: ut in ea gloriosè in æternum regnet, & regni eius non erit finis, Luc. 1. Tradet regnum Deo & Patri: id est, cum subiectione & gratiarum actione gloriosum illud regnum suum Deo Patri suo offeret, profitens uniuersam regni sui gloriam illi auctori se acceptam referre: eamque professionem suam omnibus tam Angelis quam hominibus, nec electis modò, verum etiam reprobis, faciet manifestam: ut omnes agnoscant potentiam & gloriam esse solius Dei: denique ad eum ut principium, & in eum ut finem omnia esse conferenda, ut sit Deus omnia in omnibus.

Christus
regnum
tradet
Deo &
Patri.

Cum euacuerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem] q. d. Cū aboleuerit Christus omnem principatum dæmonum, qui sunt & vocantur principatus & virtutes, ne amplius fideles lacestant; tunc tradet regnum iam dictum Patri, eritque omnium finis & consummatio.

Oportet autem illum regnare, hoc est, Christum VERS. 25 oportet regere Ecclesiam, donec ponat (Deus Pater) omnes inimicos (dæmones & omnes reprobos) sub pedibus eius.

Nouissima autem inimica defruetur mors] mors, VERS. 26 quæ scilicet adhuc aliquatenus regnat in corporibus Sanctorum, omnino abolebitur in resurrectione. ita Anselmus. q. d. Inter hostes mors ultimè destruetur. Primus enim inimicus Christi & Christianorum est diabolus, qui à Christo in cruce vinctus est. Secundus est peccatum, quod à Christians per gratiā Christi in hac vita vincitur. Tertius est mors, quæ in resurrectione, ultima vincetur.

Omnia enim subiecit sub pedibus eius] q.d. Omnes homines, & Angelos, bonos & malos, in resurrectione planè subiiciet Deus Christo. Nota, propheticè subiecit, idem est quod certissimò subiiciet, ac si iam subiecisset.

VERS. 27

Cum autem dicat nempe Scriptura siue Psalmista, Omnia subiecta sunt ei; sine dubio, prater eum qui subiecit ei omnia] id autem est, prater Deum Patrem. Hoc Apostolus addidit ad significandum vniuersalem subiectionem omnium sub Christo, vt dum solus excipitur Pater, intelligamus omnia cætera sine exceptione Christo fore subiecta: & proinde bene concludi, quòd etiam mors ipsa tandem ei subiicienda sit, & ab eo destruenda per vniuersalem electorum resuscitationem. Eandem subiectionis omnium generalitatem apertissime expressit, Hebr. 2. *In eo, inquit, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.*

VERS. 28

Cum autem subiecta fuerint illi omnia, nimirum, morte destruēta nouissima, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia] Christus vt homo subiectus erit, id est, subiicit & offeret se, cum electis suis ad æternam Dei laudem, & participationem diuinæ bonitatis, dominij & gloriæ. ita Anselmus.

Deus omnia in omnibus quo sésu.

Vt sit Deus omnia in omnibus] tunc in omnibus Deus erit omnia, quia nihil in electis erit mali, sed omnia bona, ac proinde nihil quod non sit Dei, vt in omnibus laudetur & glorificetur solus Deus. vel, vt Deus in electis sit omnia, id est, vice rerum omnium; scilicet, vt sit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, &c. Tunc omnia in omnibus erit, vt singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, vt sit Christus totus in cunctis. ita Hieronymus

tonymus epistola ad Amandum,

Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent?] Alioquin, id est, si omnino non est mortuorum resurrectio, quem fructum reportabunt qui baptizantur iam iam morituri, & per hoc profitentur se baptizari propter statum futurum post hanc vitam? Corpora baptizantur, ergo corpora resurgent: dum enim Sacramentum baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati, ait Tertullianus. Frequens erat primis Ecclesiæ temporibus, quando multi baptismum differebant usque ad extremum vitae, ut in lecto baptizarentur, ut plene baptismi ab omni culpa & poena purgati euolent in cælum, beatam resurrectionem adepturi. Vnde & Clinici dicuntur, quasi dicas lectularij: Qui clinici & lectularij.

Vi quid & baptizantur pro illis?] Quorsum, inquam, aut quorsum queso, etiam pro statu post mortem futuro baptizantur, si à morte non est redditus ad vitam? ac si dicat: Si vana est exspectatio resurrectionis, & spes nostra non extenditur ultra terminum huius vitae; soli ergo victuri deberent baptizari, non qui illicè morituri sunt.

Vi quid & nos periclitamus omni hora?] q.d. Stul-^{Vers. 30.}
tē nos obiicimus tot periculis & persecutionibus ob spem resurrectionis, si non est resurrec-

Quotidie morior] id est, mortis periculis quo-^{Vers. 31}
tidie pro Euangeliō, & Gentium conuersione me obiicio.

Per vestram gloriam fratres] Sensus est: Quotidianis vitæ periculis expositus sum, &c, vt ita dicam, quotidianas mortes patior: ita iuro per gloriam seu gloriationem, qua de vobis gloriior tanquam meis in Christo filiis:

Quam habeo in Christo Iesu Domino nostro] id est, qua gloriior per Christum Dominum, ex cuius merito & passione mihi prouenit omnis glorandi materia, nempe secundum illud Gal. 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

VERS. 32 *Si (secundum hominem) ad bestias pugnauit Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgent?* Quod (vt hominum more loquar, qui libenter commemorare solent pugnas suas & pericula, è quibus gloriose euaserunt) cum aduersariis meis, velut cum feris congressus, depugnaui Ephesi, & impetum eorum sustinui: *quid mihi prodest? Græce, que mihi utilitas, scilicet ex ea pugna, presura, & tolerantia; si non est mortuorum resurrectio?*

Manducemus & bibamus, cras enim moriemur] ac si dicat: Si non est futura mortuorum resurrectione; reliquum est, vt omnes vitam ducant Epicuream, & deliciis ac voluptatibus sese expleant, dicantque: Edc, lude, bibe, post mortem nulla voluptas.

VER. 33. *Nolite seduci]* nolite decipi, ne sinatis vos abduci in errorem.

Corrumpunt mores bonos colloquia prava] dicti, scilicet, erroris, puta colloquia cum atheis & incredulis, qui negant resurrectionem.

VERS. 34. *Fuigilate inisti, expurgescimini à peccato, vt iusti sitis.* Sensus est: Ab erroris & voluptatum ebrieta-

te experrecti, iam sapite, & ad ea quæ iusta & recta sunt, animum applicate. & nolue peccare. ignorantiam enim Dei quidam habent] ita viuunt, ac si Deum ignorent, qui se totos immergunt voluptibus, ut ne cogitent quidem de Deo.

Ad reverentiam vobis loquor] id est, ad pudorem vobis loquor; pudor enim est Christiano, dubitare de resurrectione & potentia diuina.

Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui quaque corpore venient?

VERS. 35

Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur] nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, Ioan. 12, indicans, non nisi morte intercedente corpora nostra ad vitam esse resurrectione: quomodo semen non exsurgit in corpus vivens, nisi prius moriatur.

VERS. 36

Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicius ceterorum] q.d. Dum seminas, non seminas corpus ex semine nasciturum; puta arborem, aut spicam, sed nudum semen, & granum pomi, vel triticis, & tamen Deus huic grano seminato, & è terra renascenti reddit non aliud granum, sed integrum & pulchrum corpus, puta arboris vel spicæ, quod suo culmo, floribus, aristis & granis instruitur & ornatur. ita corpus nostrum seminaritur mortale; resurget autem vestitum immortalitate & gloria.

VERS. 37

Deus autem dat illi (semini, & grano) corpus sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus] proprium, id est, propriæ naturæ & speciei, quia grano, verbi gratia tritici, Deus spicam & corpus dat, non hordei, vel auenæ, sed tritici, & sic de cæteris.

VERS. 38

Non omnis caro, eadem caro] Sensus est: Non Z. 4 omnis

VERS. 39

omnis caro eiusdem est naturæ, conditionis & præstantiæ. Carnem non corpus nominat, vt insinuet in vera carne mortuos resurrecturos, non in corpore quod vel aëreæ vel æthereæ sit naturæ. idè confitemur in Symbolo fidei, Carnis resurrectionem.

Sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium] Porro sentit Apostolus, sicut diuersorum animantium diuersa caro est: ita diuersorum hominum fore diuersa in resurrectione corpora, quoad gradus gloriæ, respondentes gradibus meritorum: vt qui minus meritus est, minùs; qui magis, magis gloriosum corpus recipiat.

VERS. 40

Et corpora cælestia & corpora Terrestria] cælestia quidem quæ in cælo sunt, vt sol, luna, stellæ; terrestria verò, quæ in terra sunt, vt arbores ac cætera vegetabilia terræ infixa: quæ tamen omnia suam ac propriam habent formam, pulchritudinem & quasi gloriam.

Sed alia quidem cælestium Gloria, alia autem terrestrium] Significat pro meritorum diuersitate, quæ inter bonos fideles maxima est, permagnam quoque futuram in corporibus resurgentium gloriæ diuersitatem: velut si gloriam cælestium corporum conferas cum gloria terrestrium.

VERS. 41

Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate.

VERS. 42

Sic & resurrexit mortuorum] supple, erit, aut se habebit. Aptè Sancti & Beati comparantur stellis, sicut vna stella alteri, ita & vnum Beatus alteri, vti gratia & meritis, ita gloria & præmiis præfulget, atq; micat inter omnes Virginis sydus, velut inter ignes lunæ minores.

Semi

Seminatur in corruptione, surget in incorruptionem]
*seminatur corpus humanum, dum scilicet sepe-
 litur, & quasi semen in terram abiicitur, ut cor-
 rumpatur in vermes & cineres. Seminari vocat
 mori instar seminis. quia Deus sic ordinavit ut
 corpora nostra non reformatur ad vitam glo-
 riosam, nisi per mortem. Moritur corpus corru-
 ptibile: resurget incorruptibile.*

*Seminatur in ignobilitate, surget in gloria] glo-
 riosum, clarum, fulgidum. ignobiliter pro igno-
 minia posuit interpres. Moritur corpus multis
 ante mortem miseriis & fœditatibus obnoxium:
 suscitabitur idem corpus omni ex parte glorio-
 sum. vbi Thomas specialiter significari putat do-
 tem claritatis. Surget in gloria splendoris sicut
 sol. ita Primasius.* VER. 43.

*Seminatur in infirmitate, surget in virtute.] Græ-
 cè, in potentia, id est, potens, celer, agile.* VER. 44.

*Seminatur corpus animale, id est quod viuat,
 aut potius quod vixit vita vegetativa & sensitiva,
 vt animalia, egens cibo & potu: item crassum, du-
 rum, cedere nescium & impenetrabile, surget cor-
 pus spiritale] id est, spiritui subditum omnino &
 conformatum; vt cibo & potu non egeat, non
 labore, non fatigetur, sed quasi cælestis sit, &
 deificatum, atque, vt Tertullianus ait, quasi in
 angelicum habitum sit commutatum. spirituale,
 id est subtile, vt instar spiritus omnia alia corpo-
 ra penetreret & peruerdat. ita Damasc. l. 4. de fide
 cap. 28.* Quid cor-
 pus ani-
 male.
 Quid cor-
 pus spi-
 rituale.

*Si est corpus animale, est & spiritale] nam vtraque
 haec differentia corporis reperitur atque existit.*

*Sicut scriptum est] id est, sicut innuit Scriptu-
 ra, Genes. 2.*

VER. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viuen-tem*] hoc est, Adam factus est anima, id est, animal viens vita sensitiva & vegetativa; ac proinde cibo, potu, aliisque fomentis alendum, & in animali hac vita conseruandum.

Nouissimus Adam, id est Christus, factus est in spiritum viuificantem] ut scilicet haberet post resurrectionem animam gloriosam, quæ instar viuifici spiritus corpus planè viuificaret, illudque redderet spirituale, id est, instar spiritus gloriosus, cibi expers, impassibile & immortale: corpus, inquam, tum suum, tum nostrum. vnde Theophil. Chrysoſt. Theod. notant, non dici *spiritum viuentem sed spiritum viuificantem*. Anima enim sive spiritus Christi, non tantum viuit gloriōsè in se, sed etiam viuificat, & eadem via gloriōsa donat tam animas quam corpora nostra.

VER. 46. *Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale.*

VER. 47. *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de calo, caelestis*] Christus dicitur caelestis, id est gloriōsus & incorruptibilis, vti sunt corpora caelestia. hanc caelestem gloriam Christus in anima habuit re ipsa à principio nativitatis & conceptionis suæ. Sensus est: Secundus homo Christus Dominus, qui de cælo est, id est, diuinam habens originem, vtpote natus ex Deo; per resurrectionem factus est etiam corpore caelestis, id est, qualitates suæ dignitati congruentes etiam secundum corpus accepit, factus scilicet immortalis, impassibilis, & omni ex parte gloriōsus.

VER. 48. *Qualis terrenus, tales & terreni, sicut Adam ē terra terrenus mortuus est, & in terram rediit:*

ita & omnes terreni ab eo nati in terram redi-
bunt. & qualis cælestis , tales & cælestes] vt , sicut
Christus per resurrectionem adeptus est corpus
cæleste, id est, immortale & gloriosum : ita & ex
eo renati Sancti fiant cælestes, id est, immortales
& gloriosi.

Igitur sicut portauimus imaginem terreni , porte-
mus & imaginem cælestis.] Sensus: Et sicut gestauim-
us in nobis imaginem terreni Adam; quatenus
etiam ipsi terreni facti sumus , & per hoc ei si-
miles: ita quoque gestabimus in nobis imaginem
hominis cælestis scilicet Christi ; quatenus & ipsi
secundum corpora cælestes erimus per beatam
resurrectionem, proindeque futuri quædam illius
imagines. ita Theodor. Theophyl. & Oecumen.

VER. 49.

Hoc autem dico fratres] hoc est, inquit , quod
volo dicere.

VER. 50.

*Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non
possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.*] *Quomo-
do caro
& san-
guis re-
gnum
Dei non
possi-
bunt.*
Caro & sanguis accipitur pro homine mortali. Caro & sanguis , scilicet , naturalis & cor-
ruptibilis , qualis fuit terreni Adam , & qualem habemus in hac vita , regnum Dei non posside-
bunt. quod enim v. 46. & 47. Apostolus vocavit
corpus animale & terrenum, hic vocat carnem &
sanguinem. tantum enim vult ostendere , in cælo
non fore corpus animale & carnale , quale hic
est : sed spirituale & cæleste. vnde explicans sub-
dit : neque corruptio , id est caro animalis & cor-
ruptibilis , incorruptionem possidebit. ita Theod.
Theoph. Ambros.

Ecce mysterium vobis dico.] Hisce verbis Apo- VER. 51.
stolus excitat attentionem legentium, atque insi-
nuat se quid magnum, tremendum, secretum de
resur

resurrectione dicturum. ita Theophylactus.

Omnis quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur] per gloriam scilicet.

VER. 52. *In momento] repente resurgemus Græcè, in Momen- atomo, id est in indiuisibili, vti est punctum tem- tū quid. poris, & ictus sive nictus oculi, vt sequitur. Atomus, inquit S. Hieronymus est punctum temporis quod secari & diuidi non potest.*

In ictu oculi.] Hæc duo, in momento & in ictu oculi, Paulo sumimam celeritatem significant, hoc est instantaneam. sunt autem referenda ad verbum immutabimur, vt sensus sit: illam immutationem omnium electorum in statu incorruptibili, non exigere moram temporis, quo fiat ac perficiatur, proinde posse fieri, vt peragatur in punto temporis, id est, in instanti.

In nouissima tuba.] Dicitur tuba hæc nouissima respectu omnium præcedentium: canente ultima tuba, quam 1. Thessal. 4. vocat tubam Dei, & vocem Archangeli, de qua etiam Dominus Matth. 24. Et mittet (filius hominis) Angelos suos cum tuba & voce magna. Et Ioan. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius.

Et mortui resurgent incorrupti] eos qui mortui erunt & in Christo dormientes, ad sonitum tubæ suscitandos ac resurrecturos esse incorruptibiles, hoc est immortales & impassibiles. nam significatur incorruptio perfecta, quam dotem impassibilitatis appellant Theologi, id est, quæ omnem offensiuam passionem excludat.

VER. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.] Pronomen hoc, idem indiuiduum corpus demonstrat.*

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, VER. 54.
 tunc fiet sermo qui scriptus est. tunc, & eo ipso, fiet,
 implebitur haec Scriptura : absorpta est mors in vi-
 etoria.] Haec sumpta esse non ad verbum, sed
 quoad sensum ex Osee 13. vbi dicitur : De manu
 moris liberabo eos, de morte redimam eos. hoc enim
 in re idem est cum eo quod hic ait Apostolus:
Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria VER. 55.,
tua? vbi est mors stimulus tuus?] Citat Paulus Osee
 cap. 13. vbi noster vertit: Ero mors tua, ô mors; mor-
 sus tuus ero, inferne. Sensus est : *Vbi est mors victoria*
& stimulus tuus, quo soles homines occidere eis-
 que dominari? q.d. Periit, confractus est à Chri-
 sto, qui est mors tua, ô mors, & morsu suo te, ô in-
 ferne, disruptus & absorpsit.

Stimulus autem moris peccatum est] stimulus, VER. 56.
 per quem scilicet mors nobis præcipue nocet &
 pungit. sicut enim scorpius licet parvus sit, per
 aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit,
 ait Theophylactus, quæ sine peccato nihil po-
 terat.

Virtus verò peccati lex] q.d. Peccatum maximè
 vires exerit per legem, id est per occasionem le-
 gis vetantis: semper enim nitimus in vetitum,
 cupimusque negata. ita Theodor. Theophil. Am-
 bros. Anselm.

Deo autem gratias agimus, qui dedit nobis victo- VER. 57.
riam (de peccato & morte) per Dominum nostrum
Iesum Christum] mors autem non destruit nisi
 vita reddatur, & quidem perpetua: quod non
 contigit nisi per resurrectionem iustis promis-
 sam.

Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobi- VER. 58.
les] in fide scilicet resurrectionis, ut abundetis in
 opere

operibus bonis, quæ Domino Deo placent, ad ea
vos excitando per spem resurrectionis & præmij
æterni: scientes quod labor vester non erit inanis,
nec mercedis expers apud Dominum. hoc enim
est in Domino.

*Opera
bona cur-
vaneen-
tur opus
Domini.*

Abundantes in opere Domini semper.] Bona ope-
ra vocat *opus Domini*, vel quia Dominus ea dili-
git & exigit à nobis, ut exponit Theophylactus,
astipulante Heruæo, qui interpretatur *opus man-
datorum Domini*: vel quia Dominus ea in nobis
operator. *Deus est enim*, ait idem Apostolus, *qui
operator in vobis & velle & perficere*, Philip. 2. Ge-
neraliter intelligi potest *opus Domini*, quod-
cumque fit ad Christi Domini gloriam & hono-
rem: quale esse debet omne *opus* hominis Chri-
stiani.

*Labor fi-
delium
non est
vacuus
à merce-
de.*

*Scientes quod labor vester non est inanis in Domi-
no]* hoc est, certissimè persuasi, quod opera ve-
stra bona non erunt à mercede vacua apud Do-
minum. *Laborem* vocat *opera bona*, quod non
sine labore & molestia fiant. Labor vester pro-
pter Dominum suscepitus non erit frustraneus.
ita Oecumenius.

C A P V T X V I .

S V M M A R I V M .

*Hortatur ad eleemosynam in sanctos paupe-
res conferendam. Aduentum suum promit-
tit. Apollo fratrem, quod non venerit, ex-
cusat. Timotheum & Stephane domum com-
mendat: ac salutationibus epistolam claudit.*

De

DE collectis autem, qua fiunt in sanctos, sicut ordinarii Ecclesiis Galatia, ita & vos facite] in sanctos, hoc est, in Christianos pauperes Hierosolymis agentes.

Per unam sabbati, id est, in primo die hebdomadæ, videlicet Dominica, unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit] ut scilicet ante cœnam & agapen quisque apud se seponat, quod mox veniens in Ecclesiam ad cœnam offerat in eleemosynam & collectam. recondens, Græcè thesaurizans, quod de eo propriè dicitur, qui paulatim collecta repónit & cumulat. quod ei bene placuerit, pro modo facultatum seu lucri hebdomadarij quisque seponat, & cumulum faciat, tribuendum in collectam publicam.

Vt non, cum venero, tunc collectæ fiant.] Vult Apostolus collectas priùs fieri particulatim per dies Dominicæ: vt, cùm venerit, paratas eas inueniat, ita nimirum, vt, summa ex iis conflanda statim mitti possit Hierosolymam.

Cum autem præsens fuero: quos probaueritis per epistolæ, hos mittam perferre gratiam (eleemosynam) vestram in Ierusalem.

Quod si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt.] VER. 4. Hilce verbis, tacitè extinxulat eos ad largiorem collectam, videlicet tantam quæ Apostoli perfecti ministerio non sit indigna.

Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransfiero: nam Macedoniam pertransibo. VER. 5.

Apud vos autem forsitan manebo] ac si dicat: VER. 6. Aduentus meus ad vos non erit transitus solum, vt dixi de Macedonia, sed erit moradiuturnior. Apparet autem fuisse moram trium ferè mensium,

sium, ex loco Actorum 20. Addit *forsitan*, propter rei incertitudinem.

Vel etiam hiemabo, idest, totam hiemem apud vos peragam *ut vos me deducatis quocunque iero*] Fideles honorificum sibi ducebant, si suum Apostolum à se discedentem ducerent.

VER. 7. *Nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos si Dominus permiserit*] id est, concesserit. Dominum Christum intelligere videtur, de quo dicitur Act. 16. *Et non permisit eos spiritus Iesu*. hoc addit, quia nesciebat, an permisurus esset Dominus.

VER. 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*] quia scilicet Ephesi erat celeberrimum illud Dianaë templum, ibique residebant Asiae minoris primarij. vnde Ephesi habitabat proconsul Asiae, &c, vt Philostr.lib.8. vitæ Apollonij testatur, plurimum Ephesi vigebat sapientia: itaque maior ibi messis erat S. Paulo: quæ causa fuit cur Ephesi morari & permanere statuerit.

VER. 9. *Ostium enim mihi apertum est magnum & eiusdens*] magna scilicet Ephesi mihi se aperit occasio & aditus Euangelij seminandi, & conuertendi multos. ita Ambrosius.

Et aduersari multi] Verisimile est autem Iudeos intelligi, qui in ea ciuitate multi erant, iisque more suo remoram Euangeliō facturi: quemadmodum & facere iam cœperant: bestiae nimis illæ, cum quibus Ephesi pugnauerat. vt dictum est capite superiori.

VER. 10. *Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos*] curate ut securè apud vos agat, id est, timendi causam non habeat, nemo sit ei molestus.

Opus enim Domini operatur , sicut & ego] Opus
Domini, Christi intellige, id est, spectans ad pro-
mouéendum Christi Euangeliū. Cuiusmodi opus
in primis est ipsa Euangelij prædicatio.

Ne quis ergo illum spernat] Græcè , vilipendat, VERS.11
nihil faciat. quod metuendum erat ob extatē
eius adhuc iuuenilem.

Deducite autem illum in pace , ut veniat ad me,
scilicet Ephesum, vbi nunc ago: exspecto enim illum
cum fratribus.

De Apolto autem fratre vobis notum facio, quoniam VERS.12.
multum rogaui eum, siue hortatus sum eum, ut ve-
niret ad vos cum fratribus] id est, ut ad vos iret, vos
que inuiseret, fratribus aliquot comitatus.

Et vtique non fuit voluntas ut nunc veniret] Sensus
est: Frustra eum hortatus sum ut ad vos iret, nam
ob certas causas non erat ei vlo pacto animus
nunc eundi.

Veniet autem (ad vos, ô Corinthij, Apollo) cum
ei vacuum, id est oportunum fuerit] ita Amb.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortameti- VERS.13
ni] vigilate, id est, salutis vestræ curam gerite, scilicet
aduersus malè suadentium insidias. state (qui
situs est vigilantis) id est, persistite in fide Euange-
lij, quod à nobis didicistis. Estote virili & infraicto
fortique animo aduersus ea mala , quæ vobis ab
hostibus & persecutoribus fidei, seu Iudæis, seu
Gentilibus, inferuntur aut imminent.

Omnia vestra in charitate fiant] q.d. Paulus : O VERS.14
Corinthij, non in contentione , non cum ambi-
tione & schismate, sed cum charitate Christiana,
quæ virtus est diuina à Christo vobis infusa , om-
nia vestra facite.

Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephane, VERS.15
A a & for

*& fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitia
Achaia, & in ministerium sanctorum ordinauerunt
seipso: ut & vos subditi sitis eiusmodi, quod sic
cum Theoph. ordinandum est: Obsecro vos fratres,
ut subditi sitis Stephana, Fortunato, Achaico (& om-
ni cooperanti & laboranti) nostis enim domum, id est
domos, puta familias eorum, quoniam (quod) pri-
mitia sunt Achaia; primi scilicet qui in Achaia
crediderunt Christo, quique se suaque ordinaue-
runt & addixerunt ministerio sanctorum, ut scilicet
exerceant hospitalitatem in Christianos egenos &
peregrinos, maximè qui laborant in Euangelio.
Nota subditi suis, nimurum honorando eos, eo-
rum monita & exempla sequendo. & omni coope-
ranti & laboranti] id est, non solùm illis subditi
sitis, sed & omnibus quicunque vel cum illis vel
me cum rem euangelicam adiuuant. tales enim
præ aliis digni sunt honore.*

*VERS.17. Gaudeo autem in praesentia Stephana, & Fortuna-
ti, & Achaici: quia scilicet hi viri mihi Paulo
praesentes sunt, quoniam id quod vobis deerat circa
meum ministerium, ipsi supplererunt] ut pro vo-
bis mihi ministrarent, suisque opibus & faculta-
tibus me remque Christianam iuuarent & pro-
mouerent.*

*VERS.18 Refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum] quoque: quia mea refectio, veltra quoque refe-
ctio & recreatio est.*

*Cognoscite ergo qui huinsmodi sunt] id est reue-
remini, colite eos, honorificè habetote.*

*VERS.19 Salutant vos Ecclesia Asia] Minorem Asiam
intelligit, in qua erat Ephesus, ubi scribitur hæc
epistola.*

*Salutant vos in Domino mulier Aquila & Priscil-
la,*

la, cum domesticā sua Ecclesia] Græcē, cum ea quae in
domo eorum est Ecclesia apud quos & hospitior.

Salutant vos omnes fratres, id est, fideles, qui cir- VERS. 20
ca nos sunt, salutate in unicem in osculo sancto] hoc est,
cum osculo quod Sanctos decet, quodque sym-
bolum est sancti & Christiani amoris.

Salutatio mea manu Pauli] subaudi, scripta; hæc
est quæ sequitur. hæc verba cum iis quæ sequun-
tur usque ad finem, affirmat Paulus sua manu se
scriptissime loco salutationis qua claudi solet epi-
stola. nam reliquam epistolam totam ipso dictante
scriptam ab alio quopiam fuisse existimandum
est. Priusquam ipsa verba salutis ascribat, per hy-
perbaton interponit execrationem quandam in
eos, qui salute sunt indigni, dicens.

VERS. 21
Saluta-
tio manu
Pauli.

Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Chri- VER. 22
stum, sit anathema maranatha] Anathema est res Quid a-
quæ cum execratione separatur, abiicitur, & de- nathema
stinatur ad extremum exitium; quod in homini-
bus est æterna damnatio. Non sunt ergo verba
excommunicantis, sed execrantis & denunciantis
æternam damnationem iis, qui Christum non
amant, & infidelibus. Quales forte erant inter
Corinthios qui sæculari sapientia Philosopho-
rum imbuti, Christum eiisque doctrinam velut
abiecam & humilem aspernari iam cœperant.
Sanè B. Thomas sensum hunc indicat dum sic
exponit: Si quis non amat Dominum Iesum Chri-
stum, id est, fidem Christi: & isti, inquit, sunt heretici,
Lyran. refert ad Iudeos, negantes Dominum, id
est Messiam, venisse: & Iesum, quem Apostoli
Messiam ac Dominum prædicabant, odio pro-
sequentes, atque anathema dicentes ut suprà c.
12. quibus vicissim meritissimè dicitur anathema.

Generaliter hoc anathemate percelli ac terrei volunt omnes illos , quos Apostolus ob grauia peccata hac epistola castigauit:vt schismatum autores , fornicarios , idolothyta cum fratum offendiculo comedentes , sacra mysteria indignè participantes , resurrectionem mortuorum non credentes:quibus vtique cunctis imminet certus interitus , nisi pœnitentiam agant.

Maranatha. *tha quid*] idem est quod , Dominus noster venit. Dices , Quid facit maranatha,id est , *Dominus noster venit*,ad rem & scopum Apostoli? Subiicit itaque Paulus post *anathema maranatha* , quia Hebrei quempiam condemnantes solebant id facere sub comminatione & contestatione præsentis diuini iudicij,vt patet Dan.13.ps.9.*maranatha*, id est , Dominus noster venit, scilicet, vindicta ad iudicium:aut potius,*maranatha*,id est, veniat Dominus iudex , vt eum qui Christum non amat, anathemate feriat , damnet , & puniat. est enim *maranatha* sicut & *anathema vox execrantis & condemnantis.*

V E R S . 2 3 *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum*] Est autem hæc salutatio quam dixit manu sua se subscribere,qua nimirum omne bonum salutare precatur à Deo per Christum iis ad quos scribit: quia , vt ait Thom. in gratia Domini nostri Iesu Christi continetur omne bonum.

V E R S . 2 4 *Charitas mea*,qua vos diligo, *cum omnibus vobis sit*, vt simili charitate sincera vicissim me & inuicem diligatis *in Christo Iesu*,& propter Christum. ita Ambr.& Ansel. *Amen.*



COMMENTARIA
IN II. EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD CORINTHIOS.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M .

Ostendit Apostolus tam afflictiones suas , cuiusmodi passus fuerat in Asia, quam consolacionem à Deo super iis acceptam , cedere in Corinthiorum solatum ac salutem. Conscientiae & conuersationis sua sinceritatem eis declarat. Deinde excusat quod prout statuerat, nondum venisset: afferens firmam nihilominus permanere Euangely à se prædicati veritatem.

Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem VERS. I.
Dei, & Timotheus frater]frater, id est, coapo-
A a 3 stolus

stolus , vti Papa Episcopos , Episcopus Canonicos, Abbas Monachos fratres vocant.

Ecclesia Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in uniuersa Achaia] quia Corinthus Achaicæ metropolis erat, ad quam cæteri eiusdem prouinciæ confluabant.

VERS. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Pâtre nôstro, & Domino Iesu Christo] subaudi, multiplicetur.*

VERS. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi] benedictus sit Deus, id est, laudetur à nobis Deus propter opera suæ bonitatis erga nos exhibitæ.*

Pater misericordiarum (misericordissimus) & Deus totius consolationis] omnis consolationis.

VERS. 4. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra] nos intelligit seipsum & socios Euangelij ministros. ac si diceret, consolator noster. Etenim proprium est electorum, in æstu tribulationis non relinqui sine refrigerio consolationis diuinæ.*

Vi possumus & ipsi consolari eos qui in omni pressuræ sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo] vt dicat S. Thomas: Qui non est consolatus, nescit consolari.

VERS. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis] passiones Christi vocat quas pro Christo patimur. ita Ambrosius. q.d. Ne desponeas animum, quisquis pateris afflictiones & mala, quia quantum exuberant mala, tantum exuberant consolationes.*

Ita & per Christum abundat consolatio nostra] Pro magnitudine passionum etiam consolationis materiam & effectum subministrat.

VERS. 6. *Sine autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute]*

*salutem] q.d. Tribulationes patimur, vt vos conso-
lemur & saluemus, & vt patientia nostra, spe in
Deum, eiisque consolatione vos animemus ad
afflictiones nobiscum pro fide fortiter ferendas.
ita Ambrosius.*

*Sive consolamur pro vestra consolatione, sine exhorta-
tamur pro vestra exhortatione & salute.*

*Quæ operatur tolerantiam earundem passionum,
quas & nos patimur. quæ (scilicet salus, quasi finis
exoptatus) operatur tolerantiam.*

*Vt spes nostra firma sit pro vobis] spem , inquit, VERS. 7.
firmam & certam animo cepi pro vobis, id est, de
consolatione & salute vestra: idque propter com-
municationem passionum.*

*Scientes quod sicut secij passionum estis, sic eritis &
consolationis.*

*Non enim volumus ignorare vos fratres de tri- VERS. 8:
bulatione nostra , quæ (tribulatio) facta est in
Asia) Ephesi à Demetrio argentario Diana, qui
seditionem populi contra Paulum excitauit , qua-
pñè oppressus fuit Paulus, Actor. 19. ita S. Tho-
mas.*

*Quoniam supra modum grauati sumus , supra
virtutem , hoc est , supra vires naturæ & corpo-
ris , non gratiæ & animi ; nam ope gratiæ , in-
uicto animo , tribulationem hanc Paulus per-
tulit & superauit. ita ut tæderet nos etiam vivere]
Non absurdè potest intelligi tædium vite pa-
sus Apostolus ob grauitatem afflictionis. nam &
beatus Job inter aduersa dixit : Tædet animam postulat
vite an
passus A-
postolus.
vitæ meæ, cap. 10.*

*Sed ipsi in nobis metipsis responsum moris habui- VERS. 9.
mus , adeò vt non sperarem me superuicturum.
vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo] & dicere*

cum Propheta: Oculi mei semper ad Dominum,
psal. 24.

VERS. 10. *Qui suscitat mortuos: qui (Deus) de tantiis periculis nos eripuit & eruit] ex tali tantaque morte, id est, mortis periculis tam patentibus & euidentibus. ita Theophyl.*

In quem speramus, quoniam & adhuc eripiet] in quo spem firmam collocatam habemus, quod & deinceps erecturus sit, scilicet e malis adhuc obuenturis.

VERS. 11. *Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis, ut ex multorum personis, eius que in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis] id est, pro dono in nos collato gratiae agantur per multos pro nobis.*

VER. 12. *Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae] Sensus: Id de quo glorior & in quo confido coram Deo, testimonium est conscientiae meae. q.d. Propterea ipso me liberatum iri a Deo e pressuris que mihi adhuc instant; quia bene mihi conscientius sum, ac de eo gloriari possum apud vos.*

Quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei] Dicit suam conscientiam sibi testari, quod simplici, recto & sincero animo, qui Deo iudice probetur, conuersatus sit. Sinceritas autem ipsam intentionem rectificat.

Et non in sapientia carnali] non humana philosophia aut eloquentia praedicaui, sed gratia, zelo, efficacia, ac spiritu diuino. Sapientiam carnalem intelligit eam quam in priore epistola vocauit humanam, & huius mundi & saeculi sapientiam, id est, humano studio atque ingenio comparatam, cuiusmodi fuit sapientia Philosophorum.

Sed

Sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.] Gratiam Dei dicere videtur gratuitam ac potentem Dei operationem , tam in signis exterius ribus miraculorum quæ per eum Deus faciebat, quam in occulto traectu plurimorum ad credendum Euangelio per ipsum prædicato.

Abundantius autem ad vos] vel apud vos.

Non enim alia scribimus vobis quam quæ legistis & cognouistis.] Sensus; Non sunt vana quæ scribo de recta & sincera mea apud vos conuersatione : vos ipsi mihi testes estis.

Spero autem quod usque in finem cognoscetis.

Sicut & cognouistis nos ex parte.] Addens ex parte, perstringit Corinthios, quod plus satis auscultantes æmulis & obtrectatoribus Pauli, minùs adhuc bene & honorificè de suo Apostolo sentirent.

Quod gloria vestra sumus.] Quemadmodum & iam ex parte de me cognouistis , & persuasum habetis, quod sim gloria siue gloriatio vestra; hoc est , quod ex me sit vobis gloriandi materia: nempe quod nocti sitis talem Apostolum tamque sincerum Euangelij prædicatorem , qui non sua querat , sed tantum ea quæ Iesu Christi sunt ac vestræ salutis.

Sicut & vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi] & vos nostra , scilicet gloria seu gloriatio, estis.

Et hac confidentia volui prius venire ad vos , ut secundam gratiam haberetis] hoc est: ut ex secundo meo aduentu secundam acciperetis gratiam , qui dudum accepistis primam, quando primum istuc veniens ad fidem vos conuersti. Gratiam intelligit spirituale beneficium ad veram pietatem

Aa 5 per

VER. 13.

VER. 14.

VER. 15.

pertinens, vti sunt fides, spes, charitas, cæteræque Christianæ virtutes, & earum incrementa.

VER. 16. *Et per vos transire in Macedoniam: & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudeam.*

VER. 17. *Cum ergo hoc (venire scilicet ad vos) voluisse (nec tamen id præstiterim) nunquid leuitate usus sum?] nunquid volens ac statuens illud facere, quod tamen postea non feci, leuiter ac temerè illud volui?*

Quid, cogitare secundum carnem cogito.] Secundum carnem cogitare est cogitare more hominum carnalium, id est, in cogitationibus suis ac studiis obsequi carnali cipiām affectui, velut avaritiæ, ambitionis, aut consequendi cuiuscunq; commodi temporalis.

Vi sit apud me Est & Non?] vt in promissis instabilis sim & vanus, vt modò affirmem me ad vos venturum, modò reuocem, & negem, vti pueri facere solent. ita Anselmus.

VER. 18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non,] q.d. Deum veracem testor, vel nouit Deus, qui fidelis & verax est testis, me vos dicendo non fecellisse, ac proinde nec iam non veniendo ad vos, vti statueram, fallere voluisse.*

VER. 19. *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos predicatus est, per me & Siluanum & Timotheum.] Silam siue Siluanum Apostolum & Timotheum fuisse Pauli cooperarios in prædicando Corinthiis Euangelio potest intelligi ex Act. 18.*

Non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit] q. d. Doctrina & prædicatio mea de Christo Dei filio non fuit Est & Non, id est varia, inconstans, & sibi contraria, sed Est in illo fuit. q.d. Fuit constans affue

asseueratio : quia idem semper de Christo affir-
maui & docui.

Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est.] VER. 20.
Sensus est : Omnes Dei promissiones quascun-
que vobis annunciauimus, per Christum sunt
ratæ, validæ & immutabiles ; quia per eum com-
plentur.

Ideo & per ipsum Amē Deo ad gloriam nostram.]
Græca sic habent : *& in ipso Amen Deo ad gloriam
per nos, id est, per ministerium nostrum.*

*Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & VER. 21.
qui vnxit nos, Deus : qui & signauit nos, & dedit pi-
genus Spiritus in cordibus nostris] id est, tanquam VER. 22.
sigillum quoddam nobis impressit Spiritum san-
ctum largiendo varia eius charismata, quæ sigil-
li instar nos probent veros Dei nuncios ac mi-
nistros. qui idem Deus dedit in cordibus nostris
arrham suarum promissionum, ipsum Spiritum
sanctum.*

Ego autem testem Deum inuoco in animam meam] VER. 23.
ac si diceret; Perdat me Deus, nisi vera dixerim. Si
mentior, Deus vindicta puniat & damnet animam
meam.

Quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum]
ne scilicet vti cogerer auctoritate Apostolica
contra vitia, & delinquentes in vobis: sed parcens
vobis abstinui, ne cum correctione ad vos ve-
niens, vos contristarem. ita Anselmus.

Non quia dominamur fidei vestrae] non quod Quid do-
minemur vobis fide, id est, propter fidem ve-
stram, quam nostro magisterio didicistis : quasi
propter eam ius aliquod ac potestatem, qualis
est dominorum, ego & confortes mei in vos
vsurpare velimus. ita Theodoretus & Photius.

Est

Est autem dominari, præesse cum ostentatione potestatis, eaque abutia ad priuata commoda.

Sed adiutores sumus gaudiū vestri, adiutores. Græcè cooperatores, quin potius, inquit, ideo dixi *parcens vobis*; quod vna studeamus procurare gaudiū vestrum. nam fide statis] quæ per dilectionem operatur, non per dominium cogitur, inquit Anselmus. quasi dicat, In fide vestra non habeo quod corrigam, sed tantum in moribus, quos, quia fideles estis, non imperiosè redarguam, sed leni monitione hac epistola reformabo, ut leniter emendati mecum vna omnes gaudeatis: quia enim verè fideles estis, hinc non dubito vos statim meis monitis obsequentes fore.

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Scribit idcirco se non venisse, ne eos tristitia afficeret. Hortatur ut fornicario iam satis afflictō condonationem vna secum faciant.

Addit de Tito non inuenio: & de Euangelio per suam prædicationem instar boni odoris latè disperso, licet non ab omnibus recepto. Notat insinceros Euangelij ministros.

VER. I. **S**tatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos] scilicet non venire ad vos, & parcere vobis vestrisque delictis, vt dixiv. 22.

Si enim ego contristfo vos] hoc est, et si contrista- VER. 2.
ui vos per epistolam primam obiurgaticem , ta-
mén iam létificor vobiscum infornicarij , & ve-
stra pœnitentia & tristitia.

Et quis est qui me latifecet, nisi qui contristatur ex
me?] q. d. Maximè me létificat is, qui ad meam
obiurgationem dolet & pœnit, scilicet ince-
stuosus ille fornicarius , quem excommunicauit
epist. i . c. 5. ita Ambros.

Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero tri- VERS. 3.
stitiam supra tristitiam habeam, de quibus oportuerat
me gaudere] q.d. Volui per epistolam præmissam
vos obiurgare & corripere , ne coram vobis co-
gerer obiurgare, quod mihi valdè triste foret.

Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium
omnium vestrum est] omnino confisus sum fore, ut
quod mihi displicere intelligeretis, statim tollere-
tis, quia mea gaudia existimatis vobis esse commu-
nia, & consequenter dolores meos æstimatis esse
vestros, ut quod mihi displiceret, & vobis displiceat.

Nam ex multa tribulatione & angustia cordis VERS. 4.
scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini;
contristaremni. scripsi , inquit , non intendens
malum tristitiae vestræ ; sed bonum aliquod ei
coniunctum, scilicet emendationem vestram.

Sed ut sciatis quam charitatem habeam abundan-
tius in vobis] erga vos. ut intelligeretis quantum
vos diligam.

Si quis autem contristauit , non me , scilicet so- VERS. 5.
lum , contristauit fornicarius, de quo epist. i . cap.
5 . sed ex parte] quia mecum multos alios bonos
contristauit, ait Anselmus: qui eum excommuni-
catum à me , è cætu suo cum obiurgatione eie-
cerunt.

Vi non onerem omnes vos] hac infamia & suspicione, quasi putem non esse multos qui doleant propter illum incestum. Priori enim epistola cap. 5. videbatur omnes culpasse, quasi consentientes vel dissimulantes illum incestum. & vos ait, inflati estis, & non magis luctum habuistis.

VER. 6.

Sufficit illi qui huinsmodi est, obiurgatio hac que fit à pluribus] hac illa publica scilicet separatio & confusio, qua à tota Ecclesia cieetus est incestuosus. *Sufficit illi tali, scilicet ei qui Ecclesiam contristauit.* Sufficit, inquam, pro satisfactione sui delicti: ita nimis longe maiorem ac diutinorem meritum postuleat; reliquum tamen pœnae per indulgentiam ei condonetur. hinc patet eum post excommunicationem pœnituisse. vnde laxat & absoluit cum Apostolus hic.

VER. 7.

Ita ut è contrario magis donetis, & consolemini.] Donare pro condonare, remittere gratiam debiti facere. Sensus est: Ita ut è contrario, id est, loco severitatis qua longiorem adhuc pœnam exigere possetis, potius vti vos oporteat lenitate & indulgentia, qua condonetis ac remittatis quicquid ei pœnae reliquum est.

Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est] vt ea prorsus obruat hominem, patiatque in eo effectus ex immodico mœrore consequi solitos: vti sunt animum despondere, spem salutis abiicere, pietatis operibus renunciare, totum se mundo dedere, &c.

VER. 8.

Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem] id est, vt publico Ecclesie consensu declaratis vos denuò illū pro fratre cōplecti.

VER. 9.

Ideo enim scripsi] scilicet hanc epistolam, vt confir-

confirmetis in illum charitatem, ut præcessit.

Ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obediētes sitis] vt videā, vtrū, sicut obediētis in eo excōmunicando, sic & obediatis in recipiēdo.

*Cui autem aliquid donastis, & ego] cui gratiam VER. 10.
& remissionem fieri per Titum rogasti, & ego,
scilicet donari illi, & condonari rogo. ita Theodoreetus.*

*Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter
vos, in persona Christi.] Hoc autem in persona Christi,
non est aliud quām nomine, vice & auctoritate
Christi: cuius scilicet personam Paulus ge-
rebat. q.d. Condono vice & auctoritate Christi,
cuius personam gero, qui dixit: Quidquid sol-
ueris super terram, erit solutum & in cælo.*

*Quid, in
persona
Christi.*

*Vi non circumueniamur à Satana] ne decipi-
mur, vt scilicet fornicarius ille ob nimium rigo-
rem à Satana in desperationem impellatur.* VER. 11.

*Non enim ignoramus cogitationes eius.] Tertul-
lianuſ lib. de Pudicitia cap. 13. legit: Non enim
ignoramus iniectiones eius, puta rapinas eius.*

*Cum venissem autem Troadem, propter Euange- VER. 12.
lium Christi; subaudi prædicandum, & ostium
(aditus magnus) mihi apertum esset in Domino] in
negotio Domini, scilicet ad propagandum eius
Euangelium. ita Anselmus.*

*Non habui requiem spiritui meo (in spiritu, id est,
in animo meo) eo quod non inuenerim Titum fra-
trem meum] in Euangelio prædicando adiutorem
& socium. Primasius hanc adfert causam, cur Tito
non inuenio requié Apostolus non habuerit: quia
per Titū quem Corinth. miserat, exspectabat vt
sibi nūciaretur, an Corinthij iam se correxisserent.
Requiem ergo spiritus Pauli non habebat, eo
quod*

quod Titum non inuenisset, scilicet Corintho reuersum: ut eius relatu certior de rebus Corinthorum fieret. Et haec Apostolus scribit, ait Primasius, ut intelligent ipsum omnia propter charitatem fecisse. Ergo quod dicit tale est: Postquam Epheso digressus veni Troadem Euangelij causa: quamuis in ea vrbe spes copiosi fructus appareret; adeo tamen rerum vestrarum cura ac sollicitudine tenebat, ut illic non putauerim mihi subsistendum, eò quod Titus quem à vobis expectabam, non aduenisset.

Sed valefaciens eis profectus sum in Macedonia.] scilicet Titum illuc exspectaturus, & ex eo de vobis aliquid certi cogniturus.

VER. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo] triumphat, id est, triumphare facit. ita Ambr. Ansel. Videtur Apostolus in Macedonia acres persecutiones pertulisse. vnde c. 7. dicit se ibi omnem tribulationem passum: foris pugnas, intus timores: sed Dei gratia haec omnia superauit cum gloria & triumpho. Triumphus enim Dei est, inquit Hier. passio martyrum pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta laetitia.

*Trium-
phus Dei
est passio
martyrum.* Et odorem notitia sua manifestat per nos in omni loco] odor notitiae Dei, id est, famae eius, à nobis quam longissime diffunditur.

*Apostoli
bonus o-
dor Chri-
sti.* Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi sunt, & in iis qui percunt] nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo: & prædicationis nostræ longè latèque spirat fragrantia, ita Hier. Bonam Christi famam verbo, & exemplo spargimus in honorem Dei, apud omnes, non eos solum qui credunt & salvi sunt, verum etiam qui credere nolentes percunt.

Aliis

Aliis quidem odor mortis in mortem , aliis autem
odor vitae in vitam] Sicut fragrantia vnguenti co-
lumbam vegetat, scarabeum necat: ut ait Oecum.
sic & lumen solis oculos sanos recreat , debiles
offendit: & ignis aurum purgat, stipulas absunit:
& ipse Christus aliis in ruinam , aliis in resurre-
ctionem positus est, Luc. 2.

Et ad hæc quis tam idoneus?] quasi dicat: Quām
pauci tam idonei ministri, qui vbiique sunt bonus
odor Christi? ita Ambrosius.

Non enim sumus sicut plurimi , adulterantes ver-
bum Dei] adulterantes, id est, quod sincerum est
corrumptentes. adulterat ergo verbum Dei , qui
veritati falsitatem coniungit. vnde S. Greg. 22.
Moral.c.17. Adulterari , inquit, verbum Dei, est
aut aliter de illo sentire quām est ; aut ex eo non
spirituales fructus, sed adulterinos fructus quære-
re laudis humanæ : ex sinceritate vero loqui , est
nil aliud in eloquio quām oportet ; scilicet au-
ctoris & creatoris gloriam quærere.

VER. 17.
Adulte-
rantes
verbum
Dei qui
dicatur.

Sed ex sinceritate , sed sicut ex Deo, coram Deo, in
Christo loquimur] Loquitur verbum Dei ex since-
ritate , qui neque Dei verbum adulterat admix-
tione alienæ doctrinæ, neque eo abutitur ad quæ-
stum aut gloriam humanam , coram Deo , vel in
conspictu Dei. in Christo , pro in Christi verita-
te, fidelitate, & sinceritate, scilicet loquor & præ-
dico, aliter S. Chrysost. in Christo, inquit, id est, per
Christum & Christi gratiam.

CAPVT III.

S V M M A R I V M.

Negat Apostolus aliena commendatione se indigere , cùm fructus sua apud Corinthios predicationis satis ipsum commendet. Ministerij nouæ legis , qua spiritus & iustitia subministratur , præ ministerio veteris legis , quæ fuit in litera occidens , excellentiam demonstrat : docetq; Iudeis adhuc velatum esse , quod noui Testamenti ministris reuelatum est.

VERS. 1. *[Ncipimus iterum nosmetipſos commendare?] nunquid hæc dicimus , tanquam volentes nos vobis & aliis commendare?*

Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendationis epistolis ad vos , aut ex vobis?] ex id est , à vobis scriptis epistolis , quibus apud alios commender? sicut quidam , supple , egent ; seu potius , faciunt : id est , commendatitias vndique studiosè conquirunt.

VERS. 2. *[Epistola nostra vos estis] vos , ô Corinthij , mea operâ conuersi , estis mihi instar epistolæ commendatitiae ab omnibus lectæ & intellectæ , quam pro mea commendatione exhibeo , quibus volo . Omnes enim sciunt , quales fueritis ante conuersionem.*

Scripta in cordibus nostris] Sensus: Eam epistolam , quæ vos estis cordi meo inscriptam & impressam

pressam vbique circumfero. Inscriptiōnem intel-
lige per memoriam & amorem.

Quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus]
quam epistolam omnibus in promptu est inspi-
cere & legere , perinde ut literas patentes , om-
niūmque oculis expositas.

Manifestati quod epistola estis Christi] manifesta- VERS. 3.
ti, id est, de quibus manifestum est, & palam con-
stat, quod epistola estis Christi.

Ministrata à nobis] hoc est , nostro ministerio
conscripta. Christus, inquit, huius epistolæ prin-
cipialis est auctor, idēmque nobis ministris ad eam
scribendam usus est.

Et scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui,
non in tabulis lapideis] quomodo nimirum scripta
fuit lex vetus populo Iudaico per Moysen data.

Sed in tabulis cordis carnalibus] id est , carneis,
puta in corde , molli , ductili , docili , id est , facili-
bus & promptis ad obediendum. Ipsi Corinthij
fideles, scripta in tabulis cordis carneis , in quan-
tum fides & charitas & cætera quæ lex noua præ-
cipit, in eorum cordibus impressa erant per Spi-
ritum sanctum.

Fiduciam aniem talem habemus per Christum VERS. 4.
ad Deum] quia confidenter gloriāmur in Deo,
de hac Dei, nostrāque epistola , deque ministerijs
nostrī dignitate & fructu præ ministerio Moysis
& aliorum veteris testamenti ministrorum. ita
Anselmus.

Non quod sufficiētes simus cogitare aliquid à no- VERS. 5.
bis, quasi ex nobis] aliquid , scilicet boni , quod
spectet & ordinetur ad fidem , gratiam , meri-
tum , & salutem æternam , ut quis idoneus sit mini-
ster noui Testamenti , ut præcessit. *Quod si ex*

se nemo potest cogitare tale aliquid, ergo multò
minùs operari. ita Concilium Arausicanum can.
7. & D. August. de prædest. Sanctorum, c. 2.

Sed sufficientia nostra ex Deo est] quòd idonei
sumus ad aliquid boni vel cogitandum vel agen-
dum: & semel, quidquid boni possumus, id totum
ex Deo est per Christum.

VERS. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamen-
ti] qui Deus, inter alia bona quæ ex ipso habe-
mus, etiam hoc nobis Apostolis contulit, quòd
aptauerit & idoneos reddiderit noui Testamen-
ti ministros: idoneos autem, id est, non quæ no-
stra sunt, quærentes, sed ea quæ Iesu Christi.*

*Non litera sed spiritu] non lege, sed gratia. q.d.
Fecit nos idoneos ministros noui Testamenti:
non inquam ministros literæ, id est, legis scriptæ
& datae per Moysen, quæ est lex vetus: sed mini-
stros Spiritus, hoc est, ministros legis nouæ, qua
Spiritus sanctus datur ad legem implendam.*

*Litera enim occidit: Spiritus autem vivificat] lex
scripta, quam Deus per Moysen dedit, si sola sit
ac spiritu destituta (quod est lex vetus) occidit,
hoc est, eos quibus data est, æternæ morti reddit
obnoxios: non quidem per se suóque vitio (lex
enim sancta, & mandatum sanctum & iustum &
bonum, Rom. 9.) sed ex occasione latentis in eis
concupiscentiae. de qua sub nomine peccati ita
scribit Apostolus eodem loco: *occasione accepta,*
&c. litera occidit per occasionem: occasionaliter
enim lex acuit & incitat concupiscentiam & pec-
catum, quod occidit animam. ita Augustinus &
Anselmus.*

*Litera occidit] quia Moyses cum legem dedit,
nil nisi litteram dedit: Christus autem simul cum
lege*

lege Spiritum dedit, ita Augustinus lib. de spir.
& lit. cap. 4.

Spiritus vivificat] Primò, quia Spiritus gratiæ & charitatis vitam supernaturalem dat animæ. Secundò, quia impellit, & indit motum & agilitatem ad bona opera, & ad legem implendam. Tertiò, quia dirigit ad vitam æternam, quam suis observatoribus lex promittit. Huius vitæ & spiritus ministri à Christo missi fuerunt Apostoli.

*Spiritus
triplici-
ter viui-
ficat.*

Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria] id est, si ministerium & promulgatio legis veteris mortem & damnationem comminantis & inferentis, fuit in gloria, id est, valde glorioſa: scilicet cum tonitru, tuba cælesti, terræ motu montis Sina, splendore vultus Moysi, glorioſe magnificè que lex vetus promulgata fuit. *deformata*, Græcè, impressa & inscripta tabulis lapideis. Nota. Paulus hic legem veterem vocat mortis ministram, & quasi lictorem; eo quod ipsius esset occidere quidem reos, non autem vivificare obsequentes.

Ita ut non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius quæ evanescatur] ita lucida erat facies eius, ut radios luminis vibraret, eiisque quasi cornua emitteret. *quæ evanescatur*, quæ scilicet gloria auferenda erat à Moyse: hi enim radij, & hic splendor, vti & vita, Moy sen morientem deseruerunt.

Quonodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?] id est, cur non magis ac potius ministerium nouæ legis, quæ vivificantem Spiritum subministrat, glorificabitur? scilicet ea gloria quæ in futurum sæculum promissa est. De qua gloria loquitur expressius Roman. 8. vocans eam

gloriam adoptionis filiorum. Nam licet illa sit futura communis omnibus electis; longe maior tamen iis continget, qui se prebuerint idoneos noui Testamenti ministros: ut per quos ceteri fuerint ad gloriam adducti. Patet haec gloria legis nouae in spiritu vehementi, ac linguis variis & igneis, quae in Pentecoste, cum lex noua est promulgata, Apostolos omnibus Gentibus gloriofos effecerunt, Act. 2.

VERS. 9. *Nam si ministratio damnationis gloria est*] quod si ministerium legis, quae reddit homines aternae damnationi & morti obnoxios, gloria fuit, id est, res gloria: sequitur

Multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria] abundat, idem quod excellit. Igitur, inquit, multo maior & excellentior debetur gloria ministerio nouae legis, quae iustitiam confert, qua damnatio mortis evaditur & vita acquiritur. Est autem obseruandum hoc loco, Paulum non comparare Moysen cum Christo, sed cum Apostolis Christi.

VERS. 10. *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam*] q.d. Atque adeo gloria Moysis in Sina non est dicenda gloria hac in parte, si videlicet comparetur cum Apostoli munera gloria, propter eius gloriam excellentem, qua longe praezellit Moysi. ita Chrysostomus.

VERS. 11. *Si enim quod euacuatur (Moyses scilicet & lex euacuanda & abolenda per Christum) per gloriam est (in gloria est, gloria est) multo magis quod manet (scilicet lex noua Christi) in gloria est.*

VERS. 12. *Habentes igitur talem spem*] quod Dominus per nos Apostolos spiritum gratiae diffundat, nosque ita

ita glorificabit deinceps præ Moysè, ut fecit
haec tenus, ita Chrysostomus.

Multa fiducia utimur] confidenter euangeliza-
nus, cum libertate, ingenuè, aperte, ita Chrysost.

Et non sicut Moyses ponibat velamen super faciem
suam] q.d. Moyses velabat faciem suam; nos
contrà, non velamus faciem Christi, sed illum
magna libertate omnibus proponimus Non oc-
cultamus Euangelij lucem, sicuti Moyses in typo
fecit occultans eam Israëlitis.

VER. 13.
Velamen
super fa-
ciē Moy-
si.

Vi non intenderent filij Israël in faciem eius, quod
euacuatur] Sensus est: Moyses velo texisse fa-
ciam, ad significandum filios Israël non potuisse
mentis oculos intendere in Christum, qui finis
est eius ministerij, quod abolendum erat.

Quod euacuatur] quod scilicet velamen Moy-
sis abolendum erat per Christum. De velaminis
enim huius reuelatione per lucem & legem noui
Testamenti agit in sequentibus. ita Anselmus.
Nota cum Theod. splendor vultus Moysi ñstar
solis significabat claritatem & gloriam Christi
& legis nouæ; velamen vero significabat um-
bram, crassas cærimonias, obscuritatēmque
legis Moysis.

Sed obius sunt sensus eorum] ut significetur si.
lios Israël, idèo non intendisse animum in finem
legis, quod haberent sensus animi obtusos, ob-
duratos, & excæcatos.

VER. 14.

Visque in hodiernum enim diem id ipsum velamen
in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum]
Idem illud velamen quod olim super faciem
Moysi positum prohibebat eius intuitum, re-
manet in praesens usque tempus, non reiectum, si-
ue non ablatum à cordibus Iudæorum, quoties

libros veteris Testamenti legunt.

Quoniam in Christo euacuatur] q.d. Per gratiam & fidem Christi euacuatur & tollitur hoc velamen, ut clarè vetus testamentum, Christumque eo significatum intelligamus & videamus.

VER. 15. *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur (à Iudeis in Synagoga) Moyses (lex & vetus Testamentum) velamen positum est super cor eorum] Hoc velamen est pertinax & crassa ac obstinata inhæsio, qua Iudei mordicus adhærent carnalibus sacrificiis, & ritibus legis veteris, itaque excæcantur ut non videant Christum per illos ritus adumbratum.*

VER. 16. *Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen] Moyses auersus à Domino, & facie velatus, significauit populum veterem Deo contrarium, & cor habentem obscuratum. Idem verò Moyses conuersus ad Dominum, atque reiectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad Deum conuersi, & reuelata cordis facie salutis mysteria contemplantis.*

VER. 17. *Dominus autem Spiritus est] nimirum ille Spiritus quem hoc capite iam aliquoties nominauit: id est, Spiritum Dei viui, per quem nouum Testamentum distinxit à veteri, & cuius suppeditandi ministrum se docuit: quem etiam statim Spiritum Domini nuncupat. Connexio talis est: Moyses ab Israële conuersus ad Dominum, à litera ad spiritum. Nam Spiritus ille Dominus est. Hoc addit, ut volunt Chrysostomus, Theodoreetus, & Oecumenius; ne minùs aliquid nobis præstitum videatur, qui conuertimur ad Spiritum, quam Moysi, qui conuerterebatur ad Dominum; quum Spiritus ipse sit Dominus. Hic enim*

enim Dominus ad quem conuertentur est Spiritus, & Spiritus sanctus dabit eis legem spiritus & libertatis; vt spiritualibus oculis & sensibus videant Christum in lege velatum & absconditum, illumque adorent & colant in spiritu & veritate.

Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas] Intendit hac parte explicare mysticam significationem ablati velaminis. Ut enim velum impositum subiectionis ac seruitutis cuiusdam indicium est in eo cui imponitur: quemadmodum docet Apostolus 1. Corin. 11. v. 10. ita velaminis ablatio significationem habet donatæ libertatis, quæ donatione fit non per literam, sed per spiritum. vt sensus sit; Spiritus Domini, cum ipse sit Dominus, ideoque liberrimus, de quo scriptum est, quod vbi vult spirat, Ioann. 3. & quod omnia operatur prout vult, 1. Corint. 12, tanquam velamine seruitutis ablato, libertatem communicat iis quos inhabitat, id est, Christianis: libertatem utique spiritualem, quia Spiritus est a seruitute legis & peccati eos liberans. Pro libertate, Græcè est, spontanea, ingenua libera, & clare illuminata voluntas, vt scilicet ablato legis Moysi velamento clara & spontanea voluntate ambulemus secundum legem Dei. Duplex est hæc libertas. Prima, vt Chrysostom. est intellectus, estque clara notitia mysterij Trinitatis, Incarnationis, &c. que Iudæis obscura erant. item veræ religionis & diuini cultus, quem Iudæi putabant consistere in mactatione boum & arietum, cum Deus coli velit & adorari in spiritu & veritate. Vbi aduerte: sicut crassities, hebetudo, obscuratio, ignorantia intellectus, qua mens, quasi tenebris, vinculis &

Libertas
qua signe
ficata per
ablatio-
nem ve-
laminis.

Duplex
libertas,
intel-
lus &
afflictus.

carcere constricta tenetur, rectè dicitur seruitus & seruilis conditio; ita è contra illuminatio, claritas, & clara intellectus cognitio rectè dicitur libertas; qua mens ignorantia, erroribus, crassisque rerum speciebus libera, liberæ veritati, Deo, rebusque diuinis & spiritualibus vacat & intendit. Secunda libertas, vt docet S. August. est affectus, estque amor iustitiae, non timor vindictæ, vt scilicet sponte & liberè legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ. hæc enim libertas & spiritus amoris Christianorum opponitur seruituti & timori seruili Iudæorum.

VER. 18. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes] ac si dicat: Non facimus ut Moyses, velo faciem suam occultans: sed reuelata facie gloriam Domini in ea recepta, exhibemus. Nam Specu-lantes, idem est hoc loco quod instar speculi suscipientes atque reddentes. A speculo, non autem à specula dixit speculantes, id est, per speculum videntes, non de specula prospicientes, inquit sanctus Augustinus, & patet ex Græco, nam Græcè est: quasi in speculo intuentes. Nota. Apo-*

Verbum carne vestitum, & spectabile factum, quodque in Euangelio & Ecclesia spectandum proponitur, & Moy-sus velato opponitur. Vnde cap. seq. vocatur imago Dei; Christus enim, quæ Deus, est Verbum & speculum Patris; quæ homo, est speculum dei-tatis, eiisque gratiæ & gloriæ; ac consequenter Euangelium Christi non est aliud, quam specu-lum gloriæ Dei, idque clarissimum & lucidissi-mum. Potest per speculum hoc accipi fides, per quam quasi speculum, sed ænigmaticum & ob-

scursum,

scurum Deum & diuina contemplamur.

In eandem imaginem transformamur] quasi dicat: Cùm Dei gloriam in Christo, eiúsque Euangelio, quasi in speculo intuemur, per hoc, quasi in eandem Dei gloriam transformamur, eámque in nobis repräsentamus. Videtur autem hic esse sensus; Eiusdem gloriæ imagine in nobis, ut in speculo recepta, velut in eam transformamur. Nam imago in speculo quodammodo forma speculi est.

Transformamur] non essentialiter, quasi essentia nostra transformetur in essentiam diuinam, sed transformamur accidentaliter, ut scilicet quasi per reflexionem radiorum lucis Christi quasi speculi in nos, fiamus lucidi luce fidei, & gratiæ Christi, adeoque fiamus quasi specula iubar diuinum emittentes, & quasi soles quidam alios illuminantes, inquit Chrysost. inò fiamus quasi dij, diuinæ consortes naturæ, quos, ut ait Paulus, præscivit & prædestinavit, (Deus)conformes fieri imaginis filij sui.

A claritate in claritatem] vel, à gloria in gloriam; à claritate Christi in claritatem nostram, ut fiamus clari & lucidi sapientia, & gratia ad instar Christi.

Tanquam à Domini spiritu] vox tanquam significat causam congruam & dignam tantæ transformationis. q.d. *tanquam*, id est, sicut decet Spiritum Dei nos transformare. Porrò tota sententia Paulina potest ad hunc modum explicari. Nos autem omnes noui Testamenti filij, quos Moses reuelata facie cum Domino loquens, eámque ex consortio sermonis Domini splendidam ac radiantem habens, significauit; itidem facie mentis

*Imago in
speculo
forma
speculi.*

*Quid, à
claritate
in clari-
tatem.*

mentis reuelata , gloriā Domini per fidem in-
tuemur, eiūsque splendorem in animis nostris ve-
lут speculis quibusdam recipientes, quodammo-
do transformamur ad eandem imaginem, hoc est,
ad similitudinem gloriae Dei; idque à claritate
Dei in claritatem nostram, id est, claritate seu glo-
ria Dei in nobis expressa ac representata, perin-
de ut olim in facie Moysi. Transformamur, in-
quam, velut à Domini Spiritu, vel à Domino Spi-
ritu. Dicit autem Apostolus, *nos omnes*, ut significet
id quod vni Moysi quondam in figura ac myste-
rio contigit, nunc in veritate toti Ecclesiæ fide-
lium competere. Caietan. Gaignæus & alij non-
nulli exponunt de solis Euangelij ministris.

C A P V T . I V .

S V M M A R I V M .

Scribit se suosque collegas sincere & palam a-
pud omnes (licet quidam pre mentis caci-
tate non credant) annunciare Euangelium
Christi: & quamvis infirmos & multis mo-
dis afflictos propter Christum haudquaquam
tanzen deficere: videlicet ob spem repositam
sibi pro temporaria afflictione , gloriae æ-
ternae.

VERS. I.

I Deo habentes administrationem , iuxta quod mi-
sericordiam consecuti sumus] cùm igitur , inquit ,
hoc tam excellenti ministerio fungamur : non
nostris

nostris meritis , sed gratuita Dei benignitate & electione ad illud vocati.

Non deficitus] non succumbimus malis & aduersitatibus, quæ nobis accidunt huius ministerij causa; non concidimus animo.

Sed abdicamus] Græcè abnegamus , renunciamus. Syrus, execramur. VERS. 2.

Occulta dedecoris] id est , occulta dedecorosa, quæ solent à peccantibus occultari , ne per ea in probrum & infamiam incident. Hoc igitur est, quod dicit: Longè sumus ab omni etiam occulta, vitæ turpitudine.

Non ambulantes in astutia] vt aliud palam ostendamus, aliud occultè faciamus. Notat libidines pseudoapostolorum , & voluptates occultas. Nam vt ait Ephes. 5. Que in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere.

Neque adulterantes verbum Dei] Adulterant, id est, dolosè tractant, Dei verbum, qui non dispensant illud quale traditum est, integrum, purum ac sincerum : sed permixtione sapientiæ sacerularis, aut Iudaicæ doctrinæ corrumpunt & vitiant: aut certè in eo ministrando non Dei gratiam quærunt, sed suis commodis obsequuntur.

Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmeipso ad omnem conscientiam hominum corā Deo] Tam vitæ nostræ quam doctrinæ sinceritas omnibus est manifesta , ac seipsum apud omnes commendat & probat: adeò vt nec ipsum Deum, qui cordium intuetur occulta, iudicem refugiat.

Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum ; in iis qui pereunt, est opertum] in iis, id est, apud eos: nisi malis. sensus est: Quod si adhuc velatum & occultum est quibusdam Euangelium , quod prædi

prædicamus : dumtaxat iis qui pereunt , id est ,
reprobis , velatum est & occultum . Vnde quod
dixit capite præcedenti de Iudæis Euangelio
non credentibus , velamen esse positum super
cor eorum , id nunc vniuersè de reprobis si-
gnificat.

VERS. 4. *In quibus Deus huius saeculi excecauit mentes infidelium]* Oecumenius & S. Thomas : Deus , in-
quiunt , huius saeculi est diabolus , qui Deus est
saeculariter viuentium , non creatione , sed sua
perueritate , exemplo , imperio & suggestione:
ideò enim non Deum vocat , sed alienando
Deum huius saeculi , id est , saecularium , qui tem-
poralia & caduca preferunt cælestibus & æter-
nis bonis . *Deus huius saeculi est mammona , siue*
opes , & pompæ , in quibus saeculares ultimum
fiçem & omne bonum quasi in Deo consti-
tuunt . Sic ad Phil. 2. dicitur : Quorum Deus ven-
ter est . Significatur autem his verbis velum op-
positum mentibus infidelium , ipsa nimirum cæ-
citas inducta à diabolo .

Velum mentibus infidelium oppositum.
Vi non fulgeat illis illuminatio Euangeli gloria Christi] Pro fulgeat , Græcè , irradiet . Syrus : oria-
tur . Est sublustre quiddā , & prægustus claræ lu-
cis , siue illuminationis & gloriae diuinæ , quæ re-
uelabitur in cælis . sicut enim aurora & lucifer ,
siue stella Veneris præit & prælucet soli : sic fides
in hac vita quasi lucifer præit & prælucet clarissimæ
gloriae , & visioni in cælis . Textus Ambro-
fianus sensum magis quam verba reddit : *Vi non*
peruideant lumen Euangeli maiestatis Christi .

Euangeli gloria Christi] Euangelium enim di-
citur gloria Christi , quia illo glorificatur Christus ,
Christi redēptio , resurrectio , diuinitas . ita Ansel.

Qu

Qui est imago Dei] Christus, cùm sit imago Dei, non qualisunque, sicut homo, ad imaginem, & similitudinem Dei factus, sed omnibus, vt ita dicam, numeris absoluta atq; perfecta; non quidem illuminatur à Deo, quia lumen non accipit participatiuè, sed à Deo Patre emanat tanquam lumen de lumine. Loquitur enim Apostolus de Christo secundùm naturam increatā, secundùm quam imago Dei dicitur, & hoc loco, & Coloss. I. quia natus ex Deo, perfectissimè Patrem Deum repræsentat: adeò vt rogatus ostendere Patrem, responderit, Qui videt me, videt & Patrem, Ioan. 14. Qua ratione etiam Hebr. 1. vocatur splendor gloriae Dei, & figura substantiæ eius. & Sap. 7. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.

Non enim nos metipsoſ prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum] hoc est, in Euangelio prædicando non nostram spectamus gloriam, nec nostra studemus utilitati; quemadmodum faciunt pseudoapostoli: sed prædicamus Iesum Christum Dominum, id est, omnis prædicatio nostra ad eum refertur, vt Dominum nostrum; vel absolute, vt Dominum totius creaturæ, etiam secundùm humanam naturam.

Nos autem seruos vestros per Iesum] propter Iesum, supple exhibemus, palam fatemur nos non aliud esse quam seruos vestros propter Iesum Dominum, à quo ministeriu hoc nobis iniunctu est.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipſe illuxit in cordibus nostris] quia Deus est, qui dixit, id est, iussit, suæ voluntatis imperio fecit, de tenebris, vel è tenebris, scilicet illicis quæ prius erant super faciem abyssi, lucem splen-

Christus
imago
Dei qua-
litas

VERS. 5.

VERS. 6.

splendescere , dicendo , Fiat lux , Genesis cap. 1 .
Et idem est qui resplenduit in cordibus nostris ,
id est , lumen fidei & cognitionis mysteriorum
Christi , mentibus nostris , id est , Apostolorum , in-
fudit ac superfudit .

Ad illuminationem scientia claritatis Dei. Sen-
sus : Deus illuxit nobis , ut nos illuminaremus alios ,
refuso videlicet à nobis in illos eodem lumine
cognitionis gloriæ eius . *in facie Christi Iesu]* ut il-
luminati illuminemus & alios *scientia* , & cogni-
tione *claritatis* , hoc est , clara & gloriosa : *Dei* , id est ,
quæ est de Deo , quæ resplendet *in facie Christi* ,
hoc est , in clara , vel per claram cognitionem
Christi , & redemptionis eius ; vulgo enim clare
cognoscitur quisque per faciem . Hinc cognosce-
re in facie , significat cognoscere clarè & apertè .
Persistit in allusione velaminis , & faciei Moysis
velatae , & Christi apertæ .

VERS. 7.
*Thesau-
rum quæ
vocet A-
postoli.*

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus] Porrò thesaurum tanquam rem valde pre-
ciosam , vocat munus sibi creditum à Deo , hoc
est , ipsum ministerium Euangeli . neque tamen
aberrant qui thesaurum intelligunt illuminatio-
nis ; velut Aquinas & alij : idque suffragante Ter-
tulliano , qui thesaurum interpretatur de lumine .
in vasib[us] fictilibus , Græcè , testaceis , id est , in corpo-
re luteo , fragili , caduco . quasi dicat Paulus , Vas
fictile corpus nostrum est . ut sensus sit , Aposto-
los gestare pretiosum ac lucentē Euangelici mi-
nisterij thesaurū in seipsis tanquā vasib[us] fictilibus .

Vt sublimitas sit virtutis (id est , potentiae & for-
titudinis) *Dei* , & non ex nobis] Pro ut sublimitas .
Ambr. legit : *vt eminentia virtutis sit Dei* . q. d. Ideò
vult Deus me thesaurū istū habere in vase fictili ,

vt ex

vt excellentia quæ in me est, & fructus quem facio in conuersione tot Gentium, non mihi, sed potentiae & efficaciae Dei, ac gratiae Christi adscribatur. S. Hieronymus legit: ut abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur] Sensus est: Quamuis vndeque premamur rebus aduersis; non tamen ita redigimur in angustum, ut comprimamur & conteramur; sed Dei ope seruamur in mediis presluris. Pro non angustiamur, græcè est, non coarctati, non anxi redditi. Alioqui necessarium est, ut qui premuntur, is adigatur in angustum, & angustietur: sed Apostolo rebus in angustis mens erat lata, ampla & excelsa. Syrus vertit: premimur, sed non suffocamur.

VERS. 8.
Angustia
ri quid.

Aporiamur, sed non destituimur] hoc est, rerum omnium penuria premimur, at non opprimimur. ita Ambros. Theophyl. egentes, sed egestati non succumbentes. Egestas enim in animo patienti, sapienti, tranquillo, & in Deum defixo, quietem, sufficientiam, imò & copiam parit. Est enim aporia, inopia non tantum corporis, sed & animi, puta consilij, inopia, dubitatio, & perplexitas; cum mens vndeque se malis obseptam videns anxia hæret, nescitque quid consilij capere, quid agere debeat. sed Deus Apostolis, suisque in hac aporia succurrerit, suggestaque viam euadendi.

Aporia
est inopia
mentis &
corporis.

Persecutionem patimur, sed non derelinquimus, deiicimus, sed non perimus] Quamuis, inquit, in tam grauia pericula læpè incidamus, ut videamur illi- cò perituri; tamen Deo opitulante custodimur, ne pereamus.

VERS. 9.

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes] Sensus est: Quotidianis periculis, &c, ut ita dicam, mortibus expositi sumus; & per hanc passionem & mortem Domini Iesu nos illius ministri atque vicarij representatione quadam gestamus & circumferimus in nostris corporibus.

Vita Iesu] Ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris] vita, scilicet tum futura, ut nimirum cum Christo resurgamus ad gloriam, ut sequitur versu 14. tum praesens, ut scilicet ad instar resurrectionis Christi corpora nostra, licet afflicta, vegetiora fiant ex spiritu ob spem resurrectionis, & opem Dei, qua nos a tot in dies periculis liberat & roborat.

VERS. II. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum] q.d. In media hac quali vita perpetuis mortis periculis & ærumnis expõnimur. ita Chrysostomus. Hoc est ergo quod nos in omni tribulatione animat, consolatur & roborat, scilicet quod cogitemus in eanos conformari Christo patienti & resurgentи.

Ut & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali] id est, ut in corporibus nostris mortalibus toties in mortem traditis, & tamen adhuc viuentibus, manifeste appareat etiam Iesum, quem prædicamus, vivere.

VERS. III. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis] q. d. Vestræ spiritualis vita per fidem & gratiam, id est, salus animæ vestræ nostra corporali morte procuratur. ita Ambrosius, nam Apostolorum & martyrum passio & mors, vita est Ecclesiæ: sanguis martyrum semen est Christianorum.

Haben

Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scri-
ptum est. q.d. Sicut David tentationibus immer-
sus, & à solo Deo ereptus, dixit: Credidi, id est
credo; quod Deus iuxta promissa suame à meis
malis liberabit semper. Vnde & idem audacter
locutus sum] & etiamnum proloquor; ita & nos
credimus & speramus, ac animosè profitemur,
open', robur, liberationem ac resurrectionem
nostram à Deo uti promissam, ita & certissimò
præstandam. ita Theophil. Chrysolom. Oecu-
men. *Spiritum fidei*, dicit auctorem, donatorem:
vel metonymicè, *spiritum fidei*, id est, fidem à Spi-
ritu donatam, quomodo legimus alibi spiritum
mansuetudinis, pietatis, &c. pro ipsis huiusmodi
donis Spiritus sancti. Igitur eundem Spiritum
fidei rectè intelligimus eandem fidem ab eodem
Spiritu profectam. quasi dicat Apostolus: Cùm
ad eadem credenda ab uno Spiritu sancto mo-
tueamur.

*Quid spi-
ritus fi-
dei.*

Credidi, vel credo, id est, credere pergo, propter
quod locutus sum.

Et nos credimus, propter quod & loquimur] ac si
dicat: Quemadmodum David inter persecutio-
nes & pericula credidit se peruentum ad re-
gnum sibi à Deo promissum, & propterea de eo
confidenter apud homines locutus est: ita nos
quoque ministri nouæ legis, licet persecutionibus
pressi & periculis expositi, tandemque morituri,
certissime tamen credimus nos ad gloriam pro-
missam peruenturos. Propter quod & confiden-
ter vobis de ealoquimur.

Scientes, quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum
Iesu suscitabit, & constituet vobiscum] in glo-
ria cum vobis resuscitatis. Nota. Ex modestia ait,

Cc 2 non,

non, Vos nobiscum, sed, Nos vobiscum, quia vos causa & obiectum vii Euangelij mei, ita & gloriae meæ estis.

VERS.15. *Omnia enim propter vos*] Bene dixi, inquit, quod Deus nos constituet vobiscum, nam omnia nostra sunt aut sunt, propter vos: id est, uniuersum ministerium nostrum ordinatur ad utilitatem & salutem vestram, ideoque nos æquum est fieri consortes salutis & gloriae vestrae.

Vt gratia abundans, per multos in gratiarum aetione, abunder in gloriam Dei] hoc est, ut in multis effusa gratia, per multas itidem personas gratiarum actionem pariat atque diffundat, qua Deus glorificetur.

VERS.16 *Propter quod non deficitus*] propter spem, inquit illius gloriae quam ex resurrectione expectamus, non succubimus malis quæ nobis Euangelij ministris plurima superueniunt.

Tribulatio exter
nii homini
nu, est co
fortatio
interio-
riu.

Sed licet is qui foris est noster homo corruptatur: tamen is qui inuis est renouatur de die in diem] id est, ut Theophyl. Ambros. licet externus homo, id est corpus, corruptatur pressuris, plagiis, fame, siti, frigore, nuditate, flagellis & morbis; tamen qui inuis est, id est anima & spiritus, renouatur & proficit fide, spe, charitate, animi alacritate, & fortior ac fulgidior, quasi aurum in igne euadit, ait Chrysostomus.

De die in diem] q.d. Sicut externus homo, id est corpus, in dies per tot plagas & ærumnas deficit & senescit: ita interior, hoc est mens, in dies renouatur & iuuenescit, idque ob spem resurrectionis.

VERS.17 *Leuitas*
tribula-

Id enim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostra] momentaneum, quod quasi mo

si momento transit. q. d. Omnis nostra tribula-
tio momentanea est & leuis, si cum æterno il-
lo & grauissimo gloriæ pondere conferatur, per-
inde ac si plumam vnam, vel fauillam leuissimam
cum plumbo totius vniuersi conferas.

tionum
huius
vita.

Supra modum in sublimitate] q. d. Incompara-
biliter maius & excellentius est pondus gloriæ
futuræ, tribulatione quam hîc patimur.

Æternum gloria pondus operatur in nobis] Opus
patientiæ nostræ procreat ex se fructum æternæ
& immensæ gloriæ; nimirum merendo, & meriti
ratione tandem assequendo.

Opera
bona glo-
ria æter-
na meri-
toria.

VRS. 13

*Non contemplabitur nobis quæ videntur, sed
quæ non videntur*] dum non spectamus ad hæc
præsentia bona, quæ videmus, ut sunt opes,
honores, dignitates, & omnis gloria huius sæ-
culi: sed ad bona futura, quæ non videmus, sed
credimus.

Quæ enim videntur, temporalia sunt] hoc est, quæ
breuissimi sunt temporis.

Quæ autem non videntur, æterna sunt] quæ, in-
quit, non videntur, sed creduntur à nobis, in
æternum duratura sunt, ideoque merito

hæc præ illis spectanda no-
bis sunt & spe-
randa.

**

C A P V T V .

S V M M A R I V M .

Spe glorie future volunt Euangelici ministri
 (quando aliter id fieri non potest) à corpore
 peregrinari, ut Christo Domino presentes
 sint. Cui interim, ut omnium iudici, placere
 student, non sibi viuentes, sed illi qui pro
 omnibus mortuus est, & resurrexit: ac lega-
 tione pro eo fungentes apud homines, ut per
 eum Deo reconcilientur.

VERS. I.

Corpus mortale domus terrena
Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra
 huius habitationis dissoluatur. id est, scimus, si
 corpus mortale, in quo brevi tempore quasi in
 tabernaculo, tanquam peregrini & viatores mo-
 ramur, dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habe-
 mus domum non manufactam, eternam in celis]habi-
 turi simus ædificium in celis, à Deo nobis præ-
 paratum, domicilium inquam, non manufactum,
 id est, factum non opere humano, sed opere diu-
 ino, supra omnem naturæ facultatem; corpus vi-
 delicet gloriosum, immortale, eternum. Domum,
 id est, corpus resurrectione glorificatum habemus,
 id est, habebimus certò in resurrectione. & tale
 corpus propriè domus est animæ beatæ, sicut
 corpus mortale domus est animæ hic viuentis &
 patientis. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Am-
 brosius. Repromittit meliorem domum per re-
 surrectionem, ait Tertullianus.

Nam

Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostrā quae de cælo est superindui cupientes] propter hoc, scilicet mortem & dissolutionem, quae interuenire debet, ut à vita hac transeamus ad æternam, ingemiscimus: nam mors hæc contra naturam est. optaremus enim superindui gloria, non spoliari vita. Porro corpus immortale vocat Apostolus habitaculum quod de cælo est, eodem sensu quo proximè vocavit ædificium quod ex Deo habemus, eo neimpe quia sola diuina virtute nobis construeretur.

*Corpus
immorta
le habita
culum de
cælo.*

Si tamen vestiti, non nudi inueniamur Idque ad- VERS. 3.
eò reipsa nobis continget, si in die Domini vestiti corpore, non autem nudi reperti fuerimus: id est, si tuhc residui futuri sumus, & nondum moriri. ita Caietanus.

Nam & qui sumus in hoc tabernaculo (corporis VERS. 4.
scilicet) ingemiscimus grauati, scilicet, ob eius corporis onus & pondus: ita tamen ut cum Nazianzeno dicamus: Domine aufer à me tunicam hanc ita grauem (corpus scilicet terrestre, ponde-
rosum, ærumnosum) sed & da mihi leuiorem. eo quod nolumus expoliari] exui scilicet corpore, sed superindui, scilicet gloria: si tamen vestiri cat-
ne & corpore, non ea nudati per mortem inue-
niamur. Apostolus enim ita loqui solet de resur-
rectione & die iudicij, quasi ea instet, & quasi eam ipse cum aliis tunc viuentibus sit visurus. vnde 1. Thess. 4. Deinde, inquit, nos qui viuimus,
qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nu-
bibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.

Ut absorbeatur quod mortale est, à vita] mortalitas ab immortalitate, ne scilicet corpus ab anima

deseratur, sed anima habitante in corpore, fiat in-
clytum, quod antè inglorium fuit. Breuissimè
Tertullianus illud, *Nolentes exui, sed superindui, sic*
exponit: Nolentes mortem experiri, sed vita
præueniri.

VERS. 5.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus] Sensus
est: Qui nos Euangelij ministros parauit atque
formauit, & quotidie parat aptosque reddit ad
hoc ipsum, id est, ad induendum vel superin-
duendum domicilium cælestē; Deus est.

Quid pi-
gnus siue
arrha
spiritus.

Qui dedit nobis pignus Spiritus] ipse Spiritus
sanc̄tus, cuius multa dona magna & manifesta
iam accepimus, ait Apostolus, est pignus, id est, ar-
rrha futuræ gloriae nobis data à Deo: ut de gloria
immortalitatis adipiscenda non dubitemus, imò
certissimi simus, si arrham suo tempore repræsen-
temus. eundem spiritum vocauit pignus datum
in cordibus, suprà cap. I.

VERS. 6.

Audentes, confidentes, id est audemus, confidi-
mus, audacter & fidenter pericula & mortem pro
Christo & Euangelio suscipimus, imò optamus.
igitur, quia scilicet hanc gloriam & vitam æter-
nam quasi hæreditatem speramus, eiúsque pignus
Spiritum sanctum accepimus: ideo audemus que-
uis ardua & agere & pati semper, scientes quoniam
sumus in corpore, peregrinamur à Domino] q.d.
Hic peregrini sumus, quia conscripti sumus ci-
ues cæli, & hæredes Dei: festinamus ergo ex pe-
rigrinatione hac tendere, & consequi patriam
nostram cælestem, Deique Patris nostri heredita-
tem adire.

VERS. 7.

Per fidem enim ambulamus, & non per speciem] hoc
est, fide duce ac prævia tendimus ad cælestem pa-
triā; nec adhuc ad speciem pertigimus, quia
scilicet

scilicet nequum ipsam speciem, id est, naturam
& pulchritudinem Dei, in se contemplant facie ad faciem,

Audemus autem & bonam voluntatem habemus.

VER. 8.

Græcè, bene volumus; Syrus peroptamus, omnibus votis cupimus, magis, id est malentes, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum] id est, eligentes potius abesse à corpore, ut liceat adesse Deo, eiisque præsentia, specie & facie perfungi. Græcè, & domi agore ad Dominum, siue apud Dominum, id est, tanquam in patria præsentes apud Dominum morari. Tertullianus immo-
nari dixit.

*Et ideo contendimus, certatim, omni studio, mi-
nisterio, conatu & nisu nostro contendimus, cer-
tamus & ambimus Deo placere, vt in hoc studio
non patiamur nos à quoquam superari. siue ab-
sentes, siue præsentes placere illi.] Quoniam ergo
Content-
tanta præmia nobis proposita sunt ac promissa,
dare quid
propterea contendimus, certatim atque omni
hoc loco.
studio connitimus, fideliter ac sincerè coram
Deo ministerium nostrum exsequendo: vt siue
degentes in hoc domicilio corporis, siue ab eo
per mortem peregrinantes, id est, seu viui, seu
mortui, Christo Domino placeamus, acceptique
simus.*

*Omnis enim nos manifestari oportet ante tribunal
Christi] q.d. Contendimus placere Deo in omni
opere nostro, vt in tribunali Christi, cui sistendi
sumus, donemur gloria corporis, & beata Dei
præsentia ac visione; non autem ea priuemur cum
illis, qui Deo per opera mala displicerunt.*

*Ut referat unusquisque propria corporis, scilicet
gesta & facta, prout gessit.*

VER. II.

*Scientes ergo timorem Domini, id est, quia sci-
mus timendum esse Dominum iudicem & vin-
dicem, hinc eundem hunc timorem hominibus
suademus] ut eo Dominum timeant.*

*Deo autem manifesti sumus] q. d. Deus seit me
sincerè Deum timere, & timorem hunc aliis fra-
dere. Significatur enim manifesta Dei de nobis
notitia sic præsens, ut semper fuerit. Interim ob-
serua: quod si Deo iam manifesti sumus; non er-
go Christo nos manifestandos esse demum in
extremo iudicio, sed hominibus coram Christo.*

*Spero autem, & in conscientiis vestris manifestos
nos esse] spero & confido sinceritatem nostram
qua in Euangelico munere versamur, ita vobis
iam diu manifestam & probatam esse, ut bene
recteque de nobis sentiatis.*

VER. 12.

*Non igitur commendamus nos vobis.] Ac si dicat
Apostolus: Ideoque non haec scribo, quod ma-
gnopere studeam me meosque Euangelij socios
iterum vobis commendare: ut quorum in con-
scientiis satis manifesti sumus.*

*Sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis]
ut præbeamus vobis materiam gloriandi de no-
bis; idque aduersus æmulos gloriæ nostræ pseu-
doapostolos, qui nobis obtrectant.*

*Vi habeatis occasionem scilicet gloriandi de
me, ad eos, contra eos, qui in facie gloriantur, qui
externa se specie iactant, cum sibi non sint in
conscientia bene consciit, sintque hypocrita &
pseudoapostoli, & non in corde] id est, non ex
cordis ac conscientiae testimonio; & non ita sen-
tiunt corde, ut foris de se prædicant: non tales
intus se vident, quales exterius videri volunt:
conscientia non respondet externæ speciei.*

Sime

Sive enim mente excedimus, Deo: quasi dicat: Si nostri oblii vehementia aliquā, aut zelo abripimur, quem mundani putant insaniam, ut scilicet quasi insani abripiamur in laudes ministerij nostri ac gloriosius diuinūsque de nobis loquamur (superbia enim & iactantia videtur; & est insania, ait Ambrosius, seipsum laudare) Deo, hoc est, ad Dei honorem id facimus. sive sobrij sumus, in sermone scilicet laudib[us]que nostris, vobis] id fieri v[er]o inimicorum vos modestiam doceamus. ita Chrysostomus, Sanctus Augustinus, Anselmus, Theophilactus, & alij sic explicant, quasi dicat: Si rapimur in excessum vel exstasi diuini amoris, contemplationis, & locutionis, dicentes: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes. &c, contendimus, sive absentes, sive praesentes placere illi. & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & praesentes esse ad Dominum, qua in re gloriati & nos laudasse vissimus. vel, vt vertit Chrysost. Si insanimus, hoc est, si videmur quandoque amore & contemplatione ebrij & insani, uti Apostoli Act. 2. & 26. Deo, id est, ad Dei gloriam id facimus. Excessus mentis, est intentio ad superna, inquit Anselm. ita ut quasi de memoria labantur infima. Sobrij sumus vobis, q. d. Licet alta contemplemur, sobriè tamen de iis loquimur: ut vos ea capere possitis.

VER. 13.

Excessus
mentis
quid sit.

Charitas enim Christi urget nos] compellit VER. 14.
nos, vt & nos Christi exemplo & amore idem faciamus, nōsque totos hominibus impendamus, ut eos faciamus saluos à morte: ideoque, prout eis expedit, nunc mente excedamus, nunc sobrij sumus.

Aest

A&stimates hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.] q.d. Tanta fuit Christi charitas, ut pro omnibus moreretur. Unde sequitur nos fuisse mortuos; ideo enim mortuus est, ut nos à morte & corporis & animæ liberaret. ex quo magis patet Christi miseratione & charitas, quod scilicet è tanta mortis miseria, eam in se suscipiens, nos eripuerit, quæ profectò urget nos, ut Christum redamemus, eiisque amore in proximi salutem modis omnibus inveniamus.

VER. 15. *Et pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui viuunt, iam non sibi, non suæ gloriæ, voluntati, voluptati, viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & surrexit.] id est, omnes suæ vitæ actiones instituant ad nutu[m] & voluntatem & honorem sui Domini, qui ipsos sua morte redemit, eoque redemptionis iure seruos effecit.*

VER. 16. *Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem.] Ex hoc scilicet tempore, nam Græcè est ex tuno, id est deinceps. q.d. Quia Christi tanta in nos est charitas, nōsque urget, idcirco nihil aestimamus carnalia, id est externa & præsentia extra Christum; pura famam, valetudinem, amicitias, cognationes. ita Chrysost. vt sit persona pro re, neminem, hoc est nihil, ait Vatabl. Apostolus opponit carni siue homini carnali nouam creaturam, quæ in hac vita est, & viuit per fidem & gratiam in Christo: ait enim, Si qua ergo in Christo noua creatura. quare sic magis vicinè & propriè explices: Ex hoc, id est amplius, neminem nouimus secundum carnem, id est speciem externam, scilicet quod nobis sit cognatus, amicus, Iudæus, nobilis, elegans, doctus: his affectibus naturalibus*

*Quid, ne
minem
noſſe ſe-
cundum
carnem.*

bus mortuus sum, quia in Christo regeneratus illi soli viuo, ipsum solum, & omnes in ipso secundum charitatis spiritum, non secundum carnem amo, quasi dicat. Ego non quero placere hominibus, aut laudes & gloriam hominum, sed Dei.

Neminem nouimus secundum carnem] notitia videlicet amoris & propensioris affectus, id est, in nemine gloriamur carnalis propinquitatis causa, ne quidem in ipso Abraham patre nostro secundum carnem, quia laus omnis nostra & gloriatio est Christus.

Et si cognouimus secundum carnem Christum] hoc est, si aliquando Christum aestimauimus & vidimus, (si non ego Paulus, certe alij Apostoli nostri) presentem, mortalem, carnis passionibus, fami, frigori obnoxium, hominem nobis similem, nunc non nouimus nisi immortalem & impassibilem. ita Chrys. Theodor.

Sed nunc iam nov nouimus] et si aliquando magnum & gloriosum putauimus, gentilem & consanguineum esse Christi secundum carnem, & nos esse Hebreos Christi cognatos, aut etiam familiariter conuersati sumus, iam illis terrestribus affectibus mortui sumus, & per Christum recreati augustinus de eo sentimus, & Christum tantum nouimus secundum spiritum, id est, ut hominem diuinum, orbis redemptorem, doctorem, auctorem gratiae & salutis, atque ut tali vivimus & seruimus, talēmque orbe toto prædicamus.

Si qua ergo in Christo noua creatura. quare si quis est in Christo, noua creatura est. q.d. Si quis ergo mecum est in Christo regeneratus, & quasi in aliud hominem, & nouam creaturam est re-

creatus

*Paulus
nec Christum nouit secundum carnem.*

VER. 17.

creatus & transmutatus ; in hoc vetera transierunt] veteres scilicet, tum iudaismi ritus, tum potius affectus & indicia, quale est nouis aliquem secundum carnem, quod præcessit. Ecce enim in tali facta sunt omnia noua , ut nouos habeat affectus, noua iudicia de re & spe christiana, nouam vitam, nouam spem resurrectionis, nouam gratiam, sanctitatem, iustitiam.

Ecce facta sunt omnia noua] hoc est, omnis virtus in nouitatem commutata est.

VER. 18.

Omnia autem noua iam dicta ex Deo , ex Dei donatione & gratia facta & data sunt , qui nos reconciliavit sibi per Christum , & dedit nobis ministerium reconciliationis] ut per nostram prædicationem persuadeamus hominibus Christi fidem & pœnitentiam, nouam & christianam vitam, itaque ippos Deo reconciliemus.

VER. 19.

Quoniam quidem Deus erat in Christo , id est per Christum , mundum reconcilians sibi .] Mundus hoc loco genus litimanum significat.

Non reputans illis delicta ipsorum] Deus erat in Christo non imputans, hoc est, per Christum remittens, illis, id est mundo siue hominibus, delicta ipsorum ; adeoque eos sibi gratificans in dilecto filio suo.

Et posuit in nobis verbum reconciliationis] ut reconciliatio mundi, quam Deus in Christo parauit, effectui demandetur, nobis Apostolis iunxit munus euangelizandi mundo gratiam hanc reconciliationis ; nos elegit ac fecit ministros annuncianti tanti beneficij.

VER. 20.

Pro Christo ergo legatione fungimur] pro Christo, id est, vice & loco Christi, &c , ut alibi loquitur, in persona Christi, cuius Apostoli sumus.

Tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo] q.d. Obsecramus vice Christi, quasi legati Christi, & quasi Christus per nos vos obsecrat, ut velitis Deo reconciliari. En qua industria, efficacia, zelo vtitur Apostolus ut Corinthios conuerat.

Eum qui non nouerat peccatum] scilicet per exten-
petientiam, qui tamen nouerat illud per simpli-
cem notiviam, ait D. Thomas, id est Christum,
qui peccatum nunquam fecerat.

Pro nobis peccatum facit] id est hostiam pro peccato nostro fecit Deus Christum pro nobis, ne nos quasi victimæ piaculares, illud æterna morte & igne lueremus: ac si dicat Apostolus: Nostri causa tractauit eum tanquam ipsum peccatum, ipsum scelus, id est tanquam hominem insigniter sceleratum, ut in quo posuerit iniuriam omnium nostrum; Iсаіа 53. sic alibi Christus dicitur factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Gal. 3. & Deut. 21.

Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso] id est, per ipsum Christum, hoc est per Christi meritum. q.d. Ut nos efficeremur iusti apud Deum, iustitia à Deo infusa per merita Christi. dicit iustitia, non iusti, ait Théoph. vt excellentiam gratiæ significet, qua sit, ut nullus in iusto sit nœvus, nulla peccati macula, sed omnis, & tota gratia ac iustitia. Dei iustitiam nobis attributam B. August. passim exponit eam quæ in nobis est, non à nobis, sed in Deo; id est, quam nobis internam & inherentem, ex Dei gratia habemus, lib. de spir. & lit. cap. 9. & 18. tract. 26. super Ioan. serm. 15. de verbis Apost. cap. 1. psalm. 98. & lib. 3. contra Pelag.

Dei ius-
titia
qua in
nobis à
Deo.

Eadem iustitia Dei & nostra. Dei, quia à Deo est; nostra verò, quia in nobis: Dei, quia Deus eam donat; nostra, quia nos eam recipimus. Nam ea demum coram Deo, id est vera iustitia nostra est, quam in nobis Deus ipse facit: cui nihil placere potest, nisi quod suum est. itaque sentit Apostolus, Christum pro nobis factum esse peccatum, ut nos per eum vere iusti efficeremur, ea nempe iustitia, quæ Deo probata sit. *Iustitia Dei*, quia Deus debet non nobis, sed Christo, & Christi meritis, ut iustitiam nobis infundat, & peccata remittat. ita Augustinus, Enchiridion.

CAPUT VI.

S V M M A R I V M.

Hortatur ne tempus gratiæ & salutis negligant. Ostendit se suum ministerium commendasse tam multorum malorum tolerantia, quam vita integritate. Excitat ad cordis dilatationem, & renocat à iugo cum infidelibus ducendo: cum ipsi sint templum & populus & filii Dei.

VER. I.

Adiuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis] adiuantes, Græcè cooperantes Deo, ut propositam reconciliacionem assequamini.

In

In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non labotat, ait Ansel. nec ei suum studium adiungit, quique per desidiam facit, vt in se ḡtaria sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non fatagit. q. d. Ne putetis quod sola fides sit reconciliatio, quia ad eam bona vita, & opera sunt necessaria. ita Theophil. ex Chrysoft.

Gratia
Dei qua-
do in va-
cuum re-
cepia sit.

Nora. Gratiam vocat generale beneficium reconciliationis mundi, & redemptionis Christi: de illo enim egit in fine capitum præcedentis; sub illo tamen intelligit gratiam particularem, quam cuique meruit Christus, & quam cuique dat Deus, vt huius generalis Christi redemptions quisque particeps fiat.

Ait enim (Deus per Isaiam c. 49) Tempore accepto VERS. 2.
exaudiens te, & in die salutis adiuui te] Sunt autem apud prophetam verba Dei Patris ad Christum, quibus testatur se cum exaudisse orantem pro electorum salute, eorum qui ex Gentibus erant colligendi, proque eadem causa laboranti auxilium fuisse: idque in tempore accepto seu placito, hoc est merito omnibus acceptabili, & in quo Gentes ad salutem vocare constituit.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies fidantis] en, inquit Apostolus, tempus illud acceptabile & salutiferum, de quo Deus Pater verbis prophetæ memoratis locutus est ad Filium, nunc est, nunc aduenit, iamque vobis annunciatum est: & propterea vos exhortamur, ne committatis vt gratiam hanc in vacuum receperitis. Tempus illud vocatur hominibus acceptum, id est dignum quod cum plausu & exultatione ab omnibus acceptetur ac suscipiatur; utpote mundo salutem adferens: quomodo Christus ipse vocatur Exspecta-



tio Gentium, Gen. 49. & Desideratus cunctis.

V E R S . 3. Nemini dantes ullam offenditionem. officium nostræ legationis exercemus; sedulò cauentes ne cuiquam in vlla re simus offendiculo ne quem verbo aut facto scandalizemus. *vt non vituperetur ministerium nostrum*] vt ministerium Euangelicæ prædicationis non reprehendatur, non infametur, non male audiat apud homines.

V E R S . 4. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsoſ ſicut Dei ministros] id eſt, vti facere conuenit Dei ministros; quorum eſt non ſuam, ſed Dei gloriam, cuius ministri ſunt, & cuius in conſpectu verſantur, in omnibus ſpectare.

In multa patientia, q. d. Exhibeamus nos quaſi Dei ministros patientes in multis tribulationibus, in neceſſitatibus, in angustiis,] aliisque que ſequuntur.

V E R S . 5. In plagiis, id eſt, in verberibus quibus corpus laeditur ferendis. in carceribus, in ſeditionibus, id eſt, in ſuſtinendis tumultibus populi paſſim aduerſum nos ſeditioſe concitatis. in laboribus, in vigiliis, in ieuiinis] ſcilicet Euangeliſ cauſa toleratiſ; aut etiam ſponte luſceptiſ, vt exponunt Chrysotom. Theophylact. & alij.

V E R S . 6. In caſtitate] Græcè, in puritate, ſcilicet omnibus in rebus. In caſtitate: pura enim & plena caſtitas, vt ſcilicet omni libidinis vſu abſtineas, & caſtitatem angelicam colas, vt fecit Paulus & Apoſtoli, ſignum eſt hominem eſſe diuinum, Dei que miniftrum.

In ſcienzia ad docendum imperitos & imperfertos. Anſelm. per ſcienziam intelligit cognitionem ſacrae Scripturæ. in longanimitate, id eſt animi lenitate. in ſuauitate] ne per rancorem iūiſ, qui nos

nos vexant, simus asperi, sed per suavitatem mentis, verborum & operum iis simus dulces, benigni, benefici.

In Spiritu sancto] q.d. Omnia tam pio, benigno, sincero, incenso spiritu agamus, ut pateat nos non vanitate aut superbia agi, sed à Spiritu sancto. ita Anselm. Theoph. Chrysol.

In charitate non ficta] Græcè, non simulata, non solis verbis caritatem ostendimus: sed ipsis factis eam præstamus, salutem hominum ynicè querentes.

In verbo veritatis] vt veritatem euangelicam VERS. 7.
rè & sincerè predicemus.

In virtute Dei] in potentia Dei, nihil horum quæ dixi, meum est: sed hæc omnia in virtute & potentia Dei facta sunt. significat ergo quod verbum veritatis in quo laborat, sit efficax & fructuosum per virtutem Dei.

Per arma iustitiae à dextris, & à sinistris] hoc est, tam in prosperis, quam in aduersis, vbiique iustitia, id est, iustæ ac sanctæ vitæ, virtutumque actionibus tanquam armis utamur, vt ne prosperis eleuemur, nec turbemur aduersis, aut desperemus. ita Anselm.

Per gloriam & ignobilitatem] q.d. Siue honore- VERS. 8.
mur & laudemur, siue in honoremur & vitupere-
mur: vt cum Lycaonij voluerunt Paulum vt
Deum adorare, & mox vt impostorem lapidare,
Act. 10.

Per infamiam, & bonam famam] siue honore, siue ignominia nos afficiant homines; siue bene de bonis loquantur, siue male: semper tenemus rectum iustitiae cursum, ab integritate & sinceritate ministerij nostri præstanda, non discedimus.

Ut seductores & verates] at falsò tales reputati, ut qui reuera veraces simus, veritatem prædicantes diuinitus acceptam, id est, ipsum Dei verbum.

Sicut qui ignoti & cogniti] quasi qui infidelibus & improbis habemur ignoti & obscuri: cùm noti simus Deo & conscientiis vestris. ita Ambrosius.

VERS. 9. *Quasi morientes, & ecce viuimus] quasi qui vide-
mur propter quotidiana pericula, flagella &
ærumnas semper mori; cùm Deus ecce nos viuos
conseruet illælos & vegetos.*

*Vi castigati, & non mortificati] ut qui castiga-
mur, sed non occidimur.*

VERS. 10. *Quasi tristes, semper autem gaudentes] propter
mala quæ patimur, sumus quasi dolentes, &
mœrore affecti; sed re vera semper in Domino
gaudemus.*

*Sicut egentes, multos autem locupletantes] tum di-
uinis & cælestibus, tum terrenis bonis; colligebat
enim Paulus eleemosynas pro pauperibus, maxi-
mè Hierosolymitanis.*

*Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes] quia postquam reliquerant omnia propter E-
vangelium, similes erant iis qui nihil habent:
& tamen reuera possidebant omnia, quia om-
nium piorum ædes eis patebant, omniūque
possessiones ad usum eis cedebant. Qui propter
regni spem inopia laborant, & propter inopiam
regnant.*

VERS. II. *Os nostrum parer ad vos, ô Corinthij] scili-
cer ad loquendum liberè vobiscum, & ple-
nè vos instituendos. q. d. Non possum silere,
& pro salute vestra vos non commonefacere,*

&

& quia ex abundantia cordis os loquitur ; ideo
subdit.

*Cor nostrum dilatatum est] amore erga vos. q. d.
Vehementissime vos amo.*

VERS. 12

*Non angustiamini in nobis, sed plenè & spa-
tiosè in corde meo habitatis, latissima vos cor-
dis charitate complector. Loquitur de corde &
animo, quasi domicilio. sed angustiamini in visce-
ribus vestris] præcordia vestra angusta sunt, vt
parum in eis loci habeam. q.d. In amore & bene-
uelentia mihi non respondetis ; patum amoris
mihi rependitis.*

VERS. 13

*Eandem autem habentes remunerationem, tan-
quam filiis dico, dilatamini & vos] id est, secun-
dum eandem remunerationem charitatis dilata-
mini & vos. q.d. Eandem charitatis mensuram &
latitudinem mihi reddite & reponite ; pari men-
sura cor & charitatem vestram in me extendite &
dilataete.*

VERS. 14

*Nolite iugum ducere, participationem & com-
merciū habere, cum infidelibus] ne sitis iugo co-
pulati cum infidelibus. Iugum ducut̄ cum infide-
libus, qui talem cum illis ineunt societatem, qua-
fiat vt in partem illorum declinent, mores eorum
& virtus sequentes, iuxta illud psalmi 105. Com-
mixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eo-
rum. Huiusmodi verò societas maximè est con-
iugium.*

*Iugum
cū infide-
li quis
ducatur.*

*Quæ enim participatio iustitiae cum iniuitate ?]
id est, iustis cum iniquis, puta fidelibus cum infi-
delibus.*

*Aut quæ societas luci ad tenebras?] q.d. Lux & te-
nebrae in eundem locum aut subiectum conue-*

D d 3 nire

nire simul nequeunt lucem ergo vocat fideles;
tenebras vero infideles.

VERS. 15 *Quae autem conuenio Christi ad Belial?]* id est,
consonantia, consensus, concordia, quod coniugium
Christi, qui est omnis disciplinae, obedientiae,
iustitiae pater, cum Belial, id est, diabolo, eius-
que affectis infidelibus?

Aut que pars fidei cum infidelis?] pars, id est, par-
ticipatio seu communio, quid commune habet
fidelis, quod participet cum infidelis?

VERS. 16 *Quis autem consensus templo Dei cum idolis?]* quæ consensio seu confederatio vobis, qui
estis templum Dei, cum infidelibus, qui sunt
templa idololorum, id est diaboli, qui in ido-
lis colendum se ingerit? vult enim dicere, non
conuenire, ut fidelis iungatur infideli, sicut
non conuenit, iustitiam iniuriant, lucem tene-
bris, Christum Belial, templum Dei idolis iungi
& sociari.

Vos enim estis templum Dei vestri] per fidem,
gratiam, sanctitatem, dicit ipsos fideles Dei ve-
tri ac viui templum esse. Nec ait templo, sed
templum, ut significet ita singulos esse Dei tem-
pla, ut tamen omnes unum Dei templum con-
stituant, sicut constituunt unum corpus & unam
Ecclesiam.

*Sicut dicit Deus] ipius (inquit) Dei testimonio
probamus vos esse Dei templum.*

*Quoniam inhabitabo in illis, & in ambulabo inter
eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi popu-
lus]* Locus est Leuitic. 26. Ezech. 37. *Inhabitabo in eis,* per gratiam, qua faciam ut me colant;
& ambulabo in eis, varias virtutum actiones qui-
bus me colant, in eis excitando atque operan-
do.

do. & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus:
ego me Deum illis praestabo ; & ut populum
meum eos diligam, protegam, beneficiisque fo-
uebo.

*Propter quod exite de medio eorum, & separami- VERS.17.
ni, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis]*
Isaiae 52. Recedite, recedite, exite inde; pollutum
nolite tangere; exite de medio eius, scilicet Baby-
lonis. Fidelibus iubet ut infidelium nimia com-
mercia vitent, & immundum, id est immundos in-
fideles, non tangant, hoc est, cum eis non conuer-
sentur, malis non consentientes.

Et ego recipiam vos] scilicet de medio infide- VERS.18
lium exeuntes. q. d. Non eritis desolati, si ma-
lam infidelium societatem reliqueritis: nam ego
vos, ut dilectos & amicos meos beneficiis fo-
uebo; relicta saeculi consolatione, transibitis in
amicitiam meam, & bonorum meorum partici-
pationem.

*Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios &
filias]* Promissio est adoptionis filiorum noui te-
stamenti, qua Deus sic aliquos in suam recipit
amicitiæ & gratiam, ut per eam efficiantur diuinæ
consortes naturæ, & per hoc cœlestiam bonorum
hæredes ac participes, id enim est esse Dei filium
per adoptionem.

Dicit Dominus omnipotens] addit Domino epi-
theton omnipotentia, ne de promissione eius ad-
implenda quis dubitet;

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

*Declarat suam erga Corinthios dilectionem, ut
vicissim consolationem quam ex illis accipit.
Gaudet illos per suam epistolam fuisse con-
tristatos secundum Deum, & gloriatur de
iporum obedientia.*

VERS. 1. **H**as ergo habentes promissiones, charissimi] nimirum, Christianos fore templa Dei, eiisque filios & filias, atque habituros Deum in se habitantem & itinabulantem, vti praecessit.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus] Hinc Theologi suinunt diuisionem peccati in carnale, quod versatur circa obiectum carnale, facitque hominem quasi bestiam, vt est gula, libido, ebrietas; & spiritale, quod versatur circa obiectum spiritale, facitque hominem quasi dæmonem, vt est ira, superbia, inuidia.

Perficientes sanctificationem in timore Dei] perficiētes quotidiano profectu sanctitatē in baptismo inchoatain; quia nimirum sanctitas consistit in munditia carnis & spiritus, inquinamento vitiisque iam dicto contraria. perficiētes inquam in timore, id est, per timorem Dei, cuius scilicet templum sumus.

VERS. 2. *Capite nos] id est, amplexamini nos latis visceribus charitatis, sicut ego vicissim toto vos animo complector. ita Theoph. S. Thomas exponit capite nos per imitationem.*

Nemi

Neminem læsimus, iniuria affecimus. neminem
corrupimus] quod sit per malæ vitæ exempla.
Corrumput bonos mores colloquia prava.

Neminem circumuenimus] neminem fraude-
uimus, nullius rem extorsimus, vel vi aut fraude
occupauimus.

Non ad condemnationem vestram dico] quasi Vers. 3.
damnem, culpem & arguam vos talia de me su-
spicari, quod scilicet aliquem læserim, aut cir-
cumuererim. ita Anselmus.

Prediximus enim quod in cordibus nostris estis,
ad commoriendum, & ad conuinendum] q. d. Ita
vos amo, vt vobiscum, & pro vobis mori & viue-
re paratus sim.

Multa mihi fiducia est apud vos] id est, ita be-
ne de vobis sentio, vt cum magna fiducia & ser-
monis libertate vobiscum agam, vosque etiam
admoneam, confidens vos benignè ac placi-
dè meas admonitiones, & increpationes acce-
pturos.

Multa mihi gloriatio pro vobis] de vobis, id
est, multum ac sèpè apud alios de vobis ac vestri
nomine glòrior, prædicans obedientiam vestram
erga me Apostolum & patrem vestrum.

Repletus sum consolatione] id est, maximum so-
latium super malis quæ passus sum, attulit mihi
vestra correctio, per Titum annunciata.

Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra]
id est, in omnibus afflictionibus & pressuris quæ
mihi tristitiam adferunt, tam exuberanti gaudio
à vobis profecto perfusus sum, vt omnem tristi-
tiā extinxerit.

Nam & cum venissimus in Macedoniam, nullam Ver. 5.
requiem habuit caro nostra] tanta mala repente no-

bis excitata sunt ab aduersariis, vt carni, id est corpori nostro, quod sine fomentis & quiete diu subsistere nequit, nulla daretur relaxatio, nulla requies.

Sed omnem tribulationem passi sumus] vndeque tribulationes irruerant in nos.

Foris pugna intus timores] exterius erat nobis pugnandum cum hostibus Euangelij, interius vero, id est in animo, patiebamus timores nouarum persecutionum.

VER. 6.

Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Tui] quia Titus Corinthio reuersus, bona de statu Corinthiorum annunciat.

VER. 7.

Non solum autem in aduentu eius] vestram correctionem annunciantis.

Sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, consolationem accepit Titus in vobis. referens nobis vestrum desiderium] emendationis.

Vestrum fletum, pro peccatis penitentiam, vestram amiluationem pro me, qua scilicet me, meumque honorem & Apostolatum zelatis contra obtrectatores tueri, & propugnare, ita ut magis gauderem.] Apostolus auditis iis quae Titus referebat, maius gaudium ex eis cepit, quam fuerat dolor quem percepérat ex eo quod Corinthios sua epistola contristasset.

VER. 8.

Quoniam & si contristauí vos in epistola, non me pénitet] non doleo me ea scripsisse quæ vos contristarent; postquam Titus à vobis reuersus annunciauit quem fructum pepererit in vobis illa nostra seuerior obiurgatio.

Etsi péniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit] tamen profuit vobis,

vol

vōsque commouit ad agendam pœnitentiam,
quæ vobis iugem conscientiæ pacem & lætitiam
conciliauit.

Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia VER. 9.
contristati estis ad pœnitentiam, q.d. Non gaudeo de
tristitia vestra, sed de fructu tristitiae, qui est pœ-
nitentia seu correctio vestra. contristati enim estis
secundum Deum] id est, procedens ex amore
Dei & iustitiae quam Deus præcipit; non autem
ex amore sæculi, quam statim post vocat sæcu-
li tristitiam. Etenim qualis amor est, talis & tri-
stitia.

VI. in nullo detrimentum patiamini ex nobis] qui
vobis causa tristitiae fuimus: cùm ea tristitia vobis
fuerit admodum salutaris.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœniten-
tiam in salutem stabilem operatur] id est, efficit
pœnitentiam esse salutarem: velut si dicam, Ho-
mo studiosus efficit hominem doctum; & so-
brius, sanum: ut perspicuus sensus sit, tristitiam
quæ est secundum Deum, causam esse salutis.

Sæculi autem tristitia mortem operatur.] Tristitia
sæculi seu mundi, tristitia est secundum sæcu-
lum, quæ nascitur ex amore sæculi: quām pa-
tiuntur homines ex amissione vel impedita per-
ceptione, eorum quæ carnaliter diliguntur. tale
est quod dicit: Iustum est me gaudere de hac tri-
stitia vestra quæ secundum Deum est; quia lon-
gè alius est effectus illius tristitiae, quām tristi-
tiae sæculi. Nam illa salutem, & vitam gignit
perpetuam; hæc vero mortem æternam con-
ciliat.

Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari
vōs, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed de-VER. 11.
fensio

fensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed emulationem, sed vindictam] q.d. Tristitia hæc de Deo offenso non tantum induxit sollicitudinem reconciliationis, sed & defensionem Pauli; imò indignationem contra peccatum, insuper timorem sanctum cauendi deinceps peccata, quin imò desiderium satisfactionis, imò vero æmulationem, & zelum contra peccatores, adeoque tandem vindictam, & castigationem peccatorum, qui summus est pœnitentiæ gradus & fructus.

In omnibus exhibuisti vos incontaminatos esse negotio] Syrus, ostendistis quod puri sitis in illo negotio, id est, à fornicarij peccato alieni & immunes: licet enim id initio punire neglexeritis, iam tamen displicantiam eius ostendistis illud vindicando & pœnitendo. ita Anselmus & Theophylact.

VER. 12. *Igitur, & si scripsi vobis non propter eum qui fecit iniuriam, non propter fornicarium, nec propter eum qui passus est] id est, qui iniuria affectus est, nimis pater, cuius uxore, sua scilicet nouerca, ille incestuosus abusus est.*

Sed ad manifestandam sollicitudinem nostram] q.d. Cùm priore epistola acrius scripsi, non particulares incestuosos, vel parentis eius iniurias persequi volui; sed ostendere sollicitudinem, quam pro communi Ecclesiæ vestræ salute gero, ut scilicet ab ea commune hoc scandalum & publicam infamiam depellerem.

Quam habemus pro vobis coram Deo] significat sollicitudinem suam fuisse sinceram & ex charitate profectam, qualem velit probari coram Deo iudice.

Ideo

Ideo consolati sumus. in consolatione autem nostra,
abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi] VER. 13.
id est, idcirco consolationem accepimus ex con-
solatione vestri; quin uberioris insuper gauisi fui-
mus ob gaudium Titi, quod recreatus sit spiritus
illius ab omnibus vobis.

Quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis]
recreatus fuit vestra correptione, fletu, zelo.

Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non VER. 14.
sum confusus] tanquam inaniter, & falso glo-
riatus.

Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus] id
est, sicut quæcunque vobis tanquam Apostolus
prædicauit vera fuerunt, quia sermo noster qui
fuit apud vos, non est in illo Est & Non, sed Est
in illo fuit.

Ita & gloriatio nostra qua fuit ad Titum, veritas
facta est] hoc est, ita & verba mea quibus apud
Titum de vobis fueram gloriatus, comperta sunt
esse vera. Titus enim tales vos inuenit, quales
ego vos apud eum descripsi.

Et viscera eius abundantius in vobis sunt.] Visc- VER. 15.
cera vocat intimos affectus. cor & viscera eius
magis iam in vos propendent, quam antè; plus
iam vos diligit Titus, quam antè.

Reminiscentis omnium vestrum obedientiam] dum
recordatur, & secum recolit quanta cum obe-
dientia suscepitis nostra monita, quæ ad vos
detulit.

Quomodo cum timore & tremore exceptistis illum]
hoc est, dum iterum recordatur, quanta cum sol-
licitudine eum à nobis missum suscepitis; me-
tuentes ne quid in vobis esset quod eum offend-
deret.

Gandeo

VER. 16.

*Gaudeo quod in omnibus confido in vobis] gau-
deo me tantum fiduciæ inuenisse apud vos , ut
absque periculo offenditionis possim liberè vobis-
cum agere, monendo, corripiendo, increpando,
atque etiam petendo quippiam à vobis. Annotat
enim Oecumenius , hoc dicere Apostolum ut
viam præstruat orationi subsequenti de eleë-
mosyna.*

CAP V T VIII.

VER. 1.

*N*otam autem facimus vobis , fratres , gratiam
Dei , quæ data est in Ecclesiis Macedoniae] puta
patientiam magnam , liberalitatem , & miseri-
cordiam , quam Deus dedit Christianis Mace-
doniaæ.

VER. 2.

*Quod in multo experimento tribulationis abun-
dantia gaudii ipsorum fuit] quasi dicat. Cùm in
variis tribulationibus quasi experimentis pro-
barentur , erant in magno gaudio , eoque abun-
dabant.*

*Et altissima , id est profundissima , & quasi ad
fundum usque exhausta paupertas eorum abunda-
uit in diuitias simplicitatis eorum] hoc est , in copi-
am & abundantiam benignitatis , & eleëmo-
synæ eorum. q.d. Macedones copiosissimè & be-
nignissimè sua elargiti sunt , cùm essent pauperes.
Nota. Simplicitas hic significat candidam , libe-
rallem , & alacrem elargiendi voluntatem : non
enim ex donorum multitudine , sed ex animi
promptitudine liberalitas aestimatur , ait Chry-
stost. & Theoph.*

*Quid sit
simplici-
tus.*

Quia

Quia secundum virtutem , secundum vires & opes suas , testimonium illis reddo , & supra virtutem voluntarij fuerunt] non rogati , non provocati , motu proprio , sponte & ultro tam liberales fuerunt , vt supra vires facultates contribuerent.

Cum multa exhortatione obsecrantes nos , vt suscipieremus gratiam & communicationem ministerij quod fit in Sanctos] suscipere nos . VER. 4.

Et non sicut sperauimus] supple , fecerunt . q.d. Multò amplius dederūt quam speraueramus ; sua largitate spem nostram superarunt . VER. 5.

Sed semetipso dederunt primum Domino , deinde nobis . quasi dicat . Macedones resignarunt se primò Domini voluntati , deinde nostræ , parati facere & dare quicquid voluisse . per voluntatem Dei] id est , Deo tam pium affectum subiectionis & beneficentia in eorum cordibus operante .

Ita vt rogarerimus Titum , vt quemadmodum cœpit , ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam] q. d. Rogauimus Titum , vt sicut nos in Macedonia , ita ipse colligeret Corinthi eleemosynas . Stimulat exemplo Macedonum Coriuthios , vt largi sint in contribuendo .

Sed sicut in omnibus abundatis fide , & sermone , & scientia , & omni sollicitudine , Græcè diligenia , quam habebant pro salute fratrum . insuper & charitate vestra in nos] id est , ea quæ procedit ex vobis , diligentibus in nos , dilectos . VER. 7.

Vt & in hac gratia abundetis] q. d. Curate , vt sicut fide , sollicitudine , charitate erga me abundantis , ita pariter & eleemosyna in pauperes abundantis . ita Anselmus .

Non

Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, scilicet per exemplum Macedonum, qui tam solliciti fuerunt subuenire pauperibus. etiam vestra charitatis ingenium bonum comprobans] q. d. Ut comprobem & ostendam vestram charitatem habere bonum ingenium, cum sine iuslī meo, sua sponte, facit quod bonum illi ingenium suggerit, dictat & suadet.

VER. 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi] cognoscitis enim, inquit, à nobis edocti, quod & quantum beneficium in vos, gratuito contulerit Dominus noster Iesus Christus.*

Quoniam propter vos egenus factus est, id est, quod vestri causa pauper factus sit & indigens rerum temporalium, videlicet in assumpta natura. cum diues esset] intellige in natura diuina. Græcè, diues existens: neque enim diues esse desit, quando pauper factus est: quia non desit esse Deus, quando factus est homo.

Vt illius inopia vos diuites essetis] vt illius paupertate in temporalibus vos efficeremini diuites in spiritualibus. q. d. Ergo & vos, ô Corinthij Christiani, exemplo Christi eleemosyna vestra pauperes ditate, imò vos depauperate, vt alios diteris, si Christo esse velitis simillimi.

VER. 10. *Et consilium in hoc do, id est, in hac re. hoc enim vobis visle est] rationem dat consilij. Nam, inquit, hoc quod consulo, id est, opus eleemosynæ vobis conductit & utile est ad bonum spirituale, scilicet ad Deum promerendum: talibus enim hostiis promeretur Deus, ait Hebr. 13. de beneficentia & communione loquens.*

Qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore] velle, vltro scilicet, ac nemine impellente,

lente, hoc enim, ut insinuat Paulus, plus est, quam facere, scilicet rogatum. ita Anselmus.

Nunc vero & factō perficie] quod facere cœ-
pistis, perficite. ita enim facere incepérant Tito
hortante, de quo paulo antè dixit, se eum rogasse,
ut quemadmodum cœperat, ita & perficeret in
illis hanc gratiam.

Vt quemadmodum promptius est animus volun-
tatis, qua velletis scilicet ab anno superiore, ita sit
& perficiendi, ita vobis adsit & perficere, id est, ira
& perficiatis, ex eo quod habetis] & possidetis, id
est, pro facultate vestra & opibus.

Si enim voluntas prompta est, secundum id quod
habet, accepta est, non secundum id quod non habet.]
Sensus est: Quòd si suppetit prompta animi vo-
luntas ad dandum, ea meritò acceptanda est, si
quisque det iuxta modum suarum facultatum,
sive multum illud sit, sive parum: ita ut non exi-
gatur à quoquam amplius, quam pro ratione eius
quod habet ac possidet.

Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribu-
latio] non enim ut aliis relaxatio sit, vobis autem
angustia.

Sed ex equalitate, in præsenti tempore vestra
abundantia illorum inopiam suppleat.] Sensus est:
Sed hoc volo & exigo, ut vos qui bonis tempo-
ralibus abundatis, de vestra copia illorum inopie
temporali succurratis.

Vt & illorum abundantia vestra inopia sit supple-
mentum] q. d. In hoc sæculo vestra temporalis
abundantia suppleat illorum temporalem ino-
piam, ut vicissim aliquando, nimirum in futuro
sæculo, spiritualis illorum abundantia vestrae spi-
ritualis inopie supplementum fiat.

Vt fiat aequalitas] tam in remuneratione & eleemosyna spiritali, quam temporali.

VER. 15. *Sicut scriptum est, Exodi 16. Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit] Ex quo loco probat Paulus per exemplum collectionis & comedionis manna, Deum velle ut homines in communione bonorum quandam colant aequalitatem. Sensus enim est: Non plus habuit qui plus collegit; neque minus habuit qui minus collegit, sed omnes aequum multum.*

VER. 16. *Gratias autem Deo qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi] vt scilicet Titus sollicitus pro vobis, vestroque profectu ac lucro spiritali, vos exhortaretur ad beneficentiam in pauperes.*

VER. 17. *Quoniam exhortationem quidem suscepit] puta munus exhortandi vos ad eleemosynam Titus suscepit. ita Anselmus.*

Sed cum sollicuior esset, sua voluntate profectus est ad vos] sponte sua, non me iubente aut rogan te, profectus est ad vos, vt ad hoc opus tam pium vos exhortaretur.

VER. 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio, prædicando: cum Baronio Silam accipe, aut simpliciter cum Anselmo & Hieronymo, Lucam, per omnes Ecclesiæ.*

VER. 19. *Non solum autem, supple, laudem habet in Euangelio, sed & ordinatus est ab Ecclesiæ comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministeriat à nobis, hoc est, ad gratuitum hoc ministerium colligendi eleemosynas. ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram] hoc est, ad alacritatem animi nostri declarandam in hoc tam pio Dci & pauperum obsequio.*

Denuo

In II. Epist. ad Cor. Cap. VIII. 425

Denitantes hoc , ne quis nos vituperet in hac plenitudine , eleemosynarum & pecunia collectæ qua ministratur à nobis.

Prouidemus enim bona. græcè prouidentes seu procurantes bona , honesta. non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus] q.d. Proculo & satago honestè agere non tantum coram Deo , sed & coram hominibus.

Misimus autem cum illis & fratrem nostrum quem probauimus in multis sepe sollicium esse , seu diligentem esse ; id est , cuius sollicitudo ac diligentia multis argumentis nobis explorata est. nūc autem multo sollicitiorem] siue diligentiem.

Confidentia multa in vos. q.d. Confidens multum , & sperans , illos , vti par est , à vobis honestè & amanter excipiendo , idque , siue pro Tito , id est , partim ob amorem & venerationem Titi . qui est socius meus , & in vos adiutor] in Euangelij negotio , quodque suus adiutor seu cooperator erga Corinthios , id est , ad promovendam eorum salutem.

Siue fratres nostri] nempe reliquorum duorum quos mittimus , siue pro aliis duobus , scilicet confisi ; quippe qui fratres nostri sunt , id est , Iudæi sunt , quos alibi vocat suos cognatos secundum carnem . hoc peculiare dicit de istis duobus , nam Titus gentilis erat Gal.2.

Apostoli Ecclesiarum] hoc est , ait Theophylactus , ab Ecclesiis missi & electi , videlicet ad hoc munus colligendæ & perferendæ pecunia.

Gloria Christi] q.d. Qui Apostoli sunt gloriæ Christi , id est , promouent & illustrant gloriam Christi . quod tales essent vita & moribus , vt in iis Christus glorificaretur.

Oftensionem ergo quæ est charitatis vestræ , & no-

Ec 2 stræ

VER.20.

VER.21.

VER.23.

VER.24.

*stra glorie pro vobis, in illos ostendite] q.d. Charitatem ostendite insignem in Titum & socios, scilicet eam, quæ decet vos, vestramque tam liberali-
tem charitatem pariter, & gloriam, id est, gloria-
tionem nostram de vobis.*

*In faciem Ecclesiarum] in conspectu scilicet
omnium Ecclesiarum. ita Anselmus.*

C A P V T I X.

VERS. 1. *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abun-
danti est mihi scribere vobis] id est, submini-
stratio huius eleemosynæ, quæ fit in sanctos, id
est, pauperes Christianos, ex abundantia est, id est,
superfluum est scribere vobis, cum ad illam prom-
pti sponte vestra procurratis. ita Anselmus.*

VERS. 2. *Socio enim promptum animum vestrum] ad con-
tribuendam eleemosynam.*

VERS. 3. *Pro quo de vobis glorior apud Macedones de
promptitudine. quoniam & Achaia parata est ab
anno præterito, & vestra amulatio, id est, zelus mi-
sericordiae vestrae, quem apud alios prædico &
de quo glorior, prouocauit plurimos] ad imitationem.*

*Misi autem fratres, Titum & alios duos, ut ne
quod gloriamur de vobis, evanescatur in hac parte] ne
scilicet falsa appareat, ne inaniter videar gloria-
tus & falso, vos esse tam promptos & liberales; si
parcos & imparatos vos inueniant Macedones.*

*Vt, quemadmodum dixi, parati sitis] in aduentum
meum.*

VERS. 4. *Ne cum venerint Macedones mecum, scilicet apud
quos*

quos de vobis tam magnificè gloriatus sum. & inuenient vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia] in hac materia laudis & vituperij circa eleemosynas, & tenacem auaritiam.

Necessarium ergo existimani rogare fratres, ut pra- VERS. 5.
ueniant ad vos] Græcè, ut præcederent ad vos; præ-
cederent, inquam, priusquam ego veniam cum
Macedonibus.

Et præparent re promissam benedictionem] bene-
ficiantiam & eleemosynam vestram.

Hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, ut vi-
deatur spontanea & liberalis beneficentia: non
tanquam auaritiam] non vero ab auaris extorta.
ita Anselmus.

Hoc autem dico] q. d. Hoc est, quod volo dice- VERS. 6.
re, aut quod volo vos scire.

Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat
in benedictionibus, de benedictionibus & metet] Osté-
dit hac sententia, ab exemplo eorum qui seminant,
largè tribuendum esse, ut larga sit retributio.

Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex VERS. 7.
tristitia, quara parit auarus animus, aut ex necessita-
te] consulendi suæ famæ & pudori. q. d. Volo bo-
num vestrum, etiam si exiguum sit, esse volunta-
rium, ne mercede priuetur apud Deum.

Hilarem enim datorem diligit Deus] hilarem da-
torem vocat eum qui libenter & ex animo dat.

Potens est autem Deus omnem gratiam abundare VERS. 8.
facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficien-
tiam habentes, abundetis in omne opus bonum] ut sci-
licet assidue, continuè, & abundè facere possitis
eleemosynas, aliisque & aliis benefacere.

Sicut scriptum est in psal. 111. Dispersit, dedit VERS. 9.
Eccl 3 paupe

Premiu[m] eleemosynae & eternu[m] VER. IO. pauperibus, id est, more seminantis spargit opes suas, ac distribuit eas in pauperes. iustitia eius manet in seculum seculi] manet, scilicet in Dei memoria, & æterna mercede, quasi segete & messe.

Qui autem administrat semen seminanti, vt suum agrum seminet, & panem ad manducandum præstabit] multiplicabit, augebit. q. d. Potens est Deus præstare, multiplicare, augere semen vestrum.

Et multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitia vestra] augebit prouentus iustitiae & charitatis vestrae, scilicet dabit incrementum gratiae h[ic], & gloriae in cælo. ita Theophylactus. Fruges enim intelligit diuinæ & æternæ remunerationis, ait Anselmus.

VER. XI. Ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem] Deus ea quæ dixi vobis præstabit (aut præstet) ut pote qui sitis per omnia diuites perfectæ simplicitatis, id est, virtute sinceræ liberalitatis.

Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo] id est, quæ vestra simplicitas efficit, ut per nos gratiae agantur Deo.

VER. XII. Quoniam ministerium huius officij, administratio scilicet huius collectæ eleemosynarum, non solum supplet ea quæ defunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino] ut per multos, ac præsertim eos qui vestra liberalitatis sunt participes, gratiae Deo agantur.

VER. XIII. Per probationem ministerij huius glorificantes Deum] dum per nostrum ministerium probata illis vestra liberalitate Deum glorificant.

In obedientia confessionis vestrae, in Euangelium Christi] glorificant Deum in obedientia vestra,

qua

qua confitemini, & profitemini Euangeliū Christi. vnde Syrus: Glorificant Christum quod subditi sitis confessioni Euangelij Christi. In Euangeliū id est, erga Euangeliū, vel Euangeliū.

Et simplicitate communicationis in illos & in omnes] id est, & super liberalitate vestra, qua simpli- ci animo puraque intentione participes bonorum, vestrorum temporalium feceritis ipsos ac cæteros Christi pauperes.

Et in ipsorum obsecratione pro vobis] q. d. Pau- veres Hierosolymitani, qui vestram eleemosy- nam recipiunt, dum pro vobis orant & obsecrant, glorificant etiam Deum. VER. 14

Desiderandum vos propter eminentem gratiam Dei in vobis] id est, qui magno vestri videndorum desiderio tenentur, idque propter eminentem Dei gratiam, quam vobis inesse cognoscunt: gratiam, inquam, fidei, ac beneficentiae ex fide profectae.

Gratias Deo super inenarrabili dono eius.] Dono, scilicet charitatis, & eleemosynæ vestræ, ex quo tam multa bona, totque Dei laudes vnde quaque redundant, ut merito dicatur inenarrabile, vide Chrysost. VER. 15.

CAPVT X.

S V M M A R I V M.

Aduersus pseudoapostolos, apud quos habebantur contemptibilis, dignitatem suam tueretur, addens se non gloriari ultra modum laboris sui.

Pse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetitudinem & modestiam Christi,] quasi dicat: Oro

E e 4 vos

vos per Christi mansuetudinem , ne me cogatis
ira sci.

Qui in facie quidem humiliis sum inter vos] quando præsens sum , facie & specie externa humiliis & abiectus videor.

Absens autem confido in vobis] Sensus est : Ego Paulus,inquam,qui(quod mihi vitio vertitur ab aduersariis) quum apud vos sum , humiliiter & subimissem me gero ; cum absens sum , audaciam & confidentiam cum auctoritate erga vos ostendo in epistolis quas scribo.Hæc enim ab Apostolo sic de seipso dicuntur , velut in vituperium ipsius ab aliis obiecta.

VERS. 2. *Rogo autem vos ne præsens audeam , per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam] Rogo vos , inquam , ne vestra culpa contingat; vt , qui præsens apud vos humiliiter haec tenus me gessi , posthac cum ea fiducia qua absens audere existimor,etiam præsens audeam , hoc est , audacter & intrepidè potestate meam exerceam in quosdam ex vobis.*

Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus] tanquam carnalibus mediis , carni scilicet,humanaque ac politica prudentia, industria,astutia,vrare,vt cum non aulim præsens comparere,vel imperare,absens id faciam per audaces & minaces litteras.

VERS. 3. *In carne enim ambulantes , non secundum carnem militamus] Apostolus secundum carnem ambulare,militare,gloriari dicit eos , qui carnarium & politicorum hominum more animaliter viuunt, ambulant , gloriantur in specie & apparentia externa , in rebus & dotibus externis , videlicet in nobilitate , prosapia , eloquentia , gratia , prudenter,*

tia, iisque quasi armis nituntur ad fauorem & plausum hominum, ut omnes sibi concilient ac subiiciant.

Nam arma militiae nostra non carnalia sunt] vt VERS. 4.
sunt artes, scientiae, rationes, praxes humanae,
facundia, adulatio[n]es, iactantia, simulationes,
affectata grauitas & prudentia, quibus mundi
homines vtuntur.

Sed potentia Deo] fortia Deo, valida & effica-
cia per Deum, id est, virtus sunt Dei: quia Deus
per ea potenter operatur in animis audientium,
eisque ad fidem conuertit, &c. Hæc arma, ait
Anselmus, sunt vehementia spiritus & zeli, effi-
cacia prædicationis, vt Deus videatur verbis no-
stris pondus & energiam indere & inflare, sa-
pientia, sanctitas, miracula, crebra oratio, pura
intentio, patientia, charitas.

Ad destructionem munitionum] Munitiones vo-
cat omnes rationes, syllogismos, sophismata,
eloquentiam, virtutes philosophicas, sæcularem
potentiam, gratiam, amicitiam, & quidquid
Gentiles ac dæmones obiecerunt & opposue-
runt Apostolis & Euangeliu[m]. ita Chrysost. An-
selm. & alij.

Consilia destruente[s] q.d. Nostris armis destrui-
mus omnia prudentium huius sæculi consilia,
quibus Euangeliu[m] nostrum euertere, suum
gentilismum, suos doctores & philosophos sta-
tuere & stabilire, Christoque & nobis præferre
moliuntur.

Et omnem altitudinem] quicquid in sermone VERS. 5.
vel scientia sæculari grande & sublime est, &
apud homines admirationem excitat.

Extollentem se aduersus scientiam Dei] quod to-

E c s t u m

Arma A-
postolorū
qualia
fuerint.

Munitio-
nes cōtra
Euange-
liū qua-
nā fūnt.

tum destruendum dicit, quatenus extollitur aduersus scientiam Dei, qua nimirū Deus cognoscitur.

Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi] q.d. Hac militia nostra vincimus & captiuamus omnes hostes nostros. Captiuum ducimus omne ingenium humanum, quantumcunque excellens & scientiis excultum, ad obedientum & humiliter submittendum se Christo per fidem.

VERS. 6. *Et in promptu habentes, vlcisci omnem inobedientiam. q. d. Promptum quoque mihi est & facile vlcisci rebellium & pseudoapostolorum, qui mihi detrahunt inobedientiam, eos scilicet excommunicando. cùm impleta fuerit vestra obedientia] q. d. Tunc ea potestate vt emur cùm vestra obedientia fuerit impleta, id est, cùm vos plenè ad obedientiam reducetos video.*

VERS. 7. *Quæ secundum faciem sunt videte] q. d. Secundum faciem, vt aiunt, humili sum; ergo quæ secundum faciem sunt videte, & ex iis de me & illis iudicate.*

Si quis confidit sibi Christi se esse] id est, si quis de seipso confidit, vel sibi persuasum habet se Christi fidelem esse, aut potius Christi ministrum.

Hoc cogitet iterum apud se] id est, hoc etiam atque etiam perpendat apud se, scilicet vt non opus habeat à nobis doceri: res enim per se manifesta est.

Quia sicut ipse Christi est, ita & nos] hac parte non sumus eo inferiores.

VERS. 8. *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra] Apostolica, qua non tantum prædicare Euangelium, sed etiam corripere & punire delin-*

delinquentes possum.

Quam dedit nobis Dominus] Christus ipse, non homo quispiam, sicut ait Gal. i.

In edificationem, & non in destructionem vestram] ad hoc, inquit, potestatem mihi dedit, ut vos & alios homines ædificem spiritualiter, id est, ad salutem promoueam; non autem ut destruam, id est, à salute aut profectu salutis impediam.

Non erubescam] non pudebam tanquam arrogans; quia iure & cū honestate id facere possum.

Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas] VERS. 9. vt autem non videar terrere vos velle, & metum incutere per epistolias, quasi præsens nihil audeam.

Quoniam quidem inquiunt, mei obtrectatores VERS. 10. & pseudoapostoli: epistola, quas ad vos scribit Paulus, ô Corinthij, graves sunt & fortes, hoc est, duræ & acres, seueræ & minaces: præsentia autem corporis infirma, vilis, abiecta, pusilla, contracta. & sermo contemptibilis] rudis, inconcinnus, inelegans.

Hoc cogitet qui eiusmodi est, obtrectator, qui iactat de me, cogitet hoc: quia, id est, quid, quales sumus verbo per epistolam absentes, tales & præsentes in facto] sermone transmisso per epistolam, nempe potestatem nostram ac seueritatem ostendentes; tales etiam sumus præsentes; nec solum sermone, sed & opere, scilicet cùm opus est.

Non enim audemus inferere, id est, annumerare, VERS. 12. aut comparare nos quibusdam qui seipso commendant. q.d. Illi tam magnos se faciunt, ut non audemus nos censere cum talibus pseudoapostolis qui se suaque supra veritatem extollunt. q.d. Non ea iacto, quæ non habeo, ut ipsi: sed ipsi in nobis nos

nos metip̄os metientes, & comparantes nos metip̄os nobis] id est, metior me meo pede, meis dotibus, & Dei donis, rebūsque à me per Dei gratiam gestis, ait Photius. Sed ipsi arrogantia & ambitione excæcati, non intelligunt se metiri & comparare semetip̄os magnōsque facere ex suo ipsorum iudicio. q. d. Ineptè ipsi se attollunt, & gigantes faciunt.

VER. 13. *Nos autem non in immensum gloriabimur*] id est, vltra modum, seu potiùs, vltra terminum ac metas laboris nostri in Euangelio. Videntur enim pseudoapostoli sese mendaciter iactitasse, quod vsque ad fines orbis terræ propagassent Euangeliū Christi; quod erat in immensum gloriari. Nos autem, inquit, non ita gloriari volumus.

Sed secundum mensuram regula, qua mensus est nobis Deus] id est, ego me vera mensura ac regula metior, donorum videlicet & prouinciarum, quam mihi sua designatione quasi mensoria regula admensus est, & attribuit Deus.

Mensuram pertingendi usque ad vos] id est, euangelizandi à Iudaea per interiacentes omnes prouincias, Corinthum usque. q. d. Glorior, & verè glorior de mea mensura ac magnitudine, id est, multitudine prouinciarum, quas Christo & Ecclesiæ adieci.

VER. 14. *Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos: usque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi*] propagando. Ut proinde veraci ter possim de vobis, vt filiis dicere: In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui, &c. Opus meum estis in Domino. 1. Cor. 4. & 9.

VER. 15. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus*] non gloriamur extra mensuram nostram, ac super

per alienis laboribus, ut faciunt emuli nostri: qui Corinthi, ubi Apostolus fundamenta fidei iecerat, subintrarunt in eius labores.

Spem autem habentes crescentis fidei vestra] spe-ro, quod, cum fides vestra crescat, me ultra non egebitis, quodque per vos aditus mihi fieri ad vicinas gentes, ut possim ultra euangelizare, & superextendere me etiamque prædicatio-nem, ita Chrysostomus.

In vobis magnificari, secundum regulam nostram, in abundantiam] nam fides crescens, id est, in plures dilatata, argumentum erat etiam ampliata regulae.

Etiam in illa que ultra vos sunt euangelizare, id est, longius, ultra in alias gentes ac populos euangelizare spero. non in aliena regula, in iis que preparata sunt gloriari] q.d. Nolo aliorum noualia excolare, sed prius mea ipse noualia facio, deinde exculo, ipse primus ubique fidem planto & præ-dico. Rom. 15.

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur] id est, cum illa gloria illi fuerit a Domino delata & approbata, glorietur in Domino Christo, id est, Domino de iis tantum glorietur, quae a Deo per Christum solu-modo accepit, atque ab eo se accepisse agnoscat; & totum quod cedit ad gloriam suam, referat in Deum.

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat] id est, commendabilem, ex iis quae vere per eum operatur, ostendit. Nam Deus, ut annotat Thomas, est causa totius boni operis per homines facti, vel quem Deus commendat, id est, cui Christus per meritum suum vere communicat ea per quae commen-detur. Opponit haec duo, gloriari in se, & gloriari in Do-

in Domino. Gloriari in se, est seipsum commendare: in Domino autem gloriari, est à Domino commendari, & in Domini commendatione gloriari.

C A P V T XI.

VERS. 1.

VT inam sustineretis modicum quid insipientia
meæ] id est, gloriationis, quæ videtur esse in-
sipientia, ego tamen sapientissimè eam usurpo
ex zelo, ut Euangelium meum & fideim apud vos
tuar cōtra pseudoapostolos. ita Ansel. Chrysoft.

Sed & supportate me] quod opto ut meam insi-
pientiam toleretis, id etiam peto ut faciatis.

VERS. 2.

Æmular enim vos Dei emulatione] zelotypus
sum erga vos zelo Dei. q.d. Nō ambo mihi hanc
sponsam, sed Christo & Deo, non meæ gloriæ,
commodis, lucris, sed Christi, omnia hæc adorno;
Christus enim sponsus est, ego tantum sponsæ
ductor & paronymphus.

VERS. 3.

Despondi enim vos uni viro virginem castam ex-
hibere Christo] Dicitur autem virgo, propter in-
tegritatem fidei charitate informatæ. Desponsa-
tio hæc sit per fidem, spem, alijsque virtutes. nam
vt ait S. August. tract. i 3. in Ioan. Virginitas men-
tis & integra fides, solida spes, sincera charitas.

Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astu-
ria sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à
simplicitate quæ est in Christo] id est, à simplici, pura,
& incorrupta fide quam habetis in Christum.

VERS. 4.

Nam si is qui venit, alium Christum prædicat,
quem non prædicauimus] q. d. Si pseudoapostoli
aliam doctrinam perfectiorem de Christo, vel
Christi

Christi prædicarent, quam ego non prædicau; quasi prædicatio mea ad salutem & christianismi perfectionem non sufficiat.

Aut aliud spiritum accepitis quem non accepistis,
q.d. Si alia dona Spiritus sancti, quæ per me non accepistis, acciperetis à pseudoapostolis ipsis. *aut aliud Euangelium quod non receperistis;* recte paterneris vel sustineretis. q.d. Vbi est ille alias spiritus, alia dona, quæ iactant? sanè nūquam comparent. testes vos appello, qui nihil aliud, quam ventosa verba ab eis accepistis.

Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis A- VERS. 5.
postolis.] Vocat magnos eos qui inter Apostolos exi-
mijerat & summi: quales Petrus, Iacob. & Ioánes.

Nam et si imperitus sermone, sed non scientia] et si, VERS. 6.
quod ad sermonem attinet, quo vobis cum loquor aut scribo, sim imperitus ac velut idiota; non tamen quoad scientiam earum rerum quas docere me profiteor, scilicet diuinorum, & ad vestram salutem spectantium. Nam vtique sine huiusmodi scientia, verus Christi Apostolus ac doctor Gentium esse non possem.

In omnibus autem manifestati sumus vobis] id est,
nihil apud vos dissimulanter egredi: totus & per omnia vobis manifestatus sum.

Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians, VERS. 7.
vt vos exaltemini?] An peccatum feci meipsum
humilians, deiiciens ad scenopiegiam, & labores manuum, quibus victimum mihi pararem, humiliiter nempe & tenuiter, sumptu meo victimans; ne vobis essem oneri, sed vos potius exaltarem & honorarem hac mea humiliatione. q.d. An hoc ipsum quod gloriae est & beneficentiae, impropertatis mihi?

Quo

*Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizauis
vobis] q.d. Vsque adeò non peccauis in vos , vt &
singulari beneficio vos affecerim , gratis Euan-
gelium prædicans, quod apud alios non feci.*

VERS. 8. *Alias Ecclesiæ expoliaui , accipiens stipendium
ad ministerium vestrum] Sensus est : Ab aliis Ec-
clesiis , quamuis essent vobis pauperiores , vt
proinde spoliari ac denudari viderentur , accepi
stipendium ac sumptum necessarium , vt vobis
Euangelium ministrarem.*

VERS. 9. *Et cum essem apud vos , & egerē; nulli onerosus fui]
sed strenuè meis manibus laborauis: nec tamen in
prædicatione obtorpuis , sed æquè diligenter om-
nibus & singulis docendo, monendo, consulendo ,
me impendi : atque si nihil aliud , nulla vi-
ta sustentandæ necessitas curâve mihi incu-
buisset.*

*Nam quod mihi deerat , supplererūt fratres qui ve-
nerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vo-
bis seruaui , & seruabo] Addit auté de futuro tem-
pore , ne commemorando præteritam abstinen-
tiā , videatur admonere Corinthios quid in po-
sterum erga se facere debeant.*

VER. 10. *Est veritas Christi in me] in veritate Christi lo-
quor , testor Christi veritatem ; vobis ego per
Christum (Ambros. sub Christi testimonio) verè
sanctèque affirmo ac iuro , me nihil pro sumptu
à vobis accepturum . ita Theoph.*

*Quoniam hæc gloriatio , quòd gratis vobis euan-
gelizauerim , non infringetur in me in regionibus*

VER. 11. *Achæia.*

Quare ? quia non diligo vos ? Deus scit] an vos

VER. 12. *non diligam.*

*Quod autem facio , & faciam] id est , sed quod
hacte*

hactenus facio , gratis per Achaiam prædicans Euægeliū; idem & fakturus sum deinceps.

Vi amputem occasionem eorum qui volunt occasiōnem , ut in quo gloriāntur , inueniantur sicut & nos] gloriāntur in prædicatione se. esse mihi pares , cùm sint inferiores : ego enim gratis, ipsi lucri causa euangelizant. ita Anselm. Chrysost. & Theophyl.

Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdolū , seu dolosi. ingerebant seipsoſ , mentientes ſe missos eſſe. transfigurantes ſe in Apostolos Christi] ſcilicet à ſeipſis, id eſt, affumentes personam Apoſtolorum Christi, dicentes ſe eſſe Christi Apoſtoloſ, ſed falſoſ. VERS. 13

Et non mirum] quod audeant ſe transfigurare in Apoſtoloſ Christi. VERS. 14

Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum Iucis] dicit lucis ſolent enim Angeli boni, vtpote beatifici, lucidi & glorioſi apparere , cùm ſe oſtendunt hominibus. Secundò Iucis, id eſt, veritatis, iuſtitiae, pietatis: hæc p̄ ſe fert Satanas, hæc promittit hominibus, quorum vel oculis viſibiliter apparet, vel phantasiæ ſe ſuāque conſilia inſinuat, oſtendit, imprimiſt, cùm verè ſit Angelus tenebrarum; quia non niſi peccata, errores, dolos ſuggerit. Satanas
transfig-
rat ſe in
Angelum
lucis.

Non eſt ergo magnum, id eſt, mirandum tanquam reſ magna: ſi miniftri eius trāſigurentur velut miniſtri iuſtitiae] id eſt, figuram ac personam affumant miniftrorum iuſtitiae. VERS. 15.

Quorum finis erit ſecundum opera ipſorum] q. d. Etiſi fallant homines, Deum fallere non poterunt, à quo tandem recipient mercedem operibus ſui debitam , hoc eſt, interitum & mortem æternam,

VERS. 16

Iterum dico, ne quis me putet insipientem esse, scilicet ob id quia meipsum prædico. nam iusta causa est cur id faciam. alioquin velut insipientem accipite me] q.d. Quòd si aliud impetrare non possum, accipite me velut insipientem, tantùm ut mihi paululum gloriari liceat. Nota, valdè præmolit, ut ostendat quam inuitus, & non nisi coactus descendat ad laudes suas. ita Chrysoft.

Vi & ego modicum quid glorier] id est, ut cùm illos æmulos nostros toleretis tam multa de se iactantes; mihi quoque concedatis vel paulum de meipso gloriari.

VERS. 17

Quod loquor non loquor secundum Deum] quod loqui propono & intendo, meas scilicet laudes.

Sed quasi in insipientia in hac substantia gloria] in hoc subiecto, in hac materia gloriae, qua gloriari de meis laboribus in sequentibus intendo.

VERS. 18

Quoniam multi glorianter secundum carnem, in rebus carnalibus & externis, puta in nobilitate, diuitiis, sapientia, circumcisione, parentibus Hebreis glorianter pseudoapostoli, hinc & ego in iisdem gloriabor] ita Chrysoft.

VERS. 19

Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes] Est ironia, quasi dicat, Sustinuitis insipienter iactantes se gloriabundos illos pseudoapostolos sustinebitis, spero, & me apud sapientes sapienter & utiliter gloriantem.

VERS. 20

Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit] qui imperiosè vobis vtuntur ut mancipiis. Significat imperiosam pseudoapostolorum in Corinthios fideles dominationem, qua eos propemodum ut seruos premebant. nam ad eiusmodi subiectionem pertinent quæ sequuntur.

Si quis denorat] id est, bona vestra extorquent, significat inexplebilem auditatem quantum ad sumptus vitæ, quos identidem exigebant.

Si quis accipit] scilicet à vobis.

Si quis extollitur] id est, extollunt se supra vos, potestatem sibi vendicant in vos, seipso laudant, se suáque magnificiunt & deprædicant, dicendo se esse populum Dei; illos, ex Gentibus peccatores.

Si quis in faciem vos cædit] non alapis, sed contumeliis, in faciem exprobrantes quod fueritis idololatræ peccatores, immundi, quod sitis præputium.

Secundum ignobilitatem dico] q. d. Cùm dico pseudoapostolos in faciem vos cædere, non simpliciter dico, sed quoad ignominiam & contumia, quæ in vos iactant, & in faciem exprobrant.

VER. 21.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte] q. d. Sustinetis fortes, audaces, minaces & imperiosos pseudoapostolos, me verò non sustinetis, sed contemnitis tanquam infirmum, pusillanimem & timidum, quasi qui imperiosius agere non potuerim quam feci. q. d. Paulus, Potui sanè eadem licentia & imperio in vos vti, quo pseudoapostoli vni sunt, sed nolui ex humilitate, modestia, & charitate eximia. ita Chrysost.

In quo quis audet, supple gloriari (in insipientia, id est, quasi insipiens, vel insipienter dico) audeo & ego] scilicet gloriari. Sensus est: Quæcunque illi sibi arrogant tanquam gloriofa, ego quoque mihi arrogabo.

Hebrei sunt, & ego: Iſraēlitæ sunt, & ego: semen Abrabæ sunt, & ego] Gloriosius erat Iſraēlitam dici,

Ff 2 quam

quàm Hebræum : & semen Abrahæ dici , quàm Iſraëlitam.

VERS. 23 *Ministri Christi sunt.* per concessionem hoc dicit : Esto vocent se Christi ministros , & ego sum , imò plus quàm ipſi , vt minus sapiens dico] hoc est , quasi insipiens , delirans loquor . tanquam dicat Apostolus , *Ministri Christi sunt ; (stulte loquor , stultitiae meæ ignoscite) plus & excellen- tiùs ego sum.*

In laboribus plurimis] id est pluribus , quàm pseudoapostoli.

In carceribus abundantius , in plagiis supra mo- dum] id est , in verberibus insolenter , &c , vt ita dicam , excessiūè mihi illatis , suprà quàm dici vel credi potest.

In mortibus frequenter] mortis periculis , vbi co- mites mei , aut alij vel à latronibus , vel à seditiosis cædebantur aut iugulabantur.

VERS. 24 *A Iudeis quinques quadragenias una minus acce- pi] Iusserat Dominus Deut. 25 . vt plagarum nu- merus quadragenarium non excederet , cui vt certius & pleniūs satisfacerent Iudæi non qua- draginta , sed vna minùs , scilicet triginta nouem reis infligebant . ita Talmudici .*

VERS. 25 *Ter virgis casus sum] à Gentilibus .*

Semel Lapidatus sum] Id passus est Lystris Ly- caoniæ , potissimum à Iudæis , adeoque grauiter vt mortuus putaretur : quemadmodum refertur Act. 14.

Ter naufragium feci] naufragatus sum , naufra- gium passus sum .

Nocte & die in profundo maris fui] id est , alto & medio mari diem noctemque vndis iactatus egi . ita Theophyl.

In itineribus *sepe*] non solum molestis, sed VERS. 16& periculosis.

Periculis fluminum] quæ interdum non minus periculosa sunt nauigantibus quam mare.

Periculis latronum] in quos inciderat iter faciens.

Periculis ex genere] ex gente mea, insidias inteligit, quas sœpè ipsi Iudei struxerunt.

Periculis ex Gentibus] id est, à Gentilibus; sed iis plerumque à Iudeis in ipsum concitatis: ut ex Actis liquet.

Periculis in ciuitate] velut Damasci, Hierosolymis, Ephesi, atque alibi.

Periculis in solitudine] id est, in desertis locis, in quibus ei ab aduersariis collocabantur insidiæ.

Periculis in mari] Hic peculiariter loquitur de periculis sibi mare nauiganti paratis ex insidiis hostium, maximè Iudeorum, cuius exemplum habemus Act. 20. vbi scribitur factas illi fuisse insidias à Iudeis nauigaturo in Syriam.

Periculis in falsis fratribus] id est, periculis quæ passus sum à simulatis & falso nomine Christianis.

In labore & erumna] Significat vox græca laborem cum difficultate ac fatigatione coniunctum.

In vigiliis multis, in fame & siti] inediā & penuriam passus est, gratis Euangelium prædicans.

In iejuniis multis iejunia ad purificandam mentem, & edomandam carnem, sponte assumpta, quo fructuosiùs Euangelium prædicaret. sic enim

dit. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte, &c.

In frigore & nuditate.

VERS. 28

Præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana] instantia, hoc est, negotiorum moles mihi instans, circumstans, & incumbens. iam verò præter illa quæ foris & extrinsecus mihi accidunt, id est corporis afflictiones & pericula, cuiusmodi sunt quæ hactenus recensui, sunt & periculaires animi dolores atque afflictiones, quibus excrucior Euangelij causa. Nam quotidie ad me, tanquam Apostolum Ecclesiastum, concurrebit vñdiquè à fidelibus, ob varias difficultates circa negotium Euangelicum emergentes: quæ res animum meum inquietat maiorem in modum.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum] id est plurimorum; scilicet eorum quas ipse fundauerat, aut quibus per se vel per discipulos suos Euangelium prædicauerat.

VERS. 29

Quis infirmatur, dolet, affligitur, & ego non infirmor] non doleo, non affligor: quis fidelium infirmatur animo, propendet ad lapsum, pronus est ad peccandum leui occasione, & ego non infirmor per intimum affectionem commiserationis, metuens ac sollicitè cauens ne frater infirmus cadat?

Quis scandalizatur, & ego non uxor?] hoc est, ignesco, incendor, ardeo tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cum scandalizatur; tum zelo, ut illum curem, & scandalum tollam.

VER. 30.

Si gloriari oportet, que infirmitatis mea sunt, id est, de afflictionibus, flagellis, persecutionibus

& passionibus pro Christo susceptis gloriabor] ob quæ videor infirmus, hoc est, abiectus, afflicatus, imbecillus & contemptibilis. ita Chrysostomus.

Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est VERS. 31
benedictus in secula, scit quod non mentior] Deus horum omnium testis est, qui nouit me non mentiri, sed vera dicere, q.d. Absit ut abutat eius testimonio, cui omnis laus & honor debetur in omnem æternitatem.

Damasci propositus gentis Aretæ regis, Satrapa VERS. 32
Aretæ regis: fuit hic locer Herodis, ait Theophili. Herodes enim Antipas qui Ioannem Baptistam occidit, filiam Aretæ vxorem duxerat, teste Iosepho: custodiebat ciuitatem Damascorum, ut me comprehenderet] scilicet Iudeis aduersariis meis tradendum. nam Iudeorum opera qui Paulum interficere cupiebant, factum esse quod hic scribit, Lucas in Actis Apost. disserit exposuit.

Et per fenestram in porta dimissus sum per murum] id est, per mœnia ciuitatis, idque nocte, & à discipulis, id est Christianis, ut refert Actorum historia.

Et sic effugi manus eius.

CAPVT XII.

Si gloriari oportet, non expedit quidem] id est, VERS. 1.
Siquamvis propter vos oporteat me gloriari, ut dignitatem ministerij mei tuear aduersus obtrectatores, mihi tamen id non expedit.

Veniam autem ad visiones & revelationes Domini] scilicet commemorandas, cum aliquid videtur,

*Visionis
& reue-
lationis
distinctio*

cuius intelligentia siue significatio videntem latet, visio solum est; quando autem aperitur intelligentia rei visae, reuelatio est. Coniungit ergo Apostolus visiones & reuelationes, quia quae vidit, etiam perfecte intellexit. vocat autem eas visiones & reuelationes Domini, id est, à Christo Domino sibi factas.

VERS. 2.

Scio hominem in Christo] id est, noui hominem quandam Christianum, Christo per Sacramentum fidei in corporatum.

*Paulus
quando
raptus.*

Ante annos quatuordecim] Hinc deducitur, raptum hunc Pauli contigisse octennio post ipsius conuersationem, scilicet anno Domini 44. Claudij Imperatoris 2. cum eius conuersio in annum Domini 36. inciderit. Constat enim scriptam fuisse hanc epistolam anno Domini 58. Neronis autem 2. à quo si retrorsum computes annos 14. vt ipse met hīc ait, incides in annum Christi 44. Non ergo hic raptus contigit anno quo conuersus fuit, sed quo prædicandi in Gentibus Euangelij munus vna cum Barnaba accepit, secundum ea quæ Act. 13. scribuntur.

Sine in corpore, nescio, sine extra corpus, nescio] Licet Apostolus afferat se hac de re nihil certò scire, probabiliter tamen D. Thom. 2.2. q. 175. art. 5. & alij opinantur Pauli animam quasi formam manisse unitam corpori: alioqui enim Paulus mortuus fuisset, & mox resurrexisset; Deum autem non decet, ut cum homines in extasi rapi, eos occidat: imò sic non fuisset hic raptus & extasis, sed occisio & mors, multaque hīc interuenissent miracula, quæ frustra multiplicamus; cum sine iis suauius & naturalius manens in corpore rapi potuerit, vti alij Sancti rapti sunt.

Deus

Deum scit] quemadmodum solemus de rebus
incognitis & occultis aut alioqui incertis, dicere,
Deus nouit an ita sit.

Raptum huiusmodi usque ad terium cælum] Ra-
ptus, ait D. Thom. est ab eo quod est secundum Raptus
naturam, in id quod est supra naturam, ex vi su-
perioris naturæ eleuatio. In raptu alienatur &
abstrahitur anima à sensibus & phantasmatibus,
& sic ab iis abstractus fuit Paulus. Cælum pri-
mum est aëreum, secundum sidereum, tertium Calum
cælum est, quod Theologi empyreum, vocant,
sedes Beatorum, de quo dicitur: Angeli eorum in
cælis semper vident faciem Patris, Matth. 18.
Hoc igitur est tertium cælum, ad quod raptum
se dicit Paulus. ibi reuera audiebat arcana, ut sci-
licet orbis iam doctor futurus, è cælo prodire
videretur, ibique visa & audita, quæ volebat Deus
illum hominibus communicare, enarraret, cæle-
stèmque sapientiam quasi è cælo hominibus af-
ferret.

Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue
extra corpus, nescio; Deus scit] humiliter scire se
negans quod nescit; ut fidem mereatur in eo
quod scire se affirmat.

Quoniam raptus est in paradisum] de cœlesti VER. 3.
paradiso Paulus loquitur, id est, de loco Beato-
rum, ut proinde paradisus à tertio cælo non vi-
deatur esse diuersus. In cælo empyreo vastissimo
separatus est paradisus, id est, locus Beatorum,
quasi pars cœli nobilior & eminentior, utque in-
nuat se non tantum intellectu raptum altissima
vidisse mysteria, sed & voluntate ineffabilem in-
de voluptatem haussisse. Vnde hic tertium cælum
vocatur paradisus.

Raptus
quid sit.

Cælum
tertiu[m]
empyreū.

VER. 3.

VER. 4.

Paradi-
sus est
locus
Beatoru[m]
separa-
tus in
cælo.

Et audiuit arcana verba , que non licet homini loqui] ineffabilia vel non dicenda. hoc enim dici solet ineffabile quod homini non est possibile eloqui seu verbis explicare. Augustinus, Beda, Anselmus & Thomas in suis Commentariis estimant Paulum in hoc raptu diuinam essentiam vidisse , quomodo videtur à Beatis ; eo solùm discrimine , quòd Paulo contigerit dumtaxat in transitu videre , quod Beati vident permanenter.

*Paulus
in raptu
non vi-
dit diui-
nam es-
sentiam.* *Audire verba , nulla parte videtur accommo-
da per quam significetur visio Dei per essentiam.
Propriè enim audire etiam animæ separatae , non
significat clarè rem intueri , sed Dei , angeli , aut
hominis locutionem excipere ; alioqui enim clara-
rè dixisset : Vidi ineffabilia , vidi Deum , qui a deo
dicit : Quem nemo vñquam vidit . 1. Timot.
6. quia si Deum vides , vides & statum suum , an
in corpore esset , nec ne ; quod tamen hic negat.
Ambrosius & Gregorius , nominatim ac disertè à
Paulo remouent essentiæ diuinæ visionem . Cœ-
terum plurimi ac penè omnes , vniuersè negant
quenquam hominem in hac mortali vita Deum
vidisse aut videre posse , ea visione , quæ Beatis
seruatur in futurum.*

*VER. 5. Pro huiusmodi , pro tali scilicet homine à Deo
rapto , gloriabor : pro me autem nihil gloriabor , nisi in
infirmitatibus meis] calamitatibus , passionibus .
infirmitas ponitur pro dolore .*

*VER. 6. Nam , & si voluero gloriari , non ero insipiens]
nam eti si de meipso voluero gloriari in his quæ
glorio/a videntur hominibus , vt sunt visiones
& reuelationes ; reuera non ero insipiens , li-
cet aliquo modo futurus similiſ insipientibus .*

Verita

Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me] ne quis propter illa plus mihi tribuat, ac maiorem existimet, quam mea facta quæ videt, & meus sermo quem audit, me esse declarant.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me.] Hinc patet Paulum quasi cælestem orbis doctorem multas, & magnas habuisse reuelationes, iisque quasi assuetum & innutritum fuisse illarum non nullas describit Lucas. Prima, qua conuersus est Paulus Act. 9. Secunda, qua vocatus est in Macedonia, Act. 16. Tertia, qua Corinthi contra Iudeos iussus est constanter euangelizare, Act. 18. Quarta, qua didicit se cum suis naufragium eausurum, Act. 27. Vnde S. August. illud psal. 67. Ibi (scilicet inter Apostolos Benjamin in mentis excessu, de Paulo intelligit qui fuit ex tribu Benjamin. Itaque hie locus ostendit Apostolum non ita fuisse confirmatum in virtute, quin adhuc extolli posset in superbiam.

Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, ut me colaphizet] Datus est, non à diabolo, sed à Deo; non quod Deus tentationis sit auctor, sed quia diabolo tentare Paulum parato, id permisit, idque tantum in specie & materialibidinis, ad eum humiliandum. ita Augustin. de nat. & grat. 27. Accepit Apostolus stimulus carnis, à quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? ita Augustinus in psalm. 58. Hieronymus, Saluianus, Haymo, Theoph. Beda, S. Thomas, Lyran. & alijs: videturque communis fidelium sensus, qui hinc libidinis tentationem stimulus carnis vocant. Hanc expositionem probat Bellarminus lib. de

VER. 7.
Variare
uelatio-
nes &
visiones
Paulina.

Etiam
sanctissi-
mis peri-
culum à
superbia.

Stimu-
lus car-
nis pauli
qua fue-
rit.

Mona

Monachis , cap. 30. Apostolus dicit , stimulum carnis sibi datum ad humilitatis custodiam. *vt me colaphizet*, id est, ignominia afficiat, vilémque reddat & contemptibilem, maximè enim ad ignominiam & pudorem hominis pertinet , pati in carne sua turpes ac bestiales motus libidinis.

VER. 8.

Propter quod ter Dominum rogavi, vt discederet à me] ter, id est frequenter. contra has tam instanter & toties rogat obsecrátque, *vt iis liberetur*: in aliis, non liberationem, sed fortitudinem & constantiam petiiset ; hæc enim solæ non tam fortiter patiendo, quām fugiendo vincuntur.

VER. 9.

Et dixit mihi Dominus, Sufficit tibi gratia mea] vt in te licet debilis , in me tamen sis fortis ad hanc tentationem superandam. Hinc patet Paulum non fuisse in sua prece exauditum , nec hoc stimulo liberatum.

Infirmi-
tarum
utilitas.

Nam virtus in infirmitate perficitur.] Non expedit tibi stimulum illum carnis à te auferri; quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, dum per eam fit , *vt tentatio carnis supereretur à te*, aut ne noceat, toleretur , & per hoc magis illustrem fortémque te reddat. *Virtus*, Græcè est, potentia, fortitudo mea , quam scilicet ego Deus tibi, ô Paule , aliisque Sanctis communico & indo. Hæc infirmitate perficitur : quia quid maior est infirmitas, id est, carnis tentatio, eò maior à Christo fortitudo contra eam suggeritur.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis] id est, magis ac potius quām in villa re qua videat excellere.

Vt inhabitet in me virtus Christi] vt fixam in me sedem habeat , magisque in dies super me confit

confirmetur potentia Christi; quia nimirum potens sum in Christo ad superandas omnes infirmitates. ex humilitate gloriatur, non in fortitudine sua, sed in infirmitate, ut sic prouocet in se virtutem ac fortitudinem Christi. hinc per infirmitatem significat omnem passionem, tribulationem, tentationem, humiliationem.

Propter quod placebo mihi in infirmitatibus] propter quod, id est, propter insignem earum utilitatem quam dixi. non tanquam per se expertendis, sed quatenus per illas in me perficitur atque inhabitat virtus Christi.

VER. 10.

In contumelias, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo] scilicet illatis ac toleratis.

Cum enim infirmor, cum affligor, eaque, quæ iam dixi patior, tunc potens sum] non mea, sed Christi virtute, quæ me facit omnibus illis superiore.

Factus sum insipiens] gloriando ac meipsum laudando factus sum quasi insipiens. VER. 11.

Vos me coegistis] ad hanc laudem, ut scilicet per illam opinionem & auctoritatem meam apud vos reciperem.

Ego enim a vobis debui commendari] nam vestrum partium erat, me doctorem & Apostolum vestrum commendare, meamque dignitatem aduersus obrectatores tueri.

Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli] id est, Apostolorum primi atque præcipui. Nihilo inferior fui in Apostolatu scilicet, Apostolicis laboribus, gratiis, passionibus.

Tamen si nihil sum] ex me; quod enim sim Apostolus,

stolus, non meum est, sed gratiæ Christi. ita Anselmus.

VER. 12. *Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.]* Nota hic genuinum apostolatus signum esse, Primò, patientiam in sui contemptu, paupertate, persecutionibus, plagis, periculis. ita Anselmus, Secundò, esse miracula. Hæc enim vocat signa veræ fidei, cælestis & diuinæ doctrinæ, siue signa Dei supra naturam omnipotenter operantis. eadem vocat prodigia, id est, portenta stupenda, & portentosa facta. Denique eadem nuncupat virtutes, Græcè potentias, fortitudines, id est, potentia gesta, omnipotentia opera, quæ Deus solus potenter operatus est per me.

VER. 13. *Quid est enim quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis (à me & Apostolis fundatis) nisi quod ego ipse non grauauis vos? vt à vobis alerer, sed ipse nocte vigilans & laborans victimum mihi comparaui.* vnde ironicè subdit: *donate mibi hanc iniuriam]* neque enim iniuria erat, quæ condonaretur; sed beneficium, quod agnosceretur.

VER. 14. *Ecce tertio hoc, tertia hac vice, paratus sum venire ad vos]* vt spiritualia vobis ministrem, idque sine vestro grauamine. Primum veni, cùm vos conuersti. Secundò, venire paratus, iusta de causa distuli. Tertiò, paratus fui cùm hæc scriberem, & re ipsa post hanc epistolam veni ad vos. ita Sanct. Thom. & Lyranus.

Non enim quero quæ vestra sunt, sed vos] non quero pecunias vestras, sed vos, id est, vestram salutem.

Nec enim debent filij parentibus Thesaurizare, sed parentes filiis] quasi dicat. In eo quòd à vobis nihil

nihil accipio , patres imitor , quorum non est à filiis accipere , sed filiis dare , ita ego pater vester spiritualia vobis impendo , paratus nihil tempore recipere .

Ego autem libentissime impendam mea omnia , & post omnia libentissimè superimpendar , expendar , ipse pro animabus vestris] vt meum sanguinem , meos spiritus , ac vitam insumam , exhaustam & profundam pro vobis . ita Anselmus .

Licet plus vos diligens minus diligar] licet vos non vicissim me tantum diligatis , quantum ego vos diligo .

Sed esto , ego vos non grauauis : sed cum essem astutus , dolo vos cepi] q.d. Ipsi obtristant mihi dicentes: Paulus per se quidem nihil in sumptum exigit admittit , sed dolo vos capit , quia scilicet Titum & alios submittit , qui vos vestrāque emungant . ita Chryso . patet ex sequentibus : hæc enim refellens subdit :

Nunquid per aliquem eorum quos misi ad vos , circumueni vos ?] fraudauis , occupauis & extorsi ? Ambrosius , Auarus in vos fui ? quasi dicat , Nihil tale feci .

Rogauis Titum] siue adhortatus sum Titum , vt ad vos profici sceretur .

Et misi cum illo fratrem . Nunquid Titus vos circumuenit ?] num Titus aliquid , vel minimum à vobis extorsit ?

Nonne eodem spiritu ambulauiimus ?] id est , an non eodem animo & eadem voluntate Titus & ego conuersati sumus erga vos ? potest etiam ad spiritū Dei referri , iuxta illud : Spiritu ambulate .

Nonne iisdem vestigiis ?] ingressi sumus . quasi dic . Tam nota est omnibus Titi integritas , vt de

eo aliter sentire ac loqui nullus ausit.

VER. 19. *Olim putatis quod excusemus nos apud vos?] q.d.*
Sunt inter vos qui putent ab olim, ab olitanis &
antiquis temporibus hæc à me dici in excusationem
admissi criminis avaritiæ & fraudulentiæ,
vel quasi subdolè excusem & recusem dona ve-
stra, vt maiora offeratis: sed

Coram Deo in Christo loquimur] q.d. sine fuso,
sincerè & verè loquimur, vti par est eum loqui,
qui se in Christo, id est, Christi membrum & dis-
cipulum profitetur.

Omnia autem, charissimi, propter adificationem
vestram] id est, quæcumque hæc tenus loquimur
in nostram quasi commendationem, ea loqui-
mur ad vestram salutem promouendam, non ad
gloriam aut excusationem nostram.

VER. 20. *Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo,*
inueniam vos.] Sensus est: nam timeo ne quo pa-
cto contingat, vt veniens ad vos, sicut iam con-
stitui, non quales velim, vos inueniam, id est, be-
ne correctos à pristinis vitiis, nominatim iis de
quibus in priori epistola vos increpaui.

Et ego inueniar à vobis, qualem non vultis] sci-
licet tristis pater, & severus iudex, propter pec-
cata vestra nondum per pœnitentiam deleta.

Ne forte contentiones] ne forte multa adhuc
vitia regnent apud vos, vt contentiones, id est,
verborum pugnæ, solo vincendi studio sus-
ceptæ.

Aemulationes.] Genus inuidiæ significatur,
dum quis dolet alium potiri bono, quod ipse
concupiuit & assequi non potuit.

Animositates] audax arrogantia, impetus ani-
mi effervescentis, cùm quis à sua sententia disce-
dere

dere non vult, sed eam mordicus tuerit.

Dissensiones] Græcè *concertationes*, quæ intelligi possunt in studiis & factis; sicut contentiones in verbis.

Detractiones, susurrations] id est, occultæ & clandestinæ obtræctationes, quibus maledici & inuidi, quos volunt, in odium adducunt, ut amicorum amicitias dissoluant: dum vicissim alteri apud alterum detrahunt, eaque insurcent, quæ inimicitiam concilient.

Inflationes] tumores, fastus, quibus tument, turgent, inflantur superbi, elati & tumidi.

Seditiones *sint inter vos*] id est, tumultuationes, inordinationes. Videtur autem respicere Apostolus ad schismata Corinthiorum, 1. Cor. 11. & 14.

Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, id est, contristet, deprimat, affligat me, & lugēam multos ex iis qui ante peccauerunt] hoc est, lugere cogar & castigare cum luctu: quia scilicet in peccatis suis persistunt, ut nimis eos excommunicare, vel publicam pœnitentiam iniungere cogar. tristitiam vero suam *luctum* vocat, ut innuat eos qui peccauerunt, Deo mortuos esse.

VERS. 11

Et non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt] id est, perpetrarunt. De fructibus dignis pœnitentiae intelligendum est, quos nondum fecerant; ad quos proinde compellendi erant Apostolica potestate.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Præmonet eos , se iis qui peccauerunt non par-
citurum, nisi agant pœnitentiam:deinde in-
terposita ad pacem exhortatione , bene iis
precatur.

VERS. I. **E**cce tertio hoc venio ad vos] tertia hac vice,
venio , venire propono ad vos, vt scilicet pu-
niam eos , qui per duos vel tres testes peccasse,
nec pœnitentiam egisse conuincetur. ita Ansel-
mus & Caietanus.

*In ore duorum vel trium testium stabit omne ver-
bum] statuetur , rata erit , confirmabitur omnis
accusatio.*

VERS. 2. *Prædixi & predico, ut præsens (subaudi , ita) &
nunc absens. q.d. Vti præsens prædixi, ita & nunc
absens prædico, pari scilicet auctoritate & inter-
minatione, ac si præsens essem prædico & scribo.
iis qui ante peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si
venero iterum, non parcam] In eo quod dicat , non
parcam , virgam Ecclesiasticæ disciplinæ commi-
natur , vt excommunicationem & satisfactionis
rigorem.*

VERS. 3. *An experimentum quaritis eius , qui in me loqui-
tur Christus] q.d. Vultisne præcepta mea negligere ,
vt experiamini , an audeam & possim inobe-
dientes punire per potestatem mihi à Christo
datam ?*

*Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vo-
bis]*

bis] non infirmum se, sed potenter ostendit, cum scilicet in vobis per me tot mirabilia potenter est operatus, & nouissime fornicarium excommunicatione mea ita puniuit, & Satanæ quasi tortori cruciandum tradidit; hanc enim puniendo potentiam, & vindicandi potestatem maximè significare & ostendere intendit.

Nam et si crucifixus est (Christus) ex infirmitate, VERS. 4.
humanitatis & carnis; sed viuit, id est, viuit tamen & resurrexit, ex virtute Dei.] ex potentia diuinitatis.

Nam & nos infirmi sumus in illo] in illo, id est, VERS. 5.
cum illo, nimirum Christo, infirmamur, hoc est, patimur & affligimur: vel in ipso, tanquam exemplari, cui nos eius ministri conformamur secundum quod ipse prædictit: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ioh. 15.

Sed viuemus cum eo ex virtute (ex potentia) Dei in vobis] sed instar Christi, virtute Dei potentes erimus erga vos; tunc nimirum quando res postulabit ut potestatem in vos exerceamus.

Vosmetipso tentate si estis in fide, ipsi vos probate] q.d. Si Christo & Euangeliō creditis, & mihi credetis: quia ego Christi ac Euangeliō minister sum, & sicut miraculis aliisque signis probo ac confirmo Euangeliō veritatem, sic iisdem consequenter demonstro me verum esse Apostolum Christi, ac veritatis doctorem.

An non cognoscitis vosmetipso, quia Christus Iesus in vobis est?] scilicet omnibus simul, hoc est, in Ecclesia vestra. Videbant enim suæ Ecclesiae tot miracula, tot gratias ac dona collata, ut non dubitarent Christum in ea esse & operari.

Nisi forte reprobi estis] id est reprobati, rejecti,

Gg 2 adeo

ad eoque viles, inglorij, abiecti, contempti. q. d.
Ex signis gratiae & miraculorum, quæ Christus
potenter operatur in vobis, cognoscitis, quod
Christus est in vobis, nisi forte à Christo reiecti
& reprobati, eius fide, gratia, luce ac cognitione
priuati, in tenebras pristinas ignorantiae vel infi-
delitatis retrusii & repulsi recidistis, & relapsi
estis, itaque viles & abiecti effecti estis.

VERS. 6. *Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus
reprobi] id est, viles ac potestate destituti; faciam
ut agnoscatis auctoritatem meam, nec patiar me
contemni.*

VERS. 7. *Oramus autem Deum ut nihil malis faciat] bene
ex ea sequitur quod abstinere à peccato sit ex
gratia Dei. nam oratio gratiae testificatio est.*

*Non ut nos probati appareamus] non hoc, inquit,
desideramus, aut à Deo petimus, ut nos, iudican-
do & puniendo vos, videamur esse magnæ aucto-
ritatis, id est, ut habeamur in pretio, quem sco-
pum pseudoapostoli sibi propositum habent. Spe-
ctari, probari, celebrari non ambio, honoris pun-
ctum non euro: unum curo, ut vos, quod bonum
est faciat: nos autem ut reprobi simus] Sensus est:
Facile patior me haberi ut reprobum, id est vi-
lem, gloriæ ac potestatis expertem, nec volo ul-
lam meæ dignitatis haberi rationem, dummodo
vos constanter in bono perseveretis, & nihil ad-
mittatis quod me cogat ostendere potestatem
quam à Christo accepi.*

VERS. 8. *Non enim possumus aliquid aduersus veritatem.
sed pro veritate] id est, potestas mea punitiva nul-
lum habet usum, quamdiu veritas & iustitia ser-
uatur; quia non est contra veritatem, ut illa de-
struatur, sed pro veritate conseruanda; ut pote-
data*

data contra transgressores, non contra iustos. Por-
rò veritatem pro eo quod rectum & iustum est,
accipi, frequens est in sacris Literis.

VERS. 9.

Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos
autem potentes estis] gaudeo vos esse potentes, et si
ego infirmus ac reprobis habear, non valens ut
potestate; ut pote potentes gratia & virtutibus,
culpaque vacuos.

Hoc ergo oramus vestram consummationem] id est
perfectionem, ut sitis perfecti, & consummati,
in omni gratia & virtute. ita Theoph. Hoc quod
dixi, scilicet ut potentes sitis, votis precibusque
ad Deum fusis optamus, vestram, inquam, perfe-
ctionem; qua correctis vitiis ac sublatis dissidiis,
integri sitis & irreprehensibiles, ac potestati no-
strae nequaquam obnoxii.

VERS. 10.

Ideo haec absens scribo, ut non presens durius agam,
vosque adhuc incorrectos inueniens, cogar ut
seueritate & rigore disciplinae aduersum vos, id-
que secundum potestatem quam Dominus dedit mihi,
in adificationem, & non in destructionem.

VERS. 11.

De cœtero fratres, gaudete] Epilogus est epistolæ.
Græcum verbum tria significat, gaudete, saluete, va-
lete. Hortatur eos ad gaudium sanctum & spiri-
tuale; quale utique habituri erant si se corrige-
rent.

Perfici estote] q. d. Redintegrabimini, integri
estote; corrigite vicia priora, ut nihil inueniam in
quo cogar exercere meam potestatem.

Exhortamini] inuicem ad meliora.

Idem sapite] id est, concordes atque vnanimes
estote.

Pacem habete] q.d. Pacificabimini, in pace agite;
id est, non sint inter vos contentiones & rixæ.

Gg 3 Et

Et Deus pacis & dilectionis erit vobiscum] si, inquit, concordiam & pacem inter vos habeatis, Deus author fraternæ charitatis, quæ concordia parens est, idemque author pacis, erit vobiscum per ampliora gratiæ suæ dona.

VERS. II. *Salutare inuicem in osculo sancto*] non carnali, non ficto, sed Christiano, religioso, casto, sincero. ita Chrysostomus & Augustinus. cauendumque ne osculum hoc proset pat nimis, & in sensuale ac carnale degeneret.

Salutant vos omnes sancti] id est, fratres seu Christiani qui apud nos sunt.

VERS. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi*, id est, gratuita beneficentia Christi redemptoris nostri, & *charitas Dei*] Patris, qua scilicet nos dilexit. quæ charitas in eo potissimum commendatur, quod filium suum pro nobis in mortem tradidit.

Et communicatio sancti Spiritus] id est, participatio seu larga effusio donorum Spiritus sancti, ut communicatio actiua intelligatur.

Sicut cum omnibus vobis, scilicet per multiplices effectus gratiæ Christi, & charitatis Patris, & communicatiæ bonitatis Spiritus sancti, Amen.

COM

1 2



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD GALATAS.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M .

Vehementer increpat Galatas , quod à doctrina
per ipsum tradita recessissent, ostendens se ab
ipso Christo Euangelium & apostolatum ac-
cepisse , ab aliis autem Apostolis non fuisse
edoctum.

AY L V s *Apostolus non ab homini:* VERS. I.
bis, scilicet putis, sed à Christo ho-
mine, ac Deo, neque per hominem, sed
per Iesum Christum] qui non est pu-
rus homo, sed homo Deus. Vult
enim dicere se non ab homine, neque à Deo per
hominē, sed immediate ab ipso Deo vocatū esse.

Et Deum Patrem] Iesu Christi naturalem. significat autem se factum Apostolum à Deo Patre per Christum filium eius.

Qui suscitauit cum à mortuis] hoc addit ut tacitè saltem innuat, à Christo per resurrectionem immortalis se constitutum Apostolum; quod nulli contigerat aliorum.

VERS. 2. *Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ] subaudi, scribunt, aut precantur.*

VERS. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo.*

VERS. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris] id est, tradidit semetipsum in mortem pro peccatis delendis; utique secundum naturam humanam, qua sola mori potuit.*

Saculum *Vt eriperet nos de presenti saeculo nequam] Seculum nequam est saecularis & carnalis vita & conuersatio, qualem agit, & ad quam inuitat hic mundus, mundanique homines, qui huius tantum saeculi bona, opes videlicet, honores ac voluntates per fas & nefas aucupantur.*

Secundum voluntatem Dei & Patris nostri] Christum tradidisse seipsum in mortem, ex voluntate, decreto & præcepto Patris, vel ad effectum huius spontaneæ traditionis, significatum verbis subsequentibus.

VERS. 5. *Cui est gloria in saecula saeculorum amen] id est, fiat. Sensus: Qui pro tanto beneficio dignus est à nobis & ab omnibus glorificari per saecula semper duratura, id est, in omnem æternitatem.*

VERS. 6. *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium] miror vestram citò post fidem Christi susceptam, ab eo qui vos admirabili benignitate vocauit in gratiam*

gratiā Christi filij sui, id est, ad participationem
gratuitorum eius beneficiorum, transferri seu
traduci in aliud Euangelium, siue in aliam do-
ctrinam, quæ pro Euangelio vobis obtruditur.
q.d. Miror quod Apostolatus tam facile à Deo & à
Christo, qui vos vocavit tam gratiosè & amanter,
quod gratiæ eius sitis tam ingratæ & imminores,
eamque aspernemini.

Quod non est aliud] q. d. Transfertis vos ad
aliud Euangelium, quale tamen aliud non est: nul-
lum enim verum Euangelium, aliud est ab eo,
quod ego vobis prædicaui.

*Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt
conuertere Euangelium Christi*] sed tantum, in-
quit, quidam sunt turbantes vos, dum volunt
inuertere Euangelium Christi. id est, aliud do-
cere quam quod Christus per Apostolos docen-
dum tradidit. non enim Christus præcepit homi-
nes circumcidisti, ceterasque legis ceremonias ob-
seruari; sed ab hoc iugo fideles suos liberauit.

*Sed licet nos, aut Angelus de celo euangelizet vo-
bis praterquam quod euangeli[za]vimus vobis, anathe-
ma sit*] Loquitur contra Iudaizantes, qui iudaismum,
præter, id est contra, Euangelium inducere
volet. *Anathema sit*, id est, maledictus & ex-
crabilis; quod Hebræi vocabant Horna. Declarat
execrabilem esse, & excommunicatione atque
eterno interitu dignum.

*Sicut prediximus, & nunc iterum dico, Si quis vo-
bis euangelizauerit præter id quod accepisti; anathe-
ma sit.*] *Accepisti*, intellige, à nobis.

Modo enim hominibus suadeo, an Deo?] id est, an
apud homines causam dico, an apud Deum. ita
Chrysost.

VER. 7.

VER. 8.

VER. 9.

VER. 10.

An quero hominibus placere?] id est, num studium meum est ut hominibus placeam, an potius ut placeam Deo?

Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem] si adhuc ut olim sectater hominum gratiam, non essem idoneus Christi seruus, non essem dignus eo nomine; quia ministerium quo Christo seruio in Euangelio, non sincerè, non sicut oportet obirem.

VER. 11. *Noctum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem;* q.d. Non est humanum, sed diuinum Euangelium meum, non est hominis, sed Dei.

VER. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didicis, sed per reuelationem Iesu Christi.]* Facta est igitur ei reuelatio Euangeli, antequam ut Christi Apostolus fidem Domini Iesu inciperet prædicare, non longè scilicet post conuersionem ipsius.

VER. 13. *Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo.]* Iudaismum vocat sectam Iudaicam, mus quid id est, eorum qui legem Mosaicam mordicus retinebant, non admittentes abrogationem eius per Christum. Iudaismus est, inquit Augustinus, cùm putatur ex cæremonijs & lege salus esse, aut sine illis non esse.

Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, id est, quòd omni conatu ac studio persequebar Christianos, qui sunt Ecclesia Dei. & expugnabam illam]. hoc est, expugnare & euertere satagebam, vel deuastabam illam; quasi videlicet quidam grassator & prædo, ait Hieronymus.

VER. 14. *Et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo]* ita proficiebam ut superarem pleros

plerosque meæ ætatis socios Iudeos : hoc enim
vocat genus suum.

*Abundantius emulator existens paternarum mea-
rum traditionum] q. d. Ardentior zelator fui pro
patrijs institutis mihi à maioribus traditis.*

*Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero
matris meæ] qui fecit me nasci secundùm carnem
ex vtero matris meæ , quam matrem fuisse nun-
cupatam Theocritam refert hoc loco Stapulen-
sis ex Zosimo Papa. Qui me iam inde ab ipso
natiuitatis meæ exordio prædestinavit , ac pecu-
liariter ex hominum numero delegit. quasi dicat:
Deus ante omne meum meritum, me necdum na-
tum prædestinavit, & prædestinatum segregauit
ex vtero , nascique fecit, ac natum vocauit, vt re-
uelaret filium suum in me, hoc est, vt me ad Christi
& Euangelij agnitionem adduceret , & conse-
quenter ad apostolatum, vt euangelizarem Chri-
stum in Gentibus. ita Ambrosius , Anselmus,
Theoph.*

*Et vocauit per gratiam suam.] Vocatio fit in
tempore , estque per gratiam Dei efficax ad eam
rem , ad quam quis ab æterno prædestinatus est.
Videtur autem loqui de tempore conuersionis.*

*Vt reuelaret filium suum in me.] In me , pro eo VER. 16.
quod est per me, positum est. q.d. Vt per me tan-
quam Apostolum & præconem , filium suum fi-
deisque eius mysteria manifesta mundo faceret.*

*Vt euangelizarem illum in Gentibus, continuo non
acquieci carni & sanguini] q.d. Ab homine Euan-
gelium non sum edoctus, quia cum nullo homi-
ne illud contuli, sed à Deo solo illud per reuela-
tionem accepi.*

Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos VER. 17.

Apo.

VER. 15.

Mater
Pauli
que.

An rau-
les à cō-
uersione
statim
venerit
Hieroso-
lymam.

Apostolos.] Dices, Actoꝝ 9. dicitur mox à conuer-
sione cum Damasco fugeret, Paulus venisse Hiero-
solymam, respondet Hieron. & Lorinus in Act.
9. venisse Hierosolymam statim à conuersione
necessitate fugæ compulsum, non autem ut Pe-
trum videret, cum eoque conferret Euangeliū;
hoc enim tantum h̄ic negat. Aliter respondet
Baron. Act. 9. non dici Paulum statim à conuer-
sione venisse Hierosolymam, sed post dies mul-
tos: puta post triennium partim in Arabia, partim
Damasci exactum, &c. Vtraque sententia est pro-
babilis. Priori fuit id, quod subdit Lucas: Omnes
timebant eum, non credentes, quod esset discipulus.
Barnabas autem apprehensum duxit illum ad Aposto-
los, & narravit illis quomodo in via vidisset Domi-
nūm. Conuersio enim tam miraculosa Pauli non
videtur potuisse per triennium latere Apostolos
& alios fideles Hierosolymis.

Sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Da-
mascum.] Quid in Arabia Paulus egerit, traditum
non habemus.

VER. 18. *Deinde post annos tres veni Hierosolymam vide-*
re Petrum] q.d. Paulus: Veni Hierosolymam vi-
dere Petrum, non ut ab eo aliquid discerem, qui
diuinitus eram edoctus, sed ut tantum virum
Apostolorum scilicet principem, viderem & ho-
norarem. ita Theodo. Chrysostomus, Ambrosius,
Hieronym.

Et mansi apud eum diebus quindecim.

VER. 19. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Ia-*
cobum fratrem Domini.] Christi scilicet conso-
brinum vel cognatum. Hebrei enim cognatos
vocant fratres. Fuit enim hic Iacobus Alphæi,
filius Mariæ uxoris Cleophæ, unus ē duodecim

Apo

Apostolis, primus Episcopus Hierosolymorum,
vnde & in primo Concilio Hierosolymitano pri-
mus post Petrum sententiam dixit, Act. 15. Huius
Iacobi extat epistola canonica. ita Chrysostom.
Theoph. Anselm.

*Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non
mentior.] Ecce autem coram Deo dico, & de- VER. 20.*
claro, quia non mentior quæ vobis scribo. qua-
si dicat, Deum, ut præsentem & omnia viden-
tem, testem adduco, quod nihil horum confin-
xerim.

Deinde veni in patres Syria & Cilicia.] id est, post VER. 21.
quindecim dies quibus mansi Hierosolymæ. Tar-
sus enim vrbs erat Ciliciae, Pauli patria, quemad-
modum ipse testatur, Act. 22.

Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudeæ, que VER. 22.
erant in Christo.] secundum faciem non viderant
me Christiani, qui erant in Iudea.

Tantum autem auditum habebant.] id est, auditu VER. 23.
& fama cognoverant, rumor huiusmodi fereba-
tur ad eos à dicentibus.

*Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc
enangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.] id
est vastabat. Vastabat autem & expugnabat fi-
dem, quia Christi fidelibus fidem extorquere
persequendo nitebatur.*

*Et in me clarificabant Deum.] Græcè glorifica- VER. 24.
bant. Ambrosius legit, magnificabant. In me, dixit
pro eo quod est, de me. Sensus, vel propter me. Glo-
riam meæ conuersationis Deo tribuebant.*

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Exponit quare cum Apostolis Euangelium suum contulerit. item quomodo Petrum exemplo cogentem Gentes Iudaizare reprehenderit. Non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi.

VER. 1.

Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendit Hierosolymam cum Barnaba.] Petes: Vnde hi anni inchoandi sunt, an à vocatione Pauli, de qua dixit cap. 1. v. 15. an à triennio post eam acto Damasci & in Arabia, de quo c. 1. v. 18. S. Hieronymus numerat à triennio post vocationem exacto, &c. Baronius & alij verius putant, hos quatuordecim annos inchoandos esse à Pauli vocatione, de qua dixit cap. 1. v. 15. eò enim respicit; à vocatione enim sua tam illustri annos numerat & designat, sicut nos vocationis ad Papatum, Episcopatum, Religionem annos numeramus, & cuique hanc quasi æram statuimus.

Nota. hæc Pauli Hierosolymam profectio eadem est cum illa, qua Act. 15. ad Concilium Hierosolymitanum profectus est; eadem enim causa, idem locutus, eadem personæ sunt utrobique. ita Patres. Concilium Hierosolymitanum celebratum est post 14. annos à conuersione Pauli, puta anno 16. à passione Christi, qui fuit annus Claudi Imp. 9. Christi § 1. ita Baronius.

Affutus

Affumpto & Tuo] tanta mihi fuit ad Apostolos proficiscenti, causæ meæ fiducia, ut non dubitauerim illuc adducere mecum hominem incircumcisum, non solum comitem itineris, verum etiam Euangelij prædicandi socium.

Ascendi autem secundum reuelationem] id est, VER. 2. monitus reuelatione diuina.

Et contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus.] Sensus est: Communicauimus cum illis qui Hierosolymis erant, de Euangelio quod prædico inter Gentes, deque tota ratione doctrinæ meæ quam tradidi, & etiam nunc trado Gentibus, quarum sum Apostolus. Non itaque discendi studio, quod suprà negavit: sed ut omnes intelligerent eum nihil ab illa diuersum docere, cuius rei calumniam patiebatur propter legem & circumcisionem, à cuius onere Gentes vindicabant.

Seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse] id est, qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ ac primarij Apostoli. Græca hic tantum habent, qui videbantur, id est, qui habebantur in pretio. Græci enim δικαιοτες vocant eos, qui magnæ sunt auctoritatis.

Ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem] ne pseudo apostolis iæctantibus doctrinam meam ab Apostolis reprobari, mihi, fideique meæ fides non credant, & sic meus omnis labor cassus reddatur. ita Hierony. epist. 11. ad August. inter epist. August.

Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, VER. 3. *compulsus est circumcidere*] quod si Apostoli, cum quibus Euangelium contuli quod in Gentibus prædico, sensissent obseruationem Mosaicæ legis, cuius

cuius præcipua pars est circumcisio, necessarium esse Christianis; vtique Titum Gentilem, quem mecum assumpseram, iussissent circumcidi, præsertim instantibus Iudæis vt id fieret. atqui factum id non est.

VER. 4. *Sed propter subintroductos falsos fratres] q. d.*
Non compulsus est, etiam cùm falsi fratres urgerent, eum circumcidi.

Qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu.] Libertas quam habemus in Christo ea est, qua liberi ab obseruatione legis Mosaicæ, ex Christi gratia iustitiam & peccatorum remissionem accipimus.

Ut nos in seruitutem redigerent] vt ea libertate explorata & cognita, nobis eam extorquerent aut nos accusarent, nōsque vñā secum seruituti legis subiicerent.

VER. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos]* per subiectionem, subiiciendo nos iudaizantibus.

VER. 6. *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid]* ab iis qui magno erant in pretio, ac primi nominis apud Iudæos fideles, nihil mihi collatum est, id est, facta Euangelij cum eis communicatione, nihil ab eis mihi accessit. nihil, supple, doctrinæ mihi collatum est.

Quales aliquando fuerint nihil mea interest] quod scilicet hi primarij Apostoli qui videntur esse aliquid, fuerint indocti, pescatores, pauperes abiecti, cùm ego ciuis Romanus zelo & scientia legis excellerem. ita Ambros. Anselm. quia enim aliorum Apostolorum quasi iudaizantium auctoritate premebat Paulus, eam eleuat, vt suam auctoritatem & consequenter doctrinam erigat,
modestè

modestè tamen. Vnde subdit.

Deus personam hominis non accipit.] nec considerat quales fuerint, sed eligit quos vult, tam potens ex persecutore quam ex pescatore facere prædicatores & Apostolos.

Mibi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt] mihi in illa communicatione quam de Euangeliō meo cum præcipuis Apostolis habui, nihil illi contulerunt, id est, nihil ab eis accepi, nihil didici, nihil per eām collationem mihi accessit.

*Sed è contra, cum vidissent quod creditum est mihi VERS. 7.
Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisōnis] id est, Gentium præputiarum, sicut & Petro circumcisōnis, id est circumcisōrum Iudeorum. ita Theophylactus.*

Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisōnis, operatus est & mihi inter Gentes] vt scilicet Gentium esset Apostolus, munus haberem, gratias, charismata Apostolica inter Gentes. Græcè, qui in operatus est Petro, qui in Petro suam energiam, vim & efficaciam ostendit, in apostolatum, id est, vt fieret Apostolus Iudeorum circumcisōrum; is eandem in me Paulō ostendit apud & inter Gentes. Syrus vertit: Qui efficax fuit in Petro, in me quoque efficax fuit, in tot videlicet miris & miraculis patrandis, in tanta sermonis efficacia, in tot Gentium per me facta conuersione.

Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi] cùm, inquam, ipsa iam rei experientia cognovissem gratiam quæ mihi data erat, nimirum Euangeli in Gentibus prædicandi.

*Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur
Hh colum*

columnæ esse , dextræ dederunt mibi & Barnabæ societatis] id est , in apostolatu socios atque in Euangelijs doctrina bene secum consentientes , agnouerunt , & virtutales receperunt . Nam iungere dextræ , societatis & concordia symbolum erat . Cephas & Petrus idem est , vnde illi , quasi primario præ Iacobo & Ioanne opposuit se hic Paulus , viii . 14 .

^{7. 245V} *Vt nos in Gentes , ipsi autem in circumcisionem] id est , apud circumcisos Iudeos . vt sicut Iudeis quasi primis & primariis promissus & datus est Christus , qui inde vocatur minister circumcisionis , id est circumcisorum , Roman . 15 . ita primarij Apostoli primas suas operas apud eosdem collocarent .*

VERS. IO

Tantum ut pauperum memores essemus] tantum , inquit , hoc admonentes , vt dum Euangelium apud Gentes prædicamus , pauperum qui in Iudea erant , memores essemus , commendando eos Gentibus ad fidem conuersis .

Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere] q. d. Eam rem mihi commendatam qua potui diligenter praestiti .

VERS. II

^{8. 223V} *Cum autem venisset Cephas Antiochiam , in faciem ei restituisti , quia reprehensibilis erat] In faciem id est , vt vulgo dicimus , in os , in barbam , aperte , palam Petro restituisti , idque ut hac ratione scandalum eius publicum publica correptione emendaretur . ita Augustinus . Reprehensus erat , scilicet à veritate & libertate Euangelica , quæ Gentes à Iudaismi vimbris & seruitute liberat & eximit . dat enim causam cur restiterit ei , scilicet hanc quia reprehensibilis erat , puta in simulatione Iudaismi , ut sequitur .*

Prins

Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum VERS. 12
gentibus edebat] sine delectu suillam aliósque ci-
bos, quos Iudeis yetuit Moyses Leuit. 11. hoc fa-
cto docens huius delectus totiusque legis ob-
seruationem non esse necessariam. ita Ansel-
mus.

Cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se
timens eos qui ex circumcisione erant] subducebat se
à coniuuii & mensa Gentilium, ut pote qui pro-
miscuis & lege veritis vterentur cibis. prius enim
dictum est, cum Gentibus edebat.

Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudei] q.d. VERS. 13
Cæteri Iudei simulabant cum Petro. Quæritur,
quæ & qualis fuerit hæc simulatio? Resp. August.
Anselm. censem vitium fuisse hypocrisi, quod
simplicitati ac veritati opponitur. simulabant
enim legis obseruationem, cum verè non inten-
derent eam seruare, sciebant enim eam abolitam
esse, se tamen aliis Iudeis accommodare inten-
debat.

Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simu-
lationem] hos secutus Barnabas & ipse finxit, id est,
ita se gessit, ac si cibos cum Iudeis discerneret, &
Gentium conuercionem abhorret, quasi Iudei
præferendi essent Gentibus conuersi, & quasi lex
vetus ad salutem esset necessaria, ita enim se ge-
rebant, ut iure ex eorum facto id opinari possent
Gentes; licet id non intenderent, in forte non
aduerterent Petrus & Barnabas.

Sed cum vidissim quod non recte ambularent ad VERS. 14
veritatem Euangeli] Recte ambulare, significat re-
cto pede incedere, recta dirigere gressum, ut non
cespites, neque ad dextram vel sinistram de-
flectas.

Dixi Cepha, coram omnibus] id est, palam ac multis praesentibus. Quod autem coram omnibus, inquit Augustinus, necessitas coegerit, ut omnes illius obiurgatione sanarentur.

Si tu, cum Iudeus sis gentiliter viuis, & non iudaice, quomodo Gentes cogis iudaizare?] Gentiliter viuis id est, communis cibo & mensa indifferenter cum Gentibus haec tenus vixisti, postquam didicisti legem morte Christi abolitam esse, non amplius eam seruas; quid est, quod nunc, hac tua simulatione tuoque exemplo, etiam Gentes, quae sunt extra legis professionem, cogis iudaicè viuere, id est, legem Iudaicam obseruare? velut si dicat: Quæ ratio est ut tu Gentiles ad Iudaismum proximes, qui Iudeus ipse cum sis, Iudaismo renunciasti?

VERS. 15 *Nos natura, naturali generatione, origine, profapia, Iudei sumus, non ex Gentibus peccatores] non Gentiles peccatores. Iudei enim Gentes, quia idololatræ erant, vocabant arroganti contemptu peccatores, quasi ipsi essent iusti, aiunt Aug. & Anselm.*

VERS. 16 *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi] Iustificatur autem homo per fidem Iesu Christi; quatenus per eam Christum redemptorem agnoscens, ex eius merito remissionem peccatorum atque iustitiam à Deo expectat & percipit. Quod quidem sit per ea media, quæ Christus ipse ad iustificationem præstandam hominibus instituit, vt sunt inuocatio, pœnitentia opera, Sacra menta, legisque diuinæ obseruatio; iuxta illud: Factores legis iustificabuntur, Rom. 2.*

Et nos in Christo Iesu credimus] Græcè, in Christum

stum Iesum : credimus scilicet illum esse Christum, id est, Messiam , Saluatorem & Redemptorem mundi.

Vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis] non enim credimus in Christum ut ex lege iustificemur, sed ex ipsa fide Christi.

Propter quod, quia, propterea quod, ex operibus legis non iustificabitur omnis caro] id est, nullus homo.

Quod si querentes iustificari in Christo, invenient sumus & ipsi peccatores. nunquid Christus peccati minister est?] q. d. Siadhuc sumus in peccato , quia peccati remissionem & iustitiam quæsuumus in Christi fide, cùm ibi non sit quærenda , sed in lege , vt volunt iudaizantes, ergo Christus peccatum fouet ; sustulit enim legem, quæ sola peccatum tollit. Nunquid ergo Christus peccati minister est? quasi dicat : An Christus peccato inseruit illud fouendo & conseruando, hoc ipso quo legem tollit ad iustificationem & peccati deletionem, vt ipsi aiunt , necessariam , & suam statuit legem gratiæ , quasi quæ sola iustificet , cùm , vt ipsi aiunt , sine lege iustificate non possit ? Absit : ac si dicat : minimè. ita Hieron. Chrysost. Primas. Ansel. Theoph.

Si enim quæ destruxi, iterum hac ædifico, prævaricatorem me constituo] id est, ostendo, astruo, confirmo. Sensus est: Legem semel, factus Christianus, deserui, & quantum in me fuit prædicatione mea destruxi. quod si nunc illam restituo, docens eam obseruandam esse ; planè astruo & confirmo me prævaricatorem legis tamdiu fuisse , quamdiu eam posthabui.

Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vi-

VERS. 17.

VERS. 18

Hh 3 nam]

VERS. 19

uam] atqui non, fui præuaricator deserendo legem, nam per ipsam legem mortuus fui. q.d. Ipsa lex Moysi spiritualiter intellecta docet se non esse perpetuam, sed Christo, quem præfigurauit, venienti cedere debere. Per ipsam ergo legem hoc mihi loquentem, mortuus sum legi, id est, subtractus sum legi, atque ei desig esse obnoxius. hoc enim significari ista phrasí, *legi mortuus sum*, intelligitur ex Rom. 6. &c 7.

VER. 20. Legi mortuus sum, sed felici admodum morte, quia ad hoc mortuus sum, *ut Deo viuam*] per veram iustitiam & hæc noua vita est, quam alibi veteri vitæ opponit, sicut nouum hominem, veteri. Congruit hic locus cum illo Rom. 7. Mortificati estis legi per corpus Christi, *ut sitis alterius*, qui ex mortuis resurrexit, *ut fructificeris Deo*.

VER. 20. Christo confixus sum cruci: viuo autem iam non ego: viuit vero in me Christus] per baptismum Christo commortuus, viuo nunc per veram iustitiam, viuo inquam, non ego, id est, non vetus ille homo qualis eram; vel, viuo non ego, hoc est, quod iam viuo vita iustitiae, ex meipso non habeo; sed viuit in me Christus, id est, Christus qui à morte resurrexit, ad vitam, mihi totius vitæ meæ spiritualis, hoc est, omnis iustitiae auctor est; totum quod viuo illi debedo, qui in me viuit & efficax est per gratiam suam. Simili locutionis modo dictum est à Domino, Matth. 16. Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in yobis. Igitur ex hoc loco discimus, vii bene Sasboldus annotat, opera iustorum non tam ipsorum esse, quam spiritus Christi mentes eorum inhabitantis. unde nec mirum quod digna sint vitæ æternâ.

Dinina
gratia ef-
ficacia.

Quod

*Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo
Filiij Dei] viuere in carne, idem est quod viuere
mortali hac vita. In fide viuo, illa inquam fide,
qua^e est in Filium Dei, ubi & *Filiij*, & *Des* suos ha-
bent articulos, quòd vehementior sit sermo. Sen-
sus est: Quòd in carne hac mortali variis obnoxia
tentationibus, iustè viuo; non legi acceperum fero,
sed fidei quam habeo in Christum Filium Dei.
Iustus enim ex fide viuit.*

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me]
Nota *me* & *pro me*, non nos, vel pro nobis; ita
enim loquitur ex vehementia, & deliciis amoris,
quia præ omnibus iudicabat se peccatis obno-
xiuum, ac mortis Christi reum, semetipsum in mor-
tem tradidit, ut me à morte redimeret ac vitæ re-
stitueret. Christus te totum tibi, tu te totum da,
immo redde Christo.

Non abiicio gratiam Dei] Græcè, non reiicio, re-
pello, aspernor gratiam Dei. Ambros. Non sum in-
gratus gratiæ Dei. August. legit, Non irritam facio
gratiæ Dei. vti faciunt illi qui volunt statuere lē-
gem & iustitiam ex lege, ait Hieron. Dicit ergo
Apostolus, Tanto affectus beneficio à Christo Fi-
lio Dei; non sum tam ingratus, ut gratiam Dei per
Christum mihi oblatam asque impensam repu-
diem. q.d. Absit à me tam detestabilis ingratitudo,
in quam vtique incurrem si à lege iustitiam ex-
pectarem.

*Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus
mortuus est]* gratis, id est, frustra & absque ne-
cessitate. Frustra enim passus est, si sine eius
passione redimi & iustificari potuit homo. Quia
mortuus est Christus ad iustitiam suæ mortis
pretio nobis comparandam. Hoc autem pretium

VER. 21.

frustra dedit , frusta impedit si ex lege eandem iustitiam habere poteramus. q. d. Nemo tam ve-
cors est vt dicat Christum frustra tot & tanta pa-
sum, ac mortuum: at qui hæc omnia passus, & mor-
tuus est pro iustitia nobis promerenda; ergo hæc
iustitia non contingit nobis à Moysè, sed à Chri-
sto; non ex lege, sed ex fide.

C A P V T III.

S V M M A R I V M.

*Ostendit Abrahæ exemplo Gentes expectare de-
bere iustitiam non ex lege, sed ex promissione
& fide: legem autem fuisse paedagogum du-
centem ad Christum.*

VER S. I.

O' Insensati Galatae , ô stulti, ô destituti mente. Est hoc conuitium Apostoli non indignationis , sed charitatis , ex amore & zelo , vt duros Galatas feriat, molliat, corrigat. ita Gregor. Conuitium hoc emollit, cùm dicit : quis vos fascinavit. q.d. Vestram cætitatem non tam vestræ demen-
tiae , quæm fascino Iudeorum tribuo. non obedire
veritati :] significat fascinare incantare , & per-
stringere oculos , vt putas te videre, quod reuera
non vides , vel vt non videoas quæ coram te sunt,
quæque alij vident.

*Ante quorum oculos Jesus Christus prescriptus est
in vobis crucifixus] Prescriptus , id est præ oculis
vestris scriptus , &c, vt Syrus , pingendo depictus
est. in vobis, id est, ante vos, in oculis vestris Chri-
stus crucifixus. quasi dicat: Christus velut depictus
in*

in cruce pendens vobis exhibitus est , vt in illa prædicatione mea per fidem Christum crucifixum in vobis quasi præsentem ante oculos vestros intuiti sitis.

Hoc solum à vobis volo discere] hoc solum , in- VER. 2.
quit , mihi respondete ; vnum hoc vos inter-
rogo.

Ex operibus legis Spiritum accepistis , an ex auditu fidei ?] Spiritum intelligit sanctum , quem accipere dicuntur qui dona eius accipiunt . q.d. Vnde , ô Galatæ , accepistis spiritum gratiæ , iustitiæ , & donorum Spiritus sancti ? clarum est , quod non ex circumcisione & operibus legis , sed ex auditu fidei , puta in baptismo Christi , non antè . Ex auditu fidei , id est , ex prædicatione fidei , quam audistis , vel ex auditu , quo fidem audistis , eique obediatis . ergo stultè facitis qui à fide Christi ad legem Moysi transire vultis .

Sic stulti estis , vt , cum spiritu cœperitis , nunc carne consummemini ?] adeōne dementes estis , vt , cùm à spiritu feceritis initium , desinatis in carnem : cum spirituali Christi doctrina , baptismo , Sacramentis , spiritualibus gratiis ab eo acceptis , spirituali vita & conuersatione cœperitis viuere ; carne , id est circumcisione , & aliis carnalibus legis cœremoniis consummemini . VER. 3.

Tanta passi estis , scilicet ab infidelibus propter Christi fidem , sine causa ?] id est , frustra , si videlicet ab illa ad Moysen transeat . VER. 4.

Si tamen sine causa] id est , si tamen frustra , supple , quod erit nisi resipiscatis , quasi dicat . Horror ergo ut resipiscatis , & in Christi fide persistatis . ita Hieronymus .

Qui ergo tribuit (qui , scilicet Deus , vel Chri-
 Hh 5 stus

stus subministrat, suggerit, & indit,) *vobis spiritum, & operatur* (qui inoperatur per intimam & diuinam suam energiam, vim & potentiam) *virtutes* (miracula) *in vobis ex operibus legis, an ex auditu fidei?*] facitne ea ex lege, an ex fide? q. d. Clarum est, & experientia scitis, quod non ex lege, sed ex fide, id est, per fidem Christi. Si enim Deus dederit spiritum, non ex operibus legis, sed ex fide; ergo & illi spiritum ex fide, non ex operibus legis acceperant?

VER. 6. *Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*] q. d. Abraham incircumcisus, & ante legem accepit spiritum, & iustificatus est non ex operibus legis, quæ necdum erat, sed ex fide Christi venturi: ita & vos ex Christi fide iustificamini, ita Anselmus. *Reputatum est illi ad iustitiam.* id est, inde iustificatus est. vide Rom. 4.

VER. 7. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filii Abrahæ*] id est, fideles, Abrahæ fidem imitantes, *ij sunt filii Abrahæ, spirituales scilicet, non per generationem, sed per imitationem, ac consequenter ad eos pertinet benedictio, iustitia & salus Abrahæ promissa.* ita Hieronym.

VER. 8. *Prouidens autem Scriptura, longè antè prospiciens, quia ex fide iustificat Gentes Deus; prenuntiavit Abrahæ.* Sensus est: Quoniam præuiderat ac decreuerat Deus iustificare Gentes ex fide; idcirco ad hoc significandum in Scriptura narratur, iam olim annunciasse Abrahæ tanquam omnium creditum patri, ut rem latissimam, hoc quod sequitur:

Quia benedicentur in te omnes Gentes] In te, id est, in semine tuo, vt exponitur Genes. 22.

hoc est, in Christo, qui ex Abraham natus est, ut
hic exponit Apostolus vers. 16. q. d. Per Christum
filium tuum, pérque fidem in Christum omnes
Gentes benedicuntur, id est, iustificabuntur,
fiéntque amici & filii Dei, ac consequenter he-
redes regni Dei, ut aliquando audiant: Venite
benedicti Patris mei, possidete paratum vobis
regnum à constitutione mundi. Est ergo quòd
gaudeas Abraham; quia per Christum filium
tuum pater eris omnium credentium, iustorum,
electorum. ita Hieronym. Anselm. Vnde rectè
explicant Patres: benedicuntur, id est, inquiunt, iu-
stificabuntur, benedictionem, id est iustitiam, af-
sequuntur: néc enim maius bonum, benedictio-
némve Deus nobis dare potest, quam suam iu-
stitiam, amicitiam, filiationem.

*Igitur qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei VERS. 9.
Abraham.]* Abrahæ facta est promissio quòd in
ipso benedicerentur omnes Gentes, ac Abra-
ham ipse per fidem, qua promissione credidit,
Deo placuit, & benedictionem promeruit; ergo
quicunque ex fide iustitiam & benedictionem
expectant, eam cum Abraham qui Deo credidit
assequuntur; non autem illi qui sunt ex operi-
bus legis.

*Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub male- VER. 10.
dicto sunt.]* q. d. Qui verò opera legis sectantur,
& ex iis iustitiam expectant, usque adeò promissæ
benedictionis exortes sunt, ut etiam maledictio-
ni siue execrationi sint obnoxij, ac punitione di-
gni. hoc siquidem est sub maledicto esse.

*Scriptum est enim, in ipsa l. Deu. 27. Maledictus
omnis qui non permanensit in omnibus qua scripta sunt
in libro legis, ut faciat ea.]* Atqui nemo sine fide &
gratia

gratia Christi facit vniuersam legem ; ergo sine fide Christi , omnes sunt sub maledicto. ita Hierony. sic enim lex non est impossibilis , & Deus non præcipit impossibilia: licet enim per naturæ legisque vires tota impleri non possit, potest tamen tota impleri per vires gratiæ , quam Deus credentibus , & orantibus omnibus tam Iudæis quam Gentibus per mediatorem Christum paratus est dare. Supponit Apostolus sine gratia Christi totum decalogum à nemine impleri posse: ideoque concludit omnes , qui sub lege sunt, esse ab ea maledictos.

*VER. 11. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit.] Probat nos non ex lege, sed ex fide Christi iustificari: conglomerat enim Apostolus rationes , & Scripturæ loca, ut Galatis id persuadeat. Dicitur, *Iustus ex fide*, non ex lege, sed ex fide viuit. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, cap. 2. affirmans se viuere ex fide Filij Dei : quia quod iustus est, & iuste operatur, & iustus permanet, habet ex hac fide, tanquam radice, ex qua nascatur, & tanquam fundamento , cui innitatur tota eius iustitia.*

VER. 12. Lex autem non est ex fide] hoc est, opera ex lege facta non possunt esse opera fidei. Lex non docet, non affert fidem & gratiam , qua legem impleamus, iustificemur, iuste, sancte & beatæ viuamus.

Sed, qui fecerit ea , viuet in illis] id est , non punietur morte , quam lex transgressoribus intentat. q.d. Viuet ea vita iisque bonis, quæ præcepta legis suis promittunt, scilicet in abundantia frumenti, vini & olei.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum] Christus, inquit, nos, tam Iudeos quam Gentiles, redemit à maledicto, siue execratione, legis, id est, à pena quam lex cum execracione minatur, dicens: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, &c. Præstigit autem id nobis Christus, dum factus est ipse pro nobis maledictum, quia maledictiones humani generis Deus in Christum transposuit, ut videlicet pro nobis infame & execrabile crucis supplicium subiret.

Quia scriptum est, Deuter. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu] factus pro nobis est maledictum, ut pro maledictione induceret in Gentes benedictionem Abrahæ promissam. Hoc ideo, inquit, ut benedictio Abrahæ promissa, quæ totam hominis renovationem & beatitudinem complebitur, ad Gentes veniret, & in iis compleretur per Iesum Christum, nimirum

Vt pollicitationem Spiritus, id est, Spiritum sanctum, nos iustificantem & sanctificantem, filiis Abrahæ, id est credentibus, promissum, accipiamus per fidem] qua credimus in Christum Abrahæ filium, in quo hanc benedictionem constituit & consignauit Deus, dicens Abrahæ: In te, id est, in semine tuo, quod est Christus, benedicentur omnes Gentes.

Fratres, secundum hominem dico] id est, iuxta modum & consuetudinem hominum loquor. q.d. In hac spirituali diuinaque re, humano ac vulgari utor exemplo testamenti, & testatoris, ut probem nos benedictionem Abrahæ iam dictam hereditare non per legem, sed per fidem Christi iuxta Dei pactum

pactum cum Abraham initum : vt meritò pudere
vos debeat , ô Galatæ, quòd minus tribuatis Dei,
quàm hominis testamentis & pactis.

Tamen hominis confirmatum testamentum nemo
spernit aut superordinat] id est, immutat, aliter or-
dinat & disponit vlrà quàm à testatore ordina-
tum & dispositum est, hoc est, nec demit, nec ad-
dit, nec derogat, nec arrogat.

VER. 16. *Abrahe dicta sunt promissiones, & semini eius]*
scilicet Gen. 22. vbi dicitur : Quia fecisti hanc
rem (vt mihi obediens velles immolare filium
tuum Isaac) benedicam tibi, &c. & benedicentur
in semine tuo omnes Gentes. Vnde colligunt in-
terpretes, Abraham hac obedientia, filiique victi-
ma meruisse , vt ex sua potiùs stirpe , quàm alia,
imò ex eodem Isaac quem immolare voluerat,
nasceretur Christus , per quem omnes Gentes
benedicerentur , & implerentur benedictiones
& promissiones Abrahæ factæ.

Non dicit : Et seminibus , quasi in multis : sed
quasi in uno : Et semini tuo , qui est Christus] Hoc
postremum, qui est Christus, interpretatio est Apo-
stoli , qua promissionem illam ; & semini tuo , de
Christo docet accipiedam. Aquinas & Caieta-
nus breuiter annotarunt , Paulum eodem Spiritu
quo promissio facta, & Scriptura condita est, eam
interpretari , quod ex numero singulati, vnum, id
est Christus, fuerit significatus, &c.

VER. 17. *Hoc autem dico] q.d. Hoc igitur est, quod inten-
do, quod volo concludere.*

Testamentum confirmatum à Deo : que post qua-
dringētos & triginta annos facta est lex, non irritū fa-
cit ad evacuandam promissionem] Deus iniit pactum
cum Abraham & semine eius promissa benedi-
ctione

etione per Christum; ergo pactum illud debet manere firmum & inviolabile, nec per legem, quæ multò post superuenit, abrogari potuit, aut intercipi, quo minus per Christum impleatur. id autem continget, si per legem eslet benedictio, quæ praestanda per Christum est promissa.

Nam si ex lege hereditas, si ex lege Moysis hereditas efficiuntur benedictionis Abrahæ, hoc est, iustitiae & salutis, ergo, iam non ex promissione] sed hoc est falsum, quia hanc benedictionem donauit Deus per re-promissionem, promittens scilicet Abrahæ semen, id est Christum, in quo, & per quem omnes Gentes, quæ in eum crederent benedicerentur: si ex promissione Christi, ergo ex fide Christi, non ex lege Moysis, haec benedictio Abrahæ promissa Gentibus omnibus obtigit.

Abrahæ autem per re-promissionem donauit Deus] at qui (inquit) ex promissione hereditas est; quia Deus non ex condicione legis, sed gratuito, & irreuocabiliter dono, dandam promisit hereditatem: igitur hereditas, benedictio, iustitia non est ex lege.

Quid igitur lex? Si enim hereditas ita ex promissione est, ut non ex lege; cur igitur lex introducta est? quæ utilitas legis: aut quid omnino de lege dicendum? responderet: propter transgressiones posita est] scilicet coercendas tetrore & minis, ut saltem metu retraherentur homines a manifestis transgressionibus, ait Hieronym. &c Chrysost. Propter transgressiones scilicet declarandas posita est lex, ait August. ut nimis populus superbus visa lege agnosceret peccata sua, quæ contra legem committit, sibique Christi

Lex pro-
pter træf-
gressio-
nes quo
sensu.

gratia

Lex homines transmittit ad Christum.

gratia opus esse ad eam implendam, itaque lex
racite homines ad Christum transmisitbat. vnde
subdit:

Donec veniret semen, hoc est, Christus, cui promiserat.] Deus scilicet, per eum benedicendas esse
Gentes, hoc est iustificandas, ut pie deinceps ac
iuste viuere, legemque implere possint. q.d. Data
est lex quasi paedagogus noster, usque ad Christum; ergo Christo iam praesente, officio suo per-
functa est, quid ergo ulterius eam prorogare
vultis, ô Iudei: ita Chrysost.

Lex disposita per Angelos.

Ordinata per Angelos.] Legem veterem per
Angelos ordinatam, siue dispositam, ut legit Au-
gustinus, id est, Angelorum operâ seu ministerio
digestam, scriptam ac latam fuisse, testatur, idem
Apostolus Hebr. 2. & Stephanus Act. 7. signifi-
cat, & ipse Moyses Deut. 33. dicens, cum Domino
legem in monte Sinai ferente adfuisse Sancto-
rum millia, quos Septuaginta Angelos interpre-
tati sunt. Indicat ergo discrimen Apostolus inter
legem & promissionem, quod lex Angelorum
ministerio lata fuerit; promissio per Christum
praestanda: sicut infra dicitur, Ut promissio ex fide
Iesu Christi daretur.

Mediator hic Moyses.

In manu mediatoris.] In manu, id est per, quasi
dicat. Per mediatorem, quia manus est membrum
per quod operatur homo, & quasi organum orga-
norum. Quæritur quis hic intelligatur mediator?
Cyrill. Nazianz. Gregor. Nissen. Adamus, intel-
ligunt Moysen, qui Deut. 5. dicit se sequestrum
fuisse medium inter Deum & populum, quia
Christus non veteris testamenti, sed noui me-
diator est, quomodo eum aperte nuncupat Apo-
stolus Hebr. 8. & 12. Lex per Moysen data est,

gratia

gratia & veritas per Iesum Christum facta est,
I. oan. I.

Mediator autem unius non est] q. d. Mediator,
quem dixi , Moyses , non est unius , sed duorum
certorum & determinatorum, Dei scilicet & He-
bræorum , non autem Christianorum (ad quos
vel maximè spectat benedictio , id est , iustitia &
salus Abrahæ promissa) Moyses fuit mediator &
interpres : Deus vero unus est, non duo: itaque in
hisce verbis vim argumenti non ponit Aposto-
lus , nisi obliquè & inchoatè, sed tantum in iis ex-
plicandis ludit per antithesin , ut scilicet opponat
mediatorem qui duorum est, Deo, qui unus est, in
quo facit præcipuam vim.

Deus autem unus est] q. d. Non sunt duo dij,
quorum unus sit Deus legis & Iudeorum , alter
sit Deus Abrahæ & Christianorum , sed unus est
Deus Iudeorum & Christianorum , idem auctor
legis & Euangelij . Unus ergo idemque Deus fe-
cit Moysen mediatorem inter se & Hebreos ; mo-
dò eo reuocato alium, puta Christum , fecit media-
torem inter se & Christianos omnium Gentium ,
atque per Christum benedixit & iustificauit om-
nes Gentes , vti promiserat Abrahæ.

Lex ergo aduersus promissa Dei absit] si lex pro-
missioni adiuncta est , & quasi adrepit , videtur
quod sibi usurparit officium iurificandi & iustifi-
candi homines , ut scilicet illud , quod promissio
continebat , exequeretur , eoque fungeretur do-
nec veniret Christus : quod si ita est , ergo lex ad-
uersatur promissis Dei ; Deus enim hanc iurifica-
tionem & iustificationem promisit fidei in Chri-
stum , non legi . Lex non potest iurificare , ergo
non est contra Dei promissa , quæ vitam spirita-

VERS. 20

VER. 21.

lem promittunt dandam per Christum.

Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset iustitia] si lex posset in nobis vitalia spiritus opera edere, sequeretur posse eandem nobis spiritum charitatis & gratiæ, ipsamque iustitiam tribuere; nec enim opera spiritus edi exercerive possunt sine spiritu, sicut nec opera vitæ sine anima.

V E R . 2 2 *Sed(ex lege non est iustitia, quia) conclusit, id est, declarauit, & sententiaæ suæ auctoritate pronunciauit Scriptura omnia, id est, omnes concludi sub peccato, hoc est, omnes esse peccatores, peccati reos, peccato obnoxios. pro omnes dicit omnia. ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus] id est, ut promissa iustitiae hereditas per fidem Iesu Christi daretur credentibus in eum, dum scilicet in lege nullam inuenientes peccati medelam, ad Christum confugiunt, qui est semen illud in quo datæ sunt promissiones.*

V E R S . 2 3 *Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, quasi serui in disciplina, in custodia & carcere onerosæ legis, quæ suis pœnis quasi cancellis & septis nos à peccato continebat & coerciebat, in eam fidem, que reuelanda erat] ut scilicet per legis reprehensionem, minas & ostensionem pœnarum formaremur, prepararemur, aspiraremus ad fidem, libertatem & iustitiam, per Christum dandam. ita Anselmus & Theoph.*

V E R S . 2 4 *Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur] itaque, inquit, lex, instar paedagi, nos, tanquam parvulos & ad vitia proclives, timore coercuit, & preparauit, duxitque ad Christum*

stum verum iustitiae doctorem ac magistrum , vt
ex fide eius iustitiam consequeremur.

At ubi venit fides, iam non sumus sub pædagogo] VERS.25
hoc est, sub lege, quæ pædagogi erga nos gere-
bat officium. Posteaquam ad Christum introducti
sumus per fidem, cessat pædagogia legis.

Omnis enim , siue Iudæi , qui fuisti sub lege, VERS.26
quasi pædagogo, siue Gentiles, qui hoc pædagogo
caruisti, hoc ipso, quo credidisti per fidem Chri-
sti, filij Dei estis] q.d. Christus quasi pater nos quasi
filios adultos regit & prouehit ; quid ergo ad le-
gem & Moylen quasi pædagogum recurritis ?
Omnis enim estis filii Dei per fidem , non solam , sed
baptismo & aliis fidei actibus declaratam & pro-
testatam.

Quicunque enim in Christo baptizati estis , Chri- VERS.27
stum induistis] id est, exuto vetere homine , velut
transformati estis in Christum , nouum homi-
nem. Cum igitur tam sitis intime Christo coniun-
cti per fidem , ac fidei Sacramentum; utique legis
obsequio iam opus non habetis , vt adducamini
ad Christum. Nota efficaciam baptismi , quod
non tantum gratiam & dona , sed & ipsum Chri-
stum nos induat, vt ait Apostolus , eoque nos ve-
stiat & ornet.

Non est Iudeus, neque Gracus] supple in Christo, VERS.28
id est, in Christianismo, ait Hieronym. In baptis-
mo & fidei Dei iam dicta nulla apud Deum est
differentia generis, conditionis, aut sexus; sed omi-
nes, siue Iudæi siue Græci, siue masculi siue femi-
næ, unum sunt corpus mysticum, scilicet Ecclesia,
cuius caput est Christus.

Non est seruus, neque liber: non est masculus neque
femina. omnes enim vos unum estis in Christo Iesu]

q.d. Estis omnes tanquam unus, id est proflus indiscreti, in negotio salutis per Christum; perinde atque si omnes eiusdem generis, conditionis & sexus essetis.

VRS. 19 *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis] nec deest vobis, inquit, dignitas Iudaicæ Gentis, quæ se iactat esse semen Abrahæ.* 2. Cor. 11. *Nam si vos Christi estis, id est, Christo incorporati, & membra eius effecti per fidem & baptismum; Christus autem est verum illud ac singulare semen Abrahæ promissum: ergo & vos semen ac filii Abrahæ estis, non solùm fidei imitatione, verùm etiam incorporationis iure; vt quod Christo capiti conuenit, toti eius corpori Ecclesiæ tribuatur.*

Secundum promissionem heredes] Pertinet enim ad vos æquè vt ad Iudeos, hereditas benedictionis, ex promissione facta Abrahæ, cùm per incorporationem pari iure pertineatis ad semen illi promissum, quod est Christus.

C A P V T IV.

S V M M A R I V M.

Comparatione heredis paruuli qui est sub tutribus, ostendit Iudeos ad tempus fuisse sub seruitute donec veniret Christus. Reuocat Galatis in memoriam suum pristinum fidei feruorem. Deinde ex allegoria duarum uxorum & duorum filiorum Abrahæ ostendit filios noui testamenti non esse sub seruitute.

Dico

Dico autem : *Quanto tempore heres parvulus est,*
nihil differt à seruo , cum sit Dominus omnium]
 quod dico , tale est : *Quamdiu heres pupillus in*
minori adhuc ætate constitutus est , nulla re dif-
fert à seruo , perinde atque si seruus esset , non do-
minus ; imò seruo , scilicet pædagogō suo subiectus
est , nec liberum usum habet bonorum à patre re-
lictorum , quamvis hereditatis iure ac voluntate
paterna , eorum omnium sit dominus .

Sed sub tutoribus & auctoribus est , usque ad pre-
finitum tempus à patre] sub curatoribus & dis-
pensatoribus , qui res & bona parvuli admini-
strant .

Ita & nos , scilicet Iudei] cum essemus parvuli ,
pueri rudes & imperfecti , tum in cognitione ,
tum consequenter in amore Dei , iustitiae & salu-
tis . ita Ansel. sub elementis mundi eramus seruientes]
id est , sub littera , & quasi alphabeto legis veteris ,
corporalia signa & carnales cæmonias Mosaicæ
legis sectantes . Videri autem potest , Apostolum
alludere ad pueros elementarios , qui seruiliter
compelluntur addiscere elementa , literas scilicet
ac rudimenta literaturæ , nescientes quid ex iis sit
prouenturum utilitas .

At ubi venit plenitudo temporis , misit Deus filium
suum] id est , ubi tempus impletum est quod erat
à Deo Patre præordinatum , liberamur à seruitute
legis , & hereditatem filii promissam accipi-
mus . Ad hoc enim emisit Deus in terram Filium
suum unigenitum , sibi consubstantialem .

Factum ex muliere] Significat , Christum sine
patri semine conceptum & formatum ex sola
matri substantia , & purissimis sanguinibus .

Factum sub lege] quia Christus licet legi , etiam

quà homo, non esset subiectus, ut pote persistens in persona Filij Dei, qui legis fuit dator & conditor, tamen eam sponte sua seruauit, sponte se circumcisio[n]i, aliisque cæremoniis lege præceptis submisit ac subiecit; factum ergo significat, non obligationem, sed usum; non ius, sed factum. ita Ansel.

VERS. 5. *Vt eos qui sub lege erant redimeret*] id est, dato pretio eximeret à seruitute legis, suosque faceret.

Vt adoptionem filiorum reciperemus] Nota vocalam ut, q. d. Ideò Filius Dei factus est ex muliere filius hominis, ut filios hominis faceret & adoptaret filios Dei. ideò, ait Bernardus, Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. Hæc adoptio fit per gratiam, quia non tantum ius ad hereditatem Dei Patris, sed & naturæ diuinæ participationem, ipsumque Spiritum sanctum, ac Dei filiationem nanciscimur.

VERS. 6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamamem: Abba, Pater*] Cùm dicit, Spiritum filij sui, significat Spiritum sanctum, non à Patre solo, sed etiam à Filio procedere. Non enim Spiritus filij dici potest nisi spirantis, &, ut Theologi loquuntur, principiantis. Appositè vero Filij mentionem adiunxit, ut filiorum adoptionem in naturalem Dei Filium referret. q. d. Quia estis filii Dei, Deus misit Spiritum suum, non qui filios vos faciat, sed qui vos filios iam factos doceat clamare: Abba, Pater. Clamamem, hoc est clamare (id est, magna piæ mentis deuotione precari) facientem, ut scilicet deuotè, ardenter & fidenter, filiali affectu inuocemus Deum patrem,

*Deus id-
eo factus
est homo,
ut homo
fieret.
Deus.*

trem. hic enim est , non tam oris quàm mentis clamor , de quo Dominus ad Moysen licet silentem : Quid, inquit, clamas ad me ? Exod. 15. ita Theodor. Anselm. & aliij.

Itaque iam non est seruus, sed filius] est. Tu igitur, inquit, quisquis es qui per Spiritum Filij Dei clamas ad Deum, Abba, Pater ; non amplius iam seruus es , ab hereditate alienus ; sed , vel ipsius Spiritus sancti testimonio, filius.

VERS. 7.

Quod si filius, & haeres per Deum] Græcè & Syriacè , Heres Dei per Christum. Idque plenius est. Per Christum enim , cui inserti sumus hereditas æterna Dei & omnia bona obueniunt nobis à Deo, Deique gratia & misericordia.

Sed tunc quidem, cùm infideles & pagani essent, ignorantes Deum, iis , qui natura non sunt dij. sed fictione falsaque opinione hominum, puta idolis, seruiebatis] id est, colebatis ea latria & sacrificiis.

VERS. 8.

Nunc autem, cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis à Deo , quomodo iterum conuertimini ad infirmitatem & egena elementa , quibus denuo seruire vultis ?] q. d. Cùm edoceti sitis ab ipso Deo , qui interius per illustrationem gratiæ suæ , exterius per os nostrum vos docuit Christi fidem ac viam ad iustitiam & salutem , quomodo iterum ad rudimenta legis conuertimini, ut ab eis edoceamini ita Chrysost. Ambros. D. Thom.

VERS. 9.

*Dies obseruatis , & mensis , & tempora , & annos] VERS. 10
Per obseruantias dierum, mensium, annorum, intelligit omnes cæremonias legis veteris, quasi ex parte totum.*

Timeo vos , ne forte sine causa laborauerim in vobis] Timeo vobis aut de vobis. non enim Galatas ti-

VERS. 11

mebat Apostolus; sed declarat suam pro eis sollicitudinem, metuens ne inanem sumpserit operam ac laborem in eorum conuersione.

VERS. 12. *Estote sicut ego]* Iudaicas obseruationes meo exemplo abiicite, neque legem seruitutis patiamini vobis imponi.

Quia & ego sicut vos] nam & ego me vestrae infirmitati accommodauis, ut vos Christo lucifacerem.

Fratres, obsecro vos] fratres; inquit, rogo vos & obsecro, ut quemadmodum dixi, faciatis. Videamus Apostolum tentare omnem viam reuocandi Galatas ab errore.

Nihil me læsistis] sed vosipso læsistis. q. d. Non iratus hæc dico, sed vos amans, & vestri miserans.

VERS. 13. *Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizari vobis iam pridem]* Per infirmitatem carnis generaliter intelligunt aduersitates & afflictiones homini exteriū illatas; ut contumelias, verbera, persecutiones, carceres, & huiusmodi malorum pericula, ut videretur omnino abiectus Apostolus, vilis, infirmus & miserabilis. eandem vocat tentationem in carne, quia inde Galatae tentari potuissent, Paulumque cum suo Euangeliō abijcere, ita Chrysost. Theoph. & alij.

VERS. 14. *Et temptationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respulisti]* q. d. Tentationem vestram, id est, me tot contumeliis oneratum, persecutionibus agitatum, flagris cæsum, pauperem, afflictum & abiectum, qui vobis poteram esse tentationis obiectum, ut me meumque Euangeliū aspernaretis; non sprevistis, sed tanquam Angelum, immo tanquam Christum ipsum, exceptis.

Ubi est ergo beatitudo vestra?] id est, beatifica- VER. 15.
tio vestra, qua me tanta fidei causa patientem,
beatum, ac vos propter me beatos prædicabatis,
atque ab aliis prædicabamini. ita Theophyl. ni-
mirum dicebatis: O nos beatos, qui talem habe-
mus Apostolum!

Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri pos-
set, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi] habe-
batis me chariorem oculis vestris; id est, eram vo-
bis charissimus. q. d. Ubi sunt pristinæ vestræ de
me voces, laudes, iudicia, ô Galatæ? Quomodo
tam citò, tam temerè animos erga me & Euange-
lium mutatis? ita me deperibatis, vt oculos ve-
stros, si fieri potuissent, mihi dedissetis. Quò abiit
amor & ardor?

Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens VER. 16.
vobis:] ergone propterea me pro inimico habere
cœpistis, quod veritatem vobis dixerim? postea-
quam etiam usque ad Galatas penetrarant Iudei,
qui dicerent, Nisi circumcidamini, non potessis
saluari, A&t. 15. neceſſe fuit Apostolo de ea re ve-
ram & apertam doctrinam proferre.

Æmulantur vos, iudaizantes depereunt vos, VER. 17.
ambiant vos, vos sibi conciliare, sibi suæque legi
subiicere satagunt, sed non bene, quia non ad bo-
nūm & profectum vestrū: sed excludere vos vo-
lunt à Christo & Christiana libertate, vt illos amu-
leminī.] q.d. Suam gloriam, non salutem vestram
æmulantur, ideoque vos excludere volunt à
Christo, vt non Christum, sed illos æmuleminī
& consecrēminī.

Bonum autem æmulamini in bono semper, & non VER. 18.
tantum cum præsens sum apud vos] illi volunt vt
ipos æmuleminī; atqui bonum est & laudabile,

vt æmulemini magistros vestros; qualis ego imprimis sum (id enim intelligi vult) nec in quibuscumque, sed tantum in re bona: idque semper, id est constanter, & non solum me vobis praesente.

V. 19. *Filioli mei, vos enim ego per Euagelium genui Christo, quos relapsos à Christo eiisque adoptione ad Iudaismum, iterum parturio, vt à Iudaismo reuocem, Christoque rursum pariam, donec formetur Christus, id est, Christi fides, spes libertas, in vobis] vt scilicet non à lege, sed à Christo, & Christi fide omnem gratiam, iustitiam, salutem expectetis.*

V. 20. *Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam] vt affectus, quos epistola scripta non capit, voce viua exprimerem, vt scilicet quasi mater nunc blandirer, nunc gemerem, nunc obsererat, nunc obiurgarem vos, vti solent matres naturales se in omnes affectus versare, nunc orare, nunc plorare, nunc gemere, nunc arguere, vt filios permoueant, eisque persuadeant id quod cupiunt, ita Chrysoft.*

Quoniam confundor in vobis] id est, haereo & aneeps sum animi, stupefactus sum, attonitus & inops consilij, de vobis, id est, quomodo vobiscum agere debeam. Aliud enim est pudere & erubescere, aliud confundi, hoc est, animo turbari, vt nescias quid sit agendum.

V. 21. *Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis] Græcè, legem non auditis? hoc maioris est energiæ. q. d. Si me non auditistis, legem ipsam quam ambitis, audite; ipsa vos à se ad Christum amandabit. argumentatur autem ex ipsa lege (id est, ex Scriptura quæ legem tradit) contra eos*

qui

qui sub lege esse volebant.

Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera.] Scriptura narrat Abraham duos suscepisse filios, Ismaël & Isaac: illum ex Agar ancilla, id est serua; hunc verò ex Sara libera.

Sed qui de ancilla secundum carnem natus est] nimurum per carnis vires, per carnalem & naturalem generationem, quae habet, ut ex iuuencula, qualis erat Agar, Abraham, licet senex, posset suscitare proles.

Qui autem de libera, per reprobationem.] Isaac genitus est non virtute carnali & naturali, quia hæc in anu & sterili Sara defecerat, ut ex ea naturaliter suscitare prolem non posset senex & ipse Abraham: sed per reprobationem genitus est, puta per virtutem diuinam, & supernaturalem Dei, qui Abrahæ ex Sara supra naturam generationem Iaaici promiserat, Gen. 17.

Quæ sunt per allegoriam dicta.] Allegoria est, cùm ex eo quod dicitur aliud quiddam significatur. Vnde August. lib. 15. de Trin. c. 9. dicit quosdam latinos interpres, ita vertit: *Quæ sunt aliud ex alio significantia.*

Hac enim sunt duo testamenta.] Sara videlicet & Agar, sunt, id est, per allegoriam significant, duo testamenta, nouum scilicet & vetus. ita Hierony. Chrysost. Theodor.

Vnum quidem in monte Sina] q. d. Vetus testamentum à monte Sina traditum & promulgatum est, *in seruitutem generans]* hoc est, seruos generans, videlicet Iudeos seruientes umbris multiplicium, onerosarum & prægrauium cæremoniarum, idque timore pœnarum ac spe bono

Explicatur allegoria & typus Sarre & A-

gar.

bonorum terrenorum, abundantiae videlicet frumenti, vini & olei, quæ Deus promisit Iudeis, si legem pactumque seruarent.

Agar serva testamentum vetus & seruile significat *Quæ est Agar?*] quasi dicat. Quod testamentum vetus & seruile significat Agar serua. ita Hieronymus.

Sina enim mons est in Arabia] q.d. Agar & Sina significat eiusdem rei gerunt significationem, scilicet veteris testamenti. Conuenienter à monte Sina vetus testamentum profluxit; nam Sina mons est horridus in Arabia, longè extra fines terræ promissæ situs; proinde aptissimus ad significandam veteris testamenti qualitatem, quæ est timorem & horrorem incutere, & seruos facere, promissionis exortes, &c ab hereditate alienos.

Qui coniunctus est ei qua nunc est Ierusalem] qui mons Sina cognitionem habet cum ista terrena Ierusalem, eique congruit quoad mysticam significationem, nam Sina vetus testamentum significat; terrena Ierusalem sedes est populi Iudaici, id est, filiorum veteris testamenti, quia Sinaici illi Iudei qui in Sina legem acceperunt, parentes fuerunt Iudeorum, qui iam viuunt in Ierusalem; & sicut in natura, sic & in indole seruili, moribusque Iudaicis utriusque conueniunt. Qualis fuit Sina, talis fuit & Ierusalem: atqui Sina generauit seruos; ergo & Ierusalem seruos generauit & generat, veteris scilicet testamenti.

Et seruit cum filiis suis] q. d. Sicut Agar serua Ismaëlem, & posteros eius seruos generat, ita allegoricè significat testamentum vetus generare seruos. E contra, sicut Sara libera liberum genuit Isaac, & posteros eius (partus enim sequitur ventrem) ita allegoricè significat nouum testamen-

mentum generare liberos.

Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra] ita vocat præsentem Ecclesiam noui testamenti. Pro quo. Nota, Ecclesiam Christianam, quam significat Sara, id est, princeps, vel domina, quæque opponitur Synagogæ Iudæorum, quam significat Agar serua, quatuor his notis insigniti. Primò, quòd sit de sursum, quia Christus eius caput è cælo descendit, ac rursum in cælos ascendit, indéque Ecclesiæ regit, quia perfectio Ecclesiæ in superis ac cælestibus rebus est, nimis in fide, spe, charitate, quia virtus Sacramentorum eius è sursum prouenit, & Deum ipsum in Ecclesia quasi de sursum aduenientem præsentem habet, quia conuersatio eius in cælis est, cor & thesaurum habet in cælo apud sponsum suum. quia ad æternam coronam & quietem, in cælo anhelat etendit. Secundò, quòd sit Ierusalem, idem est quod visio pacis: hanc enim Ecclesiæ prouidet ac procurat Deus, ut gaudeat pace spiritali & cælesti. Tertiò, quòd sit libera. Ecclesia iam habet libertatem moralem, quæ excludit seruitutem cupiditatum & vitiorum: & spiritualem ex perfecta caritate quæ foras pellit timorem, prouenientem; per quam amore filiali reuerentiaque seruitur Deo in spiritu & veritate; spe vero ac voto cælestem præcipit & prægustat, illam re ipsa post resurrectionem adeptur. Quartò, quòd sit mater fecunda, quia ex sterili gentilitate, quæ dæmonibus seruiebat collecta Ecclesia Christi multos ei filios spiritales peperit, & parit, non ex solis Iudæis, ut Synagoga, sed ex omnibus & Iudæis & Gentibus, eosque Christo ad cælum transiit.

VER. 26.
Ecclesia
Christianorum
quatuor
notis in-
signitur.

Sicut

VER. 17. Sicut scriptum est, Isaiae 54. Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis.] Lætare, ô Ecclesia ex Gentibus vocata & collecta, quæ eras sterilis antea, & deserta, à Deo, fide & lege, quæ non paris, quæ hactenus non soles Deo filios parere: Deo iam despontata, exulta & clama, lætare, erumpe & clama; id est, cum lætitia Deum lauda, & in clamorem & cantica laudis erumpe.

Quia multi filij deserta, magis quam eius quæ habet virum.] Desertam autem vocat, quasi à toto repulsam aut seiunctam propter sterilitatem. Sensus est: Meritò lætandum tibi est, quia tu, quæ hactenus solitaria fuisti, nec viro ad gignendos filios coniuncta (sterilis enim eras) nunc fœcunda reddita, Christo viro tuo filios paries multò plures, quā Synagoga viro suo coniuncta, id est, legem Moysaicam amplexata, toto veteris testamenti tempore filios peperit.

VER. 28. Nos autem fratres, secundum Isaac, instar Isaac, qui non virtute carnis, sed promissionis diuinæ natus est ex anu & sterili Sara, promissionis filij sumus.

VER. 29. Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, hoc est, Ismaël carnali virtute & génératione prognatus ex Agar, persequebatur eum, qui secundum Spiritum, id est Isaac, qui natus est ex Spiritus sancti promissione & virtute supra naturam ex Sara, quasi typus fidelium, & spirituallium filiorum legis nouæ, ita & nunc] q. d. Vt olim Ismaël ironicè lufsit cum Isaac, eum vexando & persequendo, ita nunc Iudei Christum regem libertatis irriferunt, vexarunt, crucifixerunt, eiisque libertos Christianos pertinaci odio persequuntur, vti iam vos Galatas vexant & perse-
quun

quuntur, ut sibi subiificant, pessundent atque per-
uertant. ita Ambros. Anselm.

Sed quid dicit Scriptura? *Eiice ancillam & filium eius.*] Sunt verba Saræ Genesis 21. quibus petit ab Abraham marito, ut eiiciat Agar cum Ismaële vexante suum Isaac. sicut enim Sara postulan-
te, & Deo postulatum eius approbante, eiecta est è domo Abrahæ Agar ancilla cum filio suo;
sic Ecclesia per spiritum Dei instantे & perut-
gente, legem cum suis quasi necessariæ, oblerua-
toribus, eiici oportuit è familia & populo Dei:
per quod palam demonstratur legis ac prioris
testamenti cessatio.

Non enim heres erit filius ancille cum filio liberae.] Isaac enim solus mansit heres quia liber, & filius liberae. sic allegoricè Christiani, quia liberi, sunt heredes benedictionis & iustitiae Abrahæ.

Itaque fratres, non sumus ancilla filij, sed liberae.] VERS. 31.
igitur, inquit, fratres, quotcunque in Christum credimus, non sumus ancilla filij, id est, non perti-
nemus ad legem, significatam per Agar, sed sumus filij liberae pertinentes ad Ierusalem, quæ sursum est, significatam per Sarah.

Qua libertate Christus nos liberauit] id est, ita
quam Christus per mortem suam nos afferuit; ille nimirum qui de seipso loquitur, *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis*, Ioan. 8. Christi gratiæ tribuendum est, quod simus filii noui testamenti & Ecclesiæ quasi liberi, & liberati à veteris legis, testamenti & Synagogæ quasi ancillæ ser-
uitute.

C A P V T V.

S V M M A R I V M.

A circumcisione simûlque ceremonialium obseruatione Galatas, epilogi modo, auertit: ad charitatemhortatur: enumeratione quadam ostendit quæ sint opera carnis, qui fructus Spiritus.

VER. 1. **S**tate] firmi & constantes persistite in fide & libertate Christi, id est, abiecta omni fluctuatione persistite constanter in libertate, quam per Christum semel adepti estis.

Et nolite iterum iugo seruitutis contineri.] Sensus est: libertate donati ne patiamini vobis rursus imponi seruitutem. Loquitur de lege Mosaica; quam vocat iugum seruitutis.

VER. 2. *Ecc, ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit] si, inquit, aliquid apud vos mea valet auctoritas; ecce palam affirmo vobis ac denuncio, quod si circumcisio nem recipiatis, non eritis participes beneficiorum Christi.*

VER. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis facienda] id est, obligat se ad obseruandam totam legem Mosaicam: quia circumcisio erat legis professio.*

VER. 4. *Enacuasti estis, scilicet per vos ipsos, vos ipsi euacuasti à Christo, id est, à Christi redemptione, gratia,*

gratia, salute, omnique efficacia & influxu meritorum eius, vt amplius nihil boni in vos influere & deriuare possit, sed vos omnibus suis beneficiis quasi vacuos relinquat. qui in lege iustificamini] id est, qui iustitiam ex circuncisione aliisque legis operibus queritis.

A gratia excidistis] id est, beneficium gratiae Christi perdidistis. nam qui ex lege iustificari querunt, non expectant iustitiam a Christo per fidem, sicut veri Christiani faciunt.

Nos enim spiritu ex fide spem iustitiae exspectamus] spiritu, id est, per spiritum gratiae & charitatis, ex fide scilicet Christi, acceptum, spem iustitiae, id est iustitiam speratam, exspectamus.

Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque preputium] id est, in religione Christiana nihil valet, nihil confert ad iustitiam & salutem, quod quis circumcisus sit, aut incircumcisus. Cor. 7. Circumcisio nihil est, & preputium nihil est.

Sed fides qua per charitatem operatur] Græcè operata, id est, incitata & vehemens, significat internam vim, occultam efficaciam & energiam. q. d. Fides charitate formata, eaque quasi anima sua animata per intimam quandam vim & spiritualem suum influxum opera virtutum vitalia operatur.

Currebatis bene] in vita & doctrina Christiana, quasi in via & stadio ad æternæ gloriae consequendum brauium.

Quis vos impedivit veritati non obedire?] quis cursum vestrum tam bonum interruptus?

Nemini consenseritis] iudaizanti scilicet, volenti vos pellicere a cursu Euāgelij ad Iudaismū.

VERS. 8.

Persuasio hæc, qua vobis persuasum est aut potius qua Iudæi, qui vos in cursu Christianæ vitæ impediunt, vobis persuadere conantur legalia necessaria esse Christiano ad salutem, non est ex eo, qui vocat nos] id est, non est ex Deo Patre, qui vos ad fidem, gratiam & salutem vocavit per Christum: sed potius ex diabolo est eiusque ministris ita Anselmus.

VERS. 9.

Modicum fermentum totam massam corrumpit] Modicum fermentum est circumcisio, quæ sola, si eam recipiatis, in perfectum Iudaismum vos traiicit, sicut fermentum, licet modicum, totam massam ad se rapit, & in suum saporem & acom rem transmutat.

VER. X.

Ego confido in vobis, id est, de vobis, in Domino, in clementia & gratia Domini, quod ipse vos in fide Christi, ad quam vos vocavit, stabilit, quo fieri quod nihil aliud sapientia] id est, quod non credetis aliquid, scilicet, quam quod à Domino personum meum accepistis, & edocisti estis de lege & libertate Christiana, non sequemini nouitios doctores nouisque eorum persuasions.

Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, qui cumque est ille] qui vestram in fide Christi tranquillitatem nouam doctrinam perturbat, iustas penas luet, non effugiet iudicium, qui cumque fuerit.

VER. XI.

Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc predico, quid adhuc persecutionem pauper?] Fingebant iudaizantes Paulum apud Iudeos iudaizare, apud Gentes Iudaismum impugnare. hoc figura mentum hic refellit Paulus; cur enim, inquit, Iudæi tam acerbis odiis me persequuntur, nisi quia publicè contrarium doceo, & ubique Euangelium stabilio circumcisionem tollo & aboleo quantum possum.

Ergo

Ergo evacuatum est scandalum crucis] si inquit, ego circumcisionem adhuc prædicto ; debet ergo cessare offendit Iudæorum , qua offenduntur ob crucis prædicationem . non enim tam offendit eos prædicatio Christi crucifixi , quam legis per crucem abolitæ: vellent enim legem cum Christo retinere. Sic Hieronymus.

Vtinam & absindantur qui vos conturbant] A- VER. 12.
bsindantur, scilicet ab Ecclesia, vestroque consor-
tio , né quasi fermentum totam Ecclesiam cor-
rumpant. sic enim fornicarium ab Ecclesia absin-
di iussit , i. Cor. 5. qui vos conturbant , qui vos sub-
uertunt , id est , qui student vobis auferre liberta-
tē in qua statis, atq; ex ea deturbare vos conantur.

Vos enim in libertatem vocati estis fratres] vt per VER. 13.
Euangelium sitis liberi ab onerosa & inutili ser-
uitute tot legalium cæmoniarum : hæc enim
est libertas Christiana , quam tota epistola op-
ponit seruituti Iudaicæ.

Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis]
Monet Galatas , ne libertatem , in quam vocatos
eos dixit , male intelligentes , eo nomine abutan-
tur ad seruiendum carni.

Sed per charitatem Spiritus seruite inuicem] q.d.
Nolo vos seruire cæmoniis , nec carni , sed ab
eis esse liberos, vt seruiatis inuicem per spiritum
charitatis , & ex spiritali charitate alter alteri
succurrat, opituletur, seruiat.

Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum] q.d. Omnis lex est de
charitate vel Dei , vel proximi , qui diligit proxim-
um , legem impleuit.

Quod si inuicem mordetis & comeditis. q.d. Si VER. 15.
inuicem roditis & laceratis detractionibus,

qdiiis, calumniis, inuidiis, vide te ne ab inuicem consumamini] Sicut enim duo canes rixantes inuicem mordent, & conficiunt, ita & duo inuidi, duo obtrectatores, duo rixantes inuicem, imò seipso ipsi conficiunt.

VER. 16. *Dico autem q. d. Epitome, fundamentum, radix, caput & summa totius epistolaæ meæque scriptio-*nis, est hæc: *spiritu ambulate*] non lege, non carne. q. d. Radix omnis vestri mali est defectus spiritus: si enim eum haberetis, excluderetis tam legalem quam carnalem vitam. Viuite & conuer-

samini secundùm dictamen Spiritus sancti, ma-

nifestatum vobis in lege dilectionis.

Et desideria carnis non perficietis] quamuis caro sollicitet ad peccata, non tamen facietis nec ope-

re nec consensu, id quod caro desiderat aut con-

cupiscit.

VER. 17. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem*] Caro concupiscere dicitur aduersus spiritum, quia carnalis concupiscentia quam ex Adam traximus, excitat & commo-

uet in nobis prava desideria Spiritui sancto con-

traria. Spiritus autem concupiscere dicitur ad-

uersus carnem, quia sancta desideria quæ carni contraria sunt, in nobis excitat.

Hac enim sibi inuicem aduersantur, ut non que- cunq[ue] vultis illa faciat] concupiscentiae non permittunt vos implere quod vultis, nolite & vos eis permettere implere quod ipsæ volunt: & ita nec vos, nec illæ facietis quod vultis, ita An-

selmus.

VER. 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege*] id est, si vos Spiritus sanctus mouet, agit, impellit, si spiritu ambulatis; iam non estis sub lege, scilicet terren-

terrente , premente , vindicante ; quomodo sub lege sunt homines aperte mali , vel qui serviliter tantum ea quae legis sunt , faciunt , nam vos per Spiritu libenter ac sponte facitis ea quae lex præcipit .

Manifesta sunt autem opera carnis] hoc est , opera & actus , ad quos excitat caro , hoc est , concupiscentia .

VER. 19.
Carnis o-
pera qua-
dicatur.

Quae sunt fornicatio , immunditia , impudicitia , luxuria .] Pro tribus illis , Hieron. & Augustin. tantum immunditiam & luxuriam legunt : pro quibus Ambrosianus , impuritatem & obscenitatem .

Idolorum servitus] idem est , quod cultus idolorum . VER. 20.

Veneficia] Græcè , beneficium , qua voce propriè quidem significatur veneni procuratio , etiamsi non habeat magicum aliquid coniunctum .

Inimicitia . vitium eorum est , qui odia exercent contra alios , non eorum qui hæc patientur . *Contentiones .* significat autem pugnam verborum vehementē , qualis inter inimicos . *Æmuluções]* est ægritudo seu dolor animi inde natus , si eo quod prius quis concupierit alitus potiatur , ipse careat .

Ira , rixa .] Significatur impetus ac feroz animi exardescens ad vindictam . Hebræi furorem vocare solent .

Dissensiones] alijs vertunt , seditiones . fætius arbitror dissidia vocari , exempli gratia , dicentium : Ego sum Pauli , ego Apollo , ego Cephæ .

Secta .] ut in religione malit suam opinionem & electionem , quam maiorum traditionem sequi , quæ magna est temeritas & præsumptio :

Inuidia , homicidia , ebrietates , commissiones , & his similia .] Anselm . *comissiones ,* ait , id est , inhonestæ & luxuriosa conuiuia . Noli esse in conuiuiis

potatorum, nec in comedationibus eorum, Proverb. 23.

Quia prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.] Græcè, regnum Dei non hereditabunt. quasi dicat: Sicut & prædixi ac præmonui cùm apud vos essem, eos qui hæc & similia agunt, non accepturos hereditatem regni Dei.

VER. 22. *Fruitus autem Spiritus est]* Opponit operibus carnis opera Spiritus, quæ scilicet à spiritu gratiæ procedunt, quæque Spiritus sanctus per suam gratiam in nobis parit & producit, ut iis Dei regnum mereamur & consequamur, à quo opera carnis suos operantes excludunt. Vocab autem ea *fructum* Spiritus sancti, singulari numero; propter connexionem omnium in charitate, tanquam principali dono Spiritus sancti, quam propter hoc primo loco posuit.

Charitas] hoc loco non alia intelligenda est, quæ illa de qua cùm alibi sæpè, tum ex professo disseruit Apost. 1. Cor. 13. Cætera quæ deinceps sequuntur, ipsius charitatis quædā germina sunt.

Gaudium] vocab gaudium in Spiritu. S. Rom. 14. Est enim delectatio in iis bonis quorum auctor est Spiritus sanctus: qualia sunt quæcunque ad nostram pertinent sanctificationem. Gaudium quod oritur ex conscientia serena, sancta, purgata à peccatis, virtijs, animi perturbationibus: secura enim mens est quasi iuge conuiuum. Cyprian. Voluptatem, inquit, viciisse voluptas est maxima: neque enim illa maior est victoria, quæ à cupiditatibus refertur. E contrario fructus carnis & concupiscentiæ est dolor & tristitia.

*Voluptatem
vi-
cisse vo-
luptas
maxi-
ma.*

Pax] qua tranquilla mens nullis passionibus per

perturbatur, ait Hieron. Tranquillam & pacificam cum proximis conuersationem significat; atque opponitur inimicitis.

Patientia] virtus est, per quam ex quo animo aduersa tolerantur: etenim charitas patiens est, & omnia suffert.

Benignitas] significat morum facilitatem ac suavitatem, qua quis aliis fere libenter accommodat in bonum: nam charitas benigna est.

Bonitas] qua quis & a documentis abstinet, ac prodesse ac benefacere paratus est.

Longanimitas] pro qua alij lenitatem verterunt.

Mansuetudo] Manuetus, ait Anselm. dicitur, quasi manu assuetus, tractabilis, dulcis, flexilis: tractari, duci, pati, facere, ferre assuetus.

VER. 23.

Fides] eam dicit fidem quae spectatur in seruandis pactis & promissis; estque pars iustitiae specialis. Ansel. Fides, inquit, est fidelitas & veracitas in promissis, quae opponitur fraudi & mendacio.

Modestia] virtus est, quae modum ponit & moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incensum, vestitum, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exteriori recte componit, prouenitque ex interna mentis & passionum moderatione.

*Modestia
proprie-
tates.*

Continentia] siue temperantia, virtutum cardinalium vna. Continentia generalis est virtus aut potius complexio virtutum, qua continens vitiorum omnes illecebras & tentaciones frangat & cohabet.

Castitas] & sobrietas, omnibus libidinis & gulae vitiis opponitur, &c.

Aduersus huiusmodi non est lex] nulla est lex, quae hos fructus Spiritus, & eorum obseruatorum arguat, compescat, condemnnet: ac proinde

si spiritu ducimini, non estis sub lege, ut dixit v.
18. eò enim respicit ac reddit.

VER. 24. *Qui animem sunt Christi, carnem suam crucifice-*
Caro est runt cum vitiis & concupiscentiis] [Caro non carnem
concupi-
scentia propriè, hoc est corpus, sed concupiscentiam in
in carne carne residentem significat, ita enim carnem ac-
residens. cipit v. 17. q. d. Qui Christi spiritu aguntur, hi car-
nem, id est concupiscentiam & naturam vitia-
tam cum suis habitualibus vitiis, & cum suis mo-
tibus actualibus, scilicet concupiscentiis, crucifi-
xerunt & compresserunt, inquit S. Augustin. ti-
more illo casto, qui permanet in sæculum sæcu-
li, quo cauemus offendere illum, quem toto cor-
de, anima, mente diligimus.

VER. 25. *Si spiritu viuimus, si internam habemus vitam*
& animam gratiæ, spiritus & iustitiæ : spiritu &
ambulemus] secundum Spiritus & gratiæ dicta-
mē ductūmque incedamus, conuersemur, aga-
mus, operemur.

VER. 26. *Non efficiamur inanis gloria cupidi, inuicem pro-*
uocantes, inuicem inuidentes] Prouocantes ad pugnas
verborum, & si victi fuerimus, inuidentes. Aperit
fontem contentionum & inuidiæ, nam ex cupi-
ditate gloriæ, qua quisque cupit inter homines
excellere, promanant hæc vitia. inanis autem vo-
catur ea gloria, quia tantum in hominum opinio-
ne posita hæc gloria est quasi bulla tumida, ina-
nis & vacua, quæ nihil habet rei, soliditatis &
substantiæ, qua mentem & appetitum hominis

Plena &
földia
gloria à
Deo.

implere & explere valeat. plena enim & solida
gloria, quæ mentem explet, tantum est apud
Deum: plenæ gloriæ, ait Hieron. cupidi sunt qui
gloriam Dei desiderant, & laudem virtute con-
dignam, à Deo scilicet commendari & laudari.

C A P V T VI.

S V M M A R I V M.

Hortatur Galatas ut alij aliorum ferant infirmitates, & ut bonis operibus sese exerceant.
Non esse gloriandum nisi in cruce Domini.

Fratres, & si praoccupatus fuerit homo in aliquo VERS. 1.
delicto, vos qui spirituales estis, huic modi instruente in spiritu lenitatis] Sensus est: Nemo per inanem gloriam sese super alium efferat aut contendat; sed etsi quispiam tentatione praeuentus, ut est humana fragilitas, prolapsus fuerit in peccatum; vos qui spirituales estis, id est, qui geritis vos pro spiritualibus & perfectis, non durius ac seuerius agite aduersus huiusmodi, sed cum mansuetudine eum admonentes & corripientes, restituite atq; erigite a lapsu. Nota. Spiritum vocat affectum internum lenitatis, qui est donum Spiritus sancti, ait Chrysost.

Considerans te ipsum, ne & tu tenteris] te ipsum considera quicunque spiritualis es, ne & tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto praoccuperis. Nihil ita frangit hominis seueritatem in corrigoendo, quam timor proprij casus. Ita Thomas.

Alter alterius onera portate] onera vocat peccata, quæ reatu suo nos deprimunt, & penitus obnoxios reddunt. Portamus onus, id est peccara,

VERS. 2.
Onera
aliorum
portare
quid.

Kk 5 proxi

proximi, eumque hoc onere leuamus , per compassionem & lenitatem, lenemque instructionem & correptionem , per orationem , si oremus pro eo ut eum Deus onere leuet,&c.

Lex Christi *Et sic adimplebitis legem Christi] Lex Christi, lex fraternalis dilectionis est; quæ dicit mutua onera ferenda esse. de qua & Ioannes Apostolus dicens : Filioli diligite alterutrum , quia præceptum Domini est,& si solum fiat, sufficit.*

VERS. 3. *Nam si quis existimat se aliquid esse, ipse se seducit] Græcè, seipsum decipit. hoc quidem dicitur contra superbiam eorum qui sibi placentes & existimantes se aliquid esse, durius tractabant infirmos. Hic nihil est: quia suo fastu, arrogantia, duritie, contemptu ostendit se nullius esse virtutis. se seducit, id est, mentem suam decipit. quæ deceptio maxima est & peruersissima; cum scilicet quis sibi cœcè blandiens, sibi ipsi imponit , persuadens sibi se esse, quod reuera non est.*

VERS. 4. *Opus autem suum probet unusquisque] q.d. Sicut pro suis operibus quisque retributionem à Domino iudice exspectare debet , non pro alienis ; ita sua considerer opera , non aliena. examinet opus suum,qua intentione fecerit.*

Et sic in semetipsò tantum gloriam habebit , & non in altero] non gloriabitur, respiciens alterum graveriter lapsum , quod eo sit melior , vti Pharisæus gloriabatur contra Publicanum , eum contemnendo , & se præ eo laudando : sed modestè in se suaque conscientia in operibus Dei gratia factis gloriabitur. ita Chrysost. Theoph. Anselm.

VERS. 5. *Vnusquisque enim onus suum portabit] Vocabatur autem onus , propter peccata, quibus nemo caret: quorum omnium est reddenda ratio. quisque*

que operum & peccatorum suorum onus, id est, meritas operum pœnas & præmia, feret & portabit.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis] qui instituitur in doctrinā fidei, vicissim communicet, id est, tribuat doctori suo bona temporalia quæcunque viderit ei necessaria: quia iustum est, ut qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat.

Nolite errare, Deus non irridetur] id est, nolite vosmetipos fallere vanis excusationibus, quæ valere possunt apud homines, sed non apud Deum; quia Deus non irridetur.

Quæ enim seminauerit homo, hec & metet] id est, omnium operum suorum quæ fecerit, iustum retributionem accipiet.

Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem] q.d. Qui semen operum suorum proiicit in terram carnis suæ, id est, ea facit in obsequium carnalis suæ concupiscentiæ (vnde & opera carnis vocantur) is ex eadem carne sua metet corruptionem, id est, referet interitum, miseriā & mortem sempiternam.

Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam] Prudenter obseruat Hieronymus Apostolum non dixisse, In spiritu suo, sicut dixerat, in carne sua; sed tantum in spiritu; quia qui bona seminat, inquit, non in suo quippiam, sed in Dei Spiritu seminat. Vult enim intelligi Spiritum sanctum, sicut & in superioribus. q.d. Qui verò semen operum suorum seminat in agrum spiritus, id est, in Spiritu sancto ea facit, eiusdē virtute perducēda ad fructum (vnde & fructus Spiritus ab Apostolo nominantur) is ex eodē spiritu, valo

valorem velut infinitum operibus tribuente, recipiet pro eis vitam æternam. quam è diuerso in corruptionem, hoc est immortalitatem, vocat Apostolus, Rom. 2.

VERS. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus] græcè, non fatigemur, non lassemur, non segnescamus. Sensus est: Ne rædio aut molestia viæt in quam cessemus à benefaciendo proximis.

Tempore enim suo meremus non deficientes] q.d. Non fatigemur hic bene operando & seminando, vt pro mercede perfectam quietem, in qua nulla erit fatigatio, in messe cælesti & æterna assequamur.

VER. 10. Ergo dum tempus habemus, seminandi, benefaciendi, merendi in hac vita, operemur bonum ad omnes] hoc est, omnibus.

Maximè autem ad domesticos fidei] id est Christianos, qui domestici fidei dicuntur, quia in vnam domum Ecclesiæ per fidem congregati sunt. quos eosdem Ephes. 2. vocat domesticos Dei; quia Ecclesia domus Dei est.

VER. 11. Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu] id est, quantis, quām longis literis vobis scripsi mea manu. q.d. Ego Paulus, qui alias aliena manu soleo scribere, & tantum mea manu subscribere, hanc epistolam ad vos totam (vt facetur S. Chrysost. Ambros. Theoph.) licet bene magnam scripsi mea manu, vt ostendam quām mihi curæ sit vestra salus, pura fides & religio, vt à Iudaismo ad Christianismum vos reducam.

VER. 12. Quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidì] Sensus est: Qui gratiam hominum querunt carne sibi coniunctorum, & ab iis laudari cupiunt, aut offendere eos nolunt, ii sunt qui

qui vos pertrahere nituntur ad circumcisionem.
loquitur de Iudeis, placere volentibus genti sua,
quam hic vocat carnem, & idcirco laborantibus
ut quam plurimos ad legem Iudaicam adducerent.

Tantum ut crucis Christi persecutionem non pa-
tiantur] Sensus est: Saltem id faciunt ut ne pro-
pter crucem Christi persecutionem a fratribus
suis Iudeis patientur.

Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt] VER. 13.
itaque circumcisionem extorquere a vobis vo-
lunt, non zelo legis commoti; non faciunt hoc
zelo legis & Iudaismi: neque enim ipsi licet cir-
cumcisus legem custodiunt.

Sed volunt vos circumcidiri, ut in carne vestra glo-
rientur] ut scilicet apud Iudeos glorientur de
vestra carnis circumcisione, quod scilicet vos ad
circumcisionem & Iudaismum conuerterint.
ita Theoph.

Miki autem ab sit gloriari, nisi in cruce Domini VER. 14.
nostris Iesu Christi] Sensus est: Illi gloriam quæ-
runt apud homines, ex carne vestra circumcisa:
at verò procul sit a me, ut in aliqua re glorier,
nisi in cruce, id est, in passione & morte, Domi-
ni nostri Iesu Christi, quam in crucis paribulo
sustinuit, & per quam omne bonum salutare
nobis promeruit ac procurauit. Quicquid enim
ad pietatem & salutem pertinet vitæ æternæ, to-
tum id nobis promanat de fontibus Salvatoris
id est, ex merito passionis Christi. Hinc est quod
Leo Pontifex crucem Christi vocat omnium
fontem benedictionum, omniumque causam
gratiarum. In cruce ergo patet magnitudo pec-
cati nostri, & immensus Dei in nos amor. hinc in
ea sola glorior.

Crux
Christi
fons om-
nium be-
nedictio-
num.

Per

Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo] crucifixus, id est, mortuus seu mortificatus. mundi nomine mundanos & carnales homines significat. vnde mundo crucifixus, id est, mortuus sum, hoc est, non teneor, non delector, non tangor mundanis Iudæorum, vti isti iudaizantes tanguntur, nec mundus mihi afficitur, nec ego mundo; sed inuicem alieni & auersi sumus, atque adeò aduersi & contrarij. Mundus me odit & persequitur; ego illi placere nolo.

VER. 15. *In Christo enim Iesu, in Christi fide, religione, Ecclesia, id est, in Christianismo, in Christiana vita, ad christianè scilicet, bene beatèque viendum, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, in negotio salutis obrinenda per Christum, neque circumcisio aliquid prodest, neque præputium, sed noua creatura] id est, anima baptismō & gratia Christi regenerata, & renata, imò recreata, & quasi noua creatura spiritualis effecta, nouam gratiæ vitam sortita, vt deinceps in nouitate vitæ ambulet. vnde Apoc. 9. Christus dicitur Principium creature Dei, & Isaiae 9. Pater futuri seculi. quia à Christo cœpit noua gens, nouus mundus, & vt canit Sibylla; Toto surget gens aurea mundo. Gentem auream vocat gentem Christianorum, aureis virtutibus, gratiis & donis à Christo acceptis, splendentem ac fulgentem instar aurii. igitur noua creatura, quemadmodum optimè Caietanus explicat, est vita spiritualis, à Deo creata per gratiam Iesu Christi, &c.*

VER. 16. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint] id est, quicunque ad hanc incedent regulam, quam scilicet tradidi de iustificatione, libertate, doctrina, vitâque Christiana, vt extra hanc regulam & orbi*

orbitam non exorbitent, & deflestant ad legem
& normam Iudaismi.

Pax super illos & misericordia] pacem illis im-
precor & misericordiam à Deo. q.d. Qui sequun-
tut hanc regulam Christianismi à me perscriptam,
ij pacem habent, id est, tranquillitatem conscienc-
tiæ, item misericordiam, scilicet Dei, vt Deus in
eos misericors sit & beneficis, suāmque gra-
tiam & consolationem misericorditer in eos ef-
fundat.

Trāquil-
litas &
pax ex
Christia-
nismo.

Et super Israël Dei] Hoc addit ne videatur ex-
cludere Iudæos. Verumtamen ne de omnibus
secundum carnem Iudæis intelligatur; dicit, *Is-
raël Dei*, id est, quā parte Dei populus est; non
qua parte Deo contrarius, vt erant Iudæi infide-
les & pseudoapostoli.

Israël dicitur quasi *Israël*, qui dominatur, vel
præualet Deo. cùm enim Iacob timens Esau fra-
trem suum, Angelum se confortantem vidisset,
nolens eum dimittere donec sibi benediceret;
sinens se vinci Angelus & Iacobo benedicens,
&c. Dicit ergo Apostolus, qui hanc Christi regu-
lam sequuntur, ij sunt *Israël* Dei, id est, populus
Dei, dominans vitiis, mundo, Iudæis, & Iudaismo
(quos repræsentabat Esau carnis frater Iacob)
quin etiam ipsimet Deo, vt ab eo impetrant quic-
quid volunt ac petunt ab eo. Ita D. Tho. Haymo,
& alij.

De cetero, nemo mihi molestus sit] Sensus est : VER. 17.
Post hac nemo vestrum turbulentis contentioni-
bus mihi labore, molestiam, tedium adferat, de-
re nunc quantum satis est exposita & inculcata.
Loquitur cum auctoritate, tanquam Galatarum
Apostolus & Gentium magister,

Ego

Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto] Stigmata dicuntur cicatrices, v.g. militum vulneratorum. Paulus ergo stigmata Christi hic vocat plagas & cicatrices ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus propter Christum suscep-tis, corpori suo impressas, de quibus 2.ad Cor.ii. quæ stigmata coram Deo non dedecora sunt, sed summæ laudes. Ego Paulus hæc stigmata, has plagas, quasi trophyæ militiae Christi non tantum habeo, sed porto, inquit, & ostento. ita D. Hieron. Chrysost. Anselm. D. Thomas.

VER. 18. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu ve-stro, fratres. amen] cum spiritu vestro, id est, vobis-cum. Claudit epistolam cum imprecatione gra-tiæ Dei per Christum. Ad Galatas scripta est Româ.*

COM



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD E P H E S I O S.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M .

Agit gratias Deo de æterna prædestinatione, qua proposituit instaurare omnia in Christo, peculiariter autem de Ephesiorum in Christum fide; quem docet esse constitutum caput super omnem Ecclesiam.

P A V L V S *Apostolus Iesu Christi* VERS. 1.
per voluntatem Dei] id est, voluntate & iussu Dei, non meis meritis ad apostolatum Iesu Christi vocatus & assumptus.

Omnibus Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & VERS. 2.

L I D o m s

Dominō Iesu Christo] subaudi multiplicetur.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. spirituali, id est, ad vitam spiritualem pertinenti. Benedictionem spiritualem velut nouo testamento propriam, opponit benedictioni terrena, quam promittebat vetus testamentum. in cælestibus, quinque in hac epistola legitur, in cælestibus, nec usquam alibi. hic sane, quod ait, in cælestibus, connectendum videtur cum eo quod proxime præcedit, & hunc sensum habere: Quia benedictione spirituali prouehimur ad cælestia, ubi caput nostrum Christus ad dexteram Dei constitutus est, &c. in Christo] id est, per Christum nobis a Deo confertur quicquid habemus donorum spiritualium.

VERS. 4.

*Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, id est, secundum quod elegit nos per ipsum Christum, antequam mundus fieret, hoc est, ab æterno. q. d. Effectus electioni respondet; præstat nobis Deus in tempore beneficia per Christum, quæ per eum se nobis daturum ab æterno decreuit. Ante mundi constitutionem, id est, ut Hieron. ante iacta mundi fundamenta. Sciendum autem hac phrasí significari æternitatem, eò quod ante mundum conditum nihil fuerit nisi quod æternum est. iam ex eo quod ait, *elegit nos in ipso*, bene probatur ipsam electionem seu prædestinationem nostram ac totius Ecclesiæ esse per Christi meritum. *ut essemus sancti.* q. d. Elegit nos, ut essemus sancti, id est, puri, casti, immaculati. Docet Apostolus Deum nos elegisse non ex præuisa sanctitate usque gratiæ, sed *ut essemus sancti.* ut gratia bene viceremur, & sanctificaremur. Vnde ait*

nos

nos prædestinatos secundum beneplacitum non nostrum, sed Dei, nōsque à Deo, non ex præscientia futuræ bonitatis, sed forte vocatos esse. Loquitur ergo de prima gratia, eāmque docet purè & gratis dari à Deo, *& immaculati in conspectu eius*, id est, inculpati, irreprehensibiles; q. d. Ut essemus omnino sancti & puri. ita sanctè, integrè, ac perfectè omnia nostra opera facere debemus, quasi memores in conspectu Dei nos ea facere, ut Deus eorum inspector nihil in eis inueniat quod iudicet & damnet, *in charitate*] q. d. Elegit nos Deus ut in sanctitate sine macula & culpa ferniamus illi, non ex timore pœnæ, sed ex charitate & liberali amore, ut amor Dei sanctam faciat nostram conuersationem.

Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum] id est, in gloriam Christi. q. d. Christi gloria finis est nostræ prædestinationis.

VERS. 5

Secundum propositum voluntatis suæ] hoc est, beneplacitum & consilium Dei, liberale scilicet Dei decretum. Dicit ergo Apostolus, Deum nos prædestinasse sibi in filios adoptuos, non ullis meritis nostris prouocatum, sed ex mero beneplacito suæ voluntatis. nam, vt annotat Thomas, causa prædestinationis nostræ est purus amor & voluntas Dei, &c.

Prædesti-
nationis
nostræ
causa.

In laudem gloriae gratiae suæ] q. d. Qui prædestinavit nos ad tantam dignitatem, idque eo fine ut ipse laudetur & glorificetur in tanto beneficio gratis nobis collato; laudetur, inquam, & glorificetur, non tantum à nobis tam ingentij beneficio affectis, verùm etiam ab Angelis canentibus gloriam in excelsis Deo.

In qua gratia, gratificauit nos in dilectō filio suo]
 Sensus: Per quod gratiæ beneficium nos sibi vehementer charos & acceptos reddidit, propter meritum eius, quem ut filium suum naturalem singulariter dilexit.

VERS. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius]*
 id est, per quem dilectum redempti sumus è captiuitate peccati, mortis ac diaboli, dato pro nobis in cruce pretio sanguinis ipsius. Pretium nostrum Apostolus declarat esse sanguinem dilecti, id est, Filij Dei.

Remissionem peccatorum, q. d. Habemus redemp-
tionem quæ est remissio peccatorum, secundum
dinitias gratiæ eius] hæc fecit nobis Deus iuxta diuitias gratiæ suæ, id est, pro copiosa & profusa erga nos beneficentia sua.

VERS. 8. *Qua (scilicet gratia) superabundauit in nobis*
(abundè in nos à Deo effusa est) in, id est cum,
omni sapientia & prudentia] Sapientiam intelligit Christianam, quæ summa est, fidem scilicet Dei trini & vniuersitatis, aliorumque diuinorum mysteriorum, quibus iustificari & saluari debemus: maximè autem intelligit fidem Christi Redemptoris. Nota, gratiæ copiam significat per dinitias, & per abundè effudit.

VERS. 9. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue.*
 Deus summa sapientia & prudentia sua notum fecit nobis arcanum suæ voluntatis, id est, clucet in huius mysterij reuelatione admirabilis Dei sapientia & prudentia. secundum beneplacitum eius, quod (scilicet sacramentum) proposuit, statuit, decreuit exequi, supple & implere, in eo, dilecto scilicet filio suo, in dispensatione plenitudinis temporum] q. d. Cùm dispensata, id est, erogata, expensa, euoluta

euoluta esset plenitudo temporum, id est, plenum esset omne illud tempus, quod ex Dei ordinatione præcurrere debebat Christum: sic Christum dixit missum in plenitudine temporis, id est, impleto tempore, quod Pater ab æterno incarnationi eius præfinierat.

Instaurare omnia in Christo, que in celis & que in terra sunt, in ipso] q. d. Proposuit Deus omnes homines & Angelos, cùm inter se admodum essent disiuncti, immò inimici, vniuersi, & ad unum caput Christum reuocare & coniungere. Ergo iam non estis hospites & aduenie, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei. q.d. Christus nos reuocauit ad societatem Angelorum, ut eorum simus fratres, & ciues cœlestes in eadem Dei domo, id est Ecclesia, sub eodem duce & capite, qui est ipsemet Christus.

In quo, id est, per quem, etiam nos sorte vocati sumus. per quem Christum nos iidem sortem adepti sumus, id est, per quem sors nobis obuenit; intellige vocationis, adoptionis filiorum, hereditatis, aut quid simile. Conuenit autem maximè ut hereditatis sors intelligatur, &c. sic ad Colos. i. dicit nos vocatos in partem sortis Sanctorum, id est, ad partem hereditariam, siue ad hereditatem Sanctorum. prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue] ex quo consequens est, non ex meritis, sed mera Dei voluntate nos prædestinari.

Vt simus in laudem gloria eius nos, qui ante speravimus in Christo] Significatur electionis seu prædestinationis causa finalis, scilicet laus & gloria Dei. Sensus est: Ad tanta bona prædestinati sumus

VER. 12.
Præde-
sti-
nationis
causa fi-
nali.

L 3 à Deo,

à Deo, vt ipse in nobis laudetur & glorificetur, tanquam in opere suo, in quo insigniter reuceat eius bonitas & sapientia. nos qui amè, &c. nos Iudæi, quibus antea promissus à Prophetis, & iam ante alias Gentes exhibitus & euangelizatus est Christus, & apud quos cœpit Ecclesia, & per quos propagatur, primi sumus, per quos laudatur & celebratur gloria Dei, gloria Euangeli Christi. ita Ambros. Anselm. & Tertull.

VERS. 13 *In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestra]* in quo Christo vos etiam sperastis, non quidem olim, vt nos (eratis enim sine lege & prophetia) sed nuper sperare cœpistis, cùm ex nobis Christi ministris audissetis verbum veritatis, quod idem est Euangelium salutis vestra.

In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto] Sensus est: Item per quem, scilicet Christum, postquam Euangilio credidistis, obsignati estis Spiritu sancto, velut promissionis sigillo; id est, Spiritum sanctum accepistis, quæ certa nota est, certumque testimonium vos esse filios Dei, ad quos promissa spectet hereditas.

VERS. 14 *Qui est pignus hereditatis nostræ]* hic Spiritus & sigillum est, & etiam pignus hereditatis cælestis. pro pignus Græcè est artha, quæ datur quasi pars anticipata futuræ plenæ solutionis: hic autem Spiritus datur quasi pars & prægustus futuræ nostræ hereditatis & felicitatis.

In redemptionem acquisitionis] q. d. Spiritus sanctus est pignus hereditatis, in, id est, ad redemtionem perfectam alsequendam, sic vt nihil remaneat seruitutis, nec peccati, nec miseriæ, morte ipsa penitus absunta.

In Epist. ad Ephes. Cap. I.

§ 2 §

In laudem gloriae ipsius] h̄ic apparet ad Christum redemptorem referri oportere, &c.

*Propterea & ego audiens fidem vestram, quae est in VERS. 15
Domino Iesu, & dilectionem, quam scilicet ostendit,
tis, in omnes sanctos] id est, Christianos.*

*Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam ve- VERS. 16
stri faciens in orationibus meis] quibus peto ut
Deus, &c.*

*Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriae] VERS. 17.
vt Deus Christi hominis, qui idem est pater glo-
riae, id est auctor totius glorificationis. vt Deus
qui est Domini nostri Iesu Christi pater glorio-
sus, idēmque gloriam suam Filio communicans;
secundū illud Philip. 2. Quia Christus in gloria
est Dei Patris.*

*Det vobis spiritum sapientiae & reuelationis in
agnitione eius] vel sui potius, vt ad Patrem refera-
tur. Est enim sensus: Vt Deus, nostrorum charis-
matum etiam vos Ephesios participes faciat, lar-
giens & adaugens vobis sapientiam, qua ipsum,
eiisque mysteria, quae ratione humana percipi
nequeunt, sed sola discuntur reuelatione diuina,
cognoscatis, hanc sapientiam vocat spiritum sa-
pientiae & reuelationis, quia Spiritus sancti do-
num est.*

*Illuminatos (inquam vobis det, ait Ambro- VERS. 18
sius) oculos cordis vestri] det, inquam, vobis ha-
bere oculos intellectus vestri illuminatos, ad
hoc*

*Vt sciatis quae sit spes vocationis eius] id est, vt ma-
gis etiam ac magis cognoscatis quae & quanta sint
bona ad quae ipse vos vocat, & quae vos iubet spe-
rare. Spes enim pro re speranda more Hebreo
posita est.*

Et quæ Divinitæ gloria hereditatis eius in Sanctis] id est, & quam opulenta, splendida, magnifica sit gloria cælestis, quæ est hereditas Sanctis, hoc est, fidelibus in Christo sanctificatis, tanquam filiis adoptionis ab ipso promissa.

VERS. 19 *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus] Sensus est: Item ut cognoscatis excellentem magnitudinem potentiae Dei, quam ostendet erga nos qui credimus Euangelio, scilicet resuscitando nos ad vitam & gloriam, sicut Christum resuscitauit. Hoc enim est quod iam sequitur.*

VER. 20. *Secundum operationem potentia virtutis eius, quam operatus est in Christo] Græca significant efficacem Dei operationem, & sensus est: Quam virtutem erga nos declarabit efficaci operatione potentissimæ virtutis seu fortitudinis suæ; quam & in Christo efficaciter exercuit. q. d. Non minùs erit potens Deus in resuscitandis & glorificandis nobis, atque fuit in Christo.*

Suscitans illum à mortuis] id est, cum suscitauit eum à morte ad vitam immortalem.

Et constitutus ad dexteram suam in cœlestibus] id est collocauit, sedere eum fecit in dextera, id est ad dexteram suam.

VERS. 21 *Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem] Principatus, id est principes; potestates, id est potestate prædicti; virtutes, id est dominantes; sunt enim nomina Angelorum.*

Et omne nomen, id est, omne quod nominatur & celebratur, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro] Hinc discimus, nomina quædam, gradus & distinctiones Angelorum & spiri-

Spirituū cælestiū nobis hīc esse incognita,
quæ in cælo reuelabuntur, ait Theophylactus.

Et omnia subiecit sub pedibus eius.] Hinc patet VER. 22.
Angelos subiectos esse Christo homini, & Chri-
stum, vt homo est, regem esse ac dominum cæli
& terræ, hominum & Angelorum. Ita Chrysoſt.
& Theoph.

Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, An-
gelorum scilicet, & hominum, militantem &
triumphantem. ita S. August. & alij. Christum
dedit caput Ecclesiæ, qui est super omnia visibi-
lia & inuisibilia præsidens & dominans. Hinc ex-
clamat Chrysoſt. Papæ ? quod rursus & ipsam Ec-
clesiam euexit ? quasi quadam machina trahens
in magnam ipsam sublimitatem sustulit, inque
ipsum cælestem thronum sedere fecit: nam vbi est
caput, ibi est & corpus, supra omnia visibilia &
inuisibilia, &c. *Dedit, inquit, ipsum caput supra om-*
nem Ecclesiam. Caput enim in sua membra influit. VER. 23.

vnde subdit: *qua, scilicet Ecclesia, est corpus*

ipsius, & plenitudo eius, qui om-
nia in omnibus (membris suis,
ergo & in Angelis)

adimpletur,] &
adimplet.

**

CAP V T II.

S V M M A R I V M.

Docet nos naturā irae filios gratiā Christi per fidem saluari: & Gentes, quae erant sine spe salutis, factas esse participes promissionum Dei, per Christum, qui ex ambobus populis fecit unum, in quo, tanquam angulari lapide, superaedificantur.

VER. 1. *E*T vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris] supple, conuiuificauit Christo, conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus: cùm dixisset quid in Christo Deus operatus sit, hîc iam, continuato sermone, declarat quid in nobis qui membra Christi sumus, per gratiā suam operetur, cùm essetis mortui, priuati vita gratiæ per delicta & peccata vestra. Peccatum cùm à delicto discriminē. distinguitur, est id, quod scienter contra legem committitur; delictum, quod ignoranter, vel per obliuionem, præsertim iuris & præcepti. ita ex Procopio & S. Hieron.

VER. 2. *In quibus aliquando ambulastis, conuersati estis. ambulatio enim significat peccati iterationem & consuetudinem. secundum sacerdolum mundi huius]* id est, secundūm consuetudinem sacerdotalium, qui sacerdotaliter & mundanè viuunt in hoc mundo. mundi huius scilicet, qui totus in maligno positus est, Ioan. 5. sequitur enim de maligno.

Secundum principem potestatis aëris huius] id est, secun-

secundum instinctum, suggestionem, voluntatem
diaboli, qui est princeps potestatum aëris huius
caliginosi, nobis proximi.

Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentia] Filiij dif-
Græcè, in filios incredulitatis, noster vertit diffi- fidentia
dentie, quia tales Deo non fidunt, id est, non cre- quinam
dunt, non obediunt: qui enim credit dicenti, sint.
facilè illi obedit, illique fudit, & ab eo se regi
patitur.

In quibus, inter quos, & nos omnes aliquando VERS. 3
conuersati sumus in desideriis carnis nostræ] nos om-
nes tam Iudæi quam Græci priusquam venire-
mus ad Christum, in delictis & peccatis vitam
egimus, sequentes desideria carnis, id est, prauæ
concupiscentiæ nostræ. sic Rom. 3. concludit
Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, iuxta
quod scriptum est: Omnes declinauerunt: & Tit.
3. Eramus, inquit, aliquando & nos, &c.

Facientes voluntatem carnis & cogitationum.]
Voluntas hic appetitum significat, non ratio-
nalem tantum, sed & sensualem, animalem, car-
nalem & brutalem; caro enim, id est, concupiscentia
tam in rationali, quam in animali appetitu
residet.

Et eramus natura filii ire, sicut & ceteri] id est,
ex naturæ nostræ corruptione, & propensione
ita carni & concupiscentiis eramus dediti, vt na-
tura, id est, omnino essemus peccatores & filii
ire. ita Hier. filii ire, id est, digni & obnoxij iræ
ac vindictæ Dei. sic enim dicitur filius mortis, id
est, dignus morte; mors enim quasi mater, pec-
catorem talem qui dignus est morte, singitur ge-
nuisse ad mortem, vt seipsum illi cōmunicet, illi-
que mortem inferat, vt mors peccatoris à morte,
quasi

Mors est
peccato-
rus mater

quasi à matre prognata , mórsque illum quasi filium suum quem gignat & ducat ad mortem, amplecti videatur. Porrò quoniam iusta est ira Dei ; manifestè iam consequens est ex hoc loco, omnes homines in peccato nasci, non enim itascitur Deus nisi peccato.

VER. 4. *Deus autem, qui diues est in misericordia.* Deum Apostolus diuitem in misericordia vocat , quia thesaurus bonitatis ac misericordiæ eius inexhaustus est , etiam quo ad effectum : numquam enim obliuiscitur misereri. *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos]* id est , immensam & nimiam. *nimia* dicitur respectu hominum tam misericorum & indignorum , non respectu Dei; Deum enim , qui est ipsa bonitas increate , decet hæc immensa sui communicatio , & nimia charitas in homines.

VERS. 5. *Et cum essemus mortui peccatis , conuiuificauit nos in Christo , id est , nos ad similitudinem Christi communi cum eo vita spirituali donauit, in Christo , id est , cum Christo , vel instar Christi. cuius gratia estis saluati.*

VER. 6. *Et conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.]* Dicitur Christus nos cœlis inuenisse, ibique collocasse & sedere fecisse per spem, affectum , tendentiam , & vitam cœlestem , per quam re ipsa post mortem nos cœlis inuehet , & sibi consedere faciet; hoc enim præteritum *consedere fecit* partim præteritum , partim futurum significat, fecit scilicet, id est , & fecit & faciet. Quid ergo hic quasi talpæ terræ terrenis inhiamus, cum domus & sedes nobis parata sit in cœlo , ibique iam Christo quasi assideamus? *in Christo , cum Christo.*

Vt ostenderet in seculis superuenientibus , in sequentibus temporibus , abundantes dinitias gratiae sua] id est , excellentem & exuberantem beneficentiam suam ; vtque ea manifestata ipse glorificetur . hic enim est finis omnium operum Dei .

In bonitate , Græcè , in benignitate (supple quam ostendit) super nos , id est , erga nos , in Christo Iesu] hoc est , per Christum Iesum .

Gratia enim estis saluati , id est , gratis iustificati estis , per fidem , iustitia enim est talus inchoata ; sicut salus plena & perfecta , est iustitia consummata . & hoc non ex vobis .] q. d. Quod per fidem saluati sitis , hoc non ex vobis est , quia fides non est ex vobis , sed Dei donum est .

Dei enim donum est .

Non ex operibus . q.d. Per fidem iustificati estis , non per opera . ut ne quis glorietur] se suis operibus adeptum esse , & meruisse iustitiam & salutem . Hinc patet Apostolum hic excludere non opera fidei , & quæ ex fide profluunt , vti sunt actus spei , pœnitentiæ , charitatis , &c. sed quæ sunt sine fide , & fidei opponuntur , sicut natura opponitur gratiæ ; id est , excludere opera facta propriis naturæ viribus , in quibus gloriabantur Philosophi & Gentiles , quasi suo marte factis & gestis .

Ipsius enim sumus factura .] q.d. Per Christum Redemptorem rursum quasi creati sumus , quia in baptismo spiritu Christi regenerati , & velut recreati , factique sumus fratres Christi , noua creatura , filii Dei , & ciues sanctorum .

Creati in Christo Iesu in operibus bonis , in id est , ad opera bona facienda , quæ preparauit Deus ut in illis ambulemus .] Si enim Deus opera bona

pæ

præparat, si in iis ambulamus : ergo Deus ea non
creat in nobis, sed tantum ad ea nos destinat &
dirigit, ut in iis liberè nos exerceamus, hoc enim
significat vox ambulemus. ita Chrysost.

VER. 11. Propter quod memores esote, quod aliquando vos
eratis Gentes in carne] id est, secundum carnalem
generationem Gentiles, utpote ex Gentilibus
progeniti. q. d. Quia tantam per Christum re-
demptionem & gratiam Deus nobis fecit & exhibi-
tuit. Hinc hortor vos, o Ephesij, ut tota vita sitis
illius memores, præsertim quod è gentilismo,
idolatria, omnibusque sceleribus ad hanc Chri-
stianismi gratiam vos euocarit, ut illi quas poten-
tis gratias & laudes referatis.

Qui dicebamini præputium, id est præputiati,
ab ea que dicitur circumcisio in carne, manufacta] id
est, à Iudæis, qui vocantur circumcisi ob carnem
præputij circumcisam.

VER. 12. Quia eratis illo in tempore sine Christo] hoc est,
sine Christi cognitione, lege, gratia, religione, vi-
ta, id est, sine Christianismo.

Alienati à conuersatione Israël] hoc est, à ratio-
ne & norma viuendi Israëlitarum, patrum & Pa-
triarcharum, qui unum Deum sanctè colebant, &
secundum eius legem sanctè viuebant, cum vos
coleretis idola, essetisque sine lege, & concupis-
centiae ductum ac impulsu sequeremini.

Et hospites testamentorum] id est peregrini, si-
ue extranei, & alieni à testamentis, id est à pactis,
quæ Deus cum Iudæis iniuit.

Spes promissionis apud Apostolum, est spes resurrectionis.

Promissionis spem non habentes] promissionem
intelligit resurrectionis & vitæ beatæ ac æternæ,
vti se explicat coram Agrippa rege Paulus, Act.
26. Et nunc, inquit, in spe, quæ ad patres nostros
repro

repromissionis facta est à Deo , sto iudicio subiectus, in qua duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes sperant deuenire ; de qua spe accusor à Iudæis, Rex. quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? vnde hanc spem vocat spem Israëlis , Act. 28. Propter spem inquit, Israël, hac catena circumdatus sum. q. d. Paulus: Vos, ô Gentes , beatitudinis Iudæis promissæ spem nullam habebatis in Gentilismo.

Et sine Deo vero in hoc mundo] colebatis enim idola & deos falsos : multi etiam erant inter vos atheï, qui diuinitatem è mundo tollebant.

Nunc autem in Christo Iesu , per Christum Iesum , vos qui aliquando eratis longe , à Deo , à spe promissæ beatitudinis , à testamentis & pactis , à republica & conuersatione Israël à Christo denique & salute, facti estis prope , id est , propinqui Christo, Israëlitis, beatitudini & Deo, in sanguine Christi] id est , per sanguinem , puta per merita passionis & mortis Christi.

Ipse enim est pax nostra] id est , pacificator, pax, id est , pacem faciens , pacificans per sanguinem crucis eius , siue quæ in terris , siue quæ in cælis sunt.

Qui fecit utraque unum] id est , utrumque populum Iudaicum & Gentilem conciliauit & unit in sua Ecclesia. ita Hieronymus.

Et medium parietem maceria soluens , inimicitias in carne sua] q.d. Medius paries diuellens Iudæos à Gentilibus , erant inimicitiae mutuæ , mutuus contemptus & odium. Hæc odia, has inimicitias dissoluit & aboleuit Christus in carne sua, moriens pro utrisque , & utrisque afflans communem charitatis legem & spiritum, tollensque occasionem inimi-

VERS 13.

VER. 14.

inimicitarum, legem scilicet mandatorum.

VER. 15. *Legem mandatorum decretis euacuans] id est, euacuavit & aboleuit decretis, hoc est, per alia decreta: quia illa Euangelicis decretis & dogmatibus commutauit. q.d. Apostolus: Christus aboleuit legem Moysis per fidem, quia iustitiam annexuit fidei, non legi.*

Vt duos condat in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem] ut scilicet duos populos, Iudaicum scilicet & Gentilem, quasi duos homines, sibi & corpori suo, id est, Ecclesiae suæ, cuius ipse caput est, inserat & incorporet, faciatque utrumque hunc hominem, id est populum, velut nouum quendam hominem in nouitate vitæ ambulantem.

VER. 16. *Vt reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso] per crucem, hoc est, per passionem suam quam in cruce pertulit, Christus nos Deo reconcilians; vtique per eandem crucem interemit inimicitiam qua separati eramus à Deo.*

VER. 17. *Et veniens euangelizauit pacem vobis (Gentibus) qui longe fuistis (à Deo, Christo & salute) & pacem iis qui prope] id est, Iudeis Deo propinquis per eius notitiam & legem ab eo acceptam, qua in Dei cultu continebantur. Pacem intellige reconciliationem cum Deo, & consensum mutuum inter ipsos, scilicet Iudeos, & Gentiles.*

VER. 18. *Quoniam per ipsum, scilicet Christum, tanquam mediatorem & pacificatorem nostrum, habemus accessum, aditum, introductionem, ambo, scilicet vos qui longè fuistis, & nos qui propè, in uno Spiritu sancto, id est, per eundem Spiritum ductorem & impulsorem, ad Deum Patrem] ut recepti ab eo*

ab eo in gratiam, & pro filiis agniti, clamemus
orantes, Abba, pater, &c:

Ergo iam non estis (vt eratis in Gentilismo) ho- VERS. 19
spites & aduenæ] peregrini & accolæ, vel aduenæ,
qui scilicet aliunde venientes commigrarunt in
alienam ciuitatem vel prouinciam.

Sed estis ciues, Græcè conciues, sanctorum, id est,
in eandem cum illis ciuitatem ascripti. & dome-
stici Dei] id est, vñā cum illis pertinentes ad do-
mum, cuius paterfamilias est Deus. ita Ambros. &
Anselm.

Super ædificati super fundamentum Apostolorum VERS. 20
& Prophetarum] id est, super Apostolos & Pro-
phetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ. Apo-
lorum enim & Prophetarum fidei, dōctrinæ, pre-
dicationi, institutioni quasi fundamento Ecclesia
incubit. Augustinus. Christum esse funda-
mentum fundamentorum, siue primum, cui ipsi
Apostoli & tota Ecclesia incumbit: Apostolos ve-
rò post Christum esse secundarium fundamen-
tum. Matth. 16. dicit Christus Petro: Tu es Pe-
trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam
meam. Si Petrus est petra hæc, ergo est funda-
mentum Ecclesiæ; petra enim supra quam ædifi-
catur Ecclesia, alia esse non potest, quam petra
fundamentalis Ecclesiæ.

Ipsò summo angulari lapide (scilicet existente)
Christo Iesu] q. d. Christus quasi lapis angularis
validissimus continet fundamentum & struc-
tam totam Ecclesiæ; eiisque vtrumque parietem,
Iudæos scilicet & Gentes, ipse quasi medius in se
quasi angulo in pacis osculo neget & vnit. ita
Hier. August. Beda.

In quo (per quem, scilicet Christum qui præces- VERS. 21.
M m sit)

sit) omnis (tota) ædificatio (ædificium, fabrica) con-
structa, id est compaginata, compacta, coagmenta-
ta, crescit in templum sanctum, in Ecclesiam, quæ est
domus sancta & templum Dei, in Domino] per
Dominum, vel potius in Domino, id est Domini, ut
sitis templum sanctum Domini.

V E R S . 21. *In quo (per quem, scilicet Christum iam dictum)
vel in quo, scilicet templo, & vos coadificamini in
habitaculum Dei (in templum Ecclesiae iam di-
ctum, in quo, quasi in domo sua habitat Deus) in
Spiritu] per Spiritum sanctum.*

C A P V T III.

S V M M A R I V M.

*Mysterium vocationis Gentium profitetur sibi
diuinitus reuelatum, eiisque prædicationem
sibi concreditam: & propter eam se in vin-
culis teneri. Rogat Deum ut Ephesios corro-
boret in fide, charitate, & rerum diuinarum
scientia.*

V E R S . 1.
*Vincula
Pauli sūt
insignia
gloria.*

Huius rei gratia, ego Paulus vinculus Christi Ie-
su. Gloriatur enim Paulus de vinculis suis
pro Christo susceptis, quasi de insignibus sui apo-
stolatus & martyrij, sicut rex gloriatur suo tor-
que aut diademate. Vinctum esse propter Christum,
inquit Chrysost. illustrius est, quam siue
Apostolum, siue doctorem, siue Euangelistam
esse pro vobis Gentibus.

V E R S . 2.

*Si tamen audistis. q.d. Pro vobis Gentibus vin-
ctus sum, siquidem pro vobis euangelizo, propter
Euange*

Euangelium autem vinc̄tus sum , vti omnibus,
maximē vobis,notum & clarum est, siquidem au-
diſtis dispensationem (administrationem) gratia Dei,
qua, scilicet dispensatio, data est mihi in vobis] in-
ter Gentes.

Quoniam. q.d. audistis, quoniam , id est quod, secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum] mysterium, scilicet Christi, puta arcanum illud & magnum pietatis sacramentum , quod passim prædico & admiror, de Christi incarnatione, redemptione, predestinatione, saluatione, & ad eam vocatione , non tantum Iudeorum , sed & Gentium: hanc enim Gentium vocationem potissimum hic & alibi admiratur & celebrat Paulus.

Sicut supra scripsi , de hoc sacramento & mysterio , in breui] in modico, id est, paucis & breuiter.

*Prout potestis legentes (cap. 1. &c 2.) intelligere prud-
dentiam , id est , intelligentiam , meam in mysterio
Christi] Nulla enim, inquit Hieron. epistolarum
Pauli tanta habet mysteria , tāmque reconditis
sensibus inuoluta est, atque hæc.*

*Quod aliis generationibus, id est aliis sæculis, non VERS. 5.
est agnatum filiis hominum, id est hominibus , sicuti
nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophe-
tis, noui scilicet testamenti, in spiritu id est, per Spi-
ritum sanctum.*

*Gentes esse coheredes, id est, vna cum Iudeis eius. VERS. 6.
dei hereditatis cælestis consortes , tanquam Dei
filios. & concorlates , id est , eiusdem corporis
membra sub uno capite Christo. & compari-
cipes promissionis , hoc est , promissæ benedictionis
eius , scilicet Dei , vel Spiritus sancti ; idque in
Christo Iesu, id est per Christum Iesum, qui hanc*

Dei promissionem promulgavit , per suum Euangelium.

VERS. 7. *Cuius, scilicet Euangeli Christi, factus sum minister secundum donum gratia Dei, id est, per donum gratiae Dei, qua data est mihi secundum operationem, id est efficacia, & efficacia operatione virtutis (potentiae) eius] q.d. Apostolatum non inanem, otiosum & vacuum accepi, sed talem qui potenter & efficaciter operetur conuerzionem Gentium etiam barbararum.*

VERS. 8. *Mibi omnium, non tantum Apostolorum, sed & Sanctorum, id est Christianorum, minimo, græcè infimiori. q.d. Inferior & infimior sum infimo, minor sum minimo, data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles, siue incomprehensibiles diuitias Christi] significat immensitatem beneficiorum Christi, id est, eorum quæ per Christi meritum abundantissimè, velut ex infinito thesauro, nobis à Deo conferuntur.*

VERS. 9. *Et illuminare omnes] significat alios docere, aliis lucem veritatis & fidei impertiri. sicut enim sol sua luce tenebrosa loca illuminat : ita doctores clara sua doctrina illuminant tenebrosas & ignorantibus hominum mentes.*

Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit] id est, quod, quale, & quantum sit sacramentum, siue mysterium hoc, quod haec tenus per tot secula, imò ab æterno absconditum fuit in Deo, in Dei scilicet mente, consilio & prædestinatione ; iam vero dispensatum, id est erogatum, distributum est, omnibusque propositum & oblatum.

VERS. 10. *Vi innotescat principatibus & potestatibus, illis scilicet ordinibus Angelorum qui dicuntur principatus,*

cipatus, id est principes; & potestates, hoc est potentes. Sub his cæteros Angelorum ordines intellige. ita Hieron. Chrysost. Theoph. in celestibus, scilicet locis commorantes, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei] per Ecclesiam, id est, per ea quæ gesta sunt à Christo & Apostolis in Ecclesia, pérque gratias & dona Ecclesiæ ab iis communicata multa mysteria Christi & Christianorum Angelis innotuerunt, quæ priùs ignorabant. Fiat, inquam, nota per Ecclesiam; dum in ea quotidie complentur tot & tanta, tamque multiplicia diuinæ sapientiæ opera, priùs in Dei mente recon-dita.

*Angeli
quate-
nus co-
gnoue-
rint my-
steria cir-
ca Eccle-
siam.*

VERS. II

Secundum præfinitionem sæculorum] id est, secun-dum propositum sæculorum, id est, à sæculis vel ante sæcula factum. q.d. Secundum decretum æternum, quo proposuerat, decreuerat, præfinierat Deus hoc facere & exequi.

Quam fecit in Christo Iesu Domino nostro] Dicitur autem hæc sæcula præfinuisse in Christo, quia sicut tota salus nostra per Christum est, ita & tota salutis dispositio, quantum ad loca, tem-pora, modum, ordinem, &c.

VERS. II.

In quo, per quem, scilicet Christum, habemus fiduciam] qua animus per Christum à peccatis ex-piatus & innocenter iam viuens, bene sibi con-scious, confidit se esse in gratia & amicitia Dei. Hu-ius fiduciaæ effectum subdit.

Et accessum in confidentia] ut scilicet confiden-ter quasi amici, imò quasi filij, accedamus ad Deum Patrem, dicamusque, Abba pater.

Per fidem eius] q. d. Fiduciam & fiducialem ac-cessum habemus ad Patrem per fidem Christi. Fi-des enim parit hanc fiduciam & confidentiam.

VERS. 13

Propter quod peto, posco, exigo à vobis, ne deficiatis in tribulationibus meis, ne vos scilicet, ô Ephesij, deficiatis & cadatis animo videntes me tribulari & vinciri, pro vobis, quia scilicet vobis aliisque Christum & salutem euangelizo. que est gloria vestra] id est, quæ tribulationes cedunt in gloriam vestram, &c.

VERS. 14

Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi] Huius, inquam, rei gratia, quia scilicet etsi ciues sanctorum, & domestici Dei, &c. ego Paulus vincitus Iesu Christi pro vobis Gentibus, flecto genua mea ad Patrem, id est, humiliter oro Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi.

VERS. 15

Ex quo omnis paternitas in celis & in terra nominatur] id est, existit, suum habet esse, & suam originem, deriuatur & descendit. vt sensus sit: Ex quo Patre omnis familia sive Angelorum in celis, sive hominum in terra, quantumcunque ea magna sit ac celebris, existit, & originem accipit; ad quem, vt patrem & caput, omnes familiae, etiam nominatissimæ reuocandæ sunt.

VERS. 16

Vt det vobis secundum diuinias gloriae sua] id est, secundum immensam largitatem ac bonitatem suam in qua glorificatur.

*Homo in
terior
quis-*

Virtute corroborari per spiritum eius in interiore hominem] Sensus est: Oro det vobis vt virtute seu fortitudine ab eo accepta corroboremini aduersus omnes tentationes, per spiritum ipsius, ad perfectum interioris hominis, scilicet, eius, qui dum exterior homo corrumpitur, renouandus est de die in diem, 2. Cor. 4. Est enim interior homo mens, hominis, vel ipse homo, secundum mentem, & eas potentias quæ sunt animæ rationali propriae.

Chri

Christum habitare, det vobis Deus Pater, vt Christus habitet per fidem in cordibus vestris] id est, vt Christus internum hominem vestrum inhabitet, & in eo maneat. VERS. 17.

In charitate radicati & fundati] det etiam vobis vt in charitate sitis bene firmati, vt charitas vestra firma sit & constans.

Vt possitis comprehendere, id est, animo concipere & intelligere, cum omnibus sanctis, id est Apostolis, Prophetis, & Christianis, tum militantibus hincad-huc, tum potius in caelo triumphantibus, Deinde visione beatissimae sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum] vt possitis comprehendere quae sit & quanta eius mysterium quod vobis praedicauimus, magnitudo, dignitas, maiestas. VERS. 18

Scire etiam supereminemscientiam charitatem Christi] & vt possitis scire, id est, animo complecti, ac pro dignitate estimare charitatem Christi, quoniam dilexit; eamque supereminemscientiam charitatem, id est, excedentem notitiam nostram, ac maiorem quam ut penitus a nobis intelligi possit. q.d. Charitas Christi tanta est, ut supererit omnem humana cognitionem & scientiam. ita Theophilus. VERS. 19

Charitas
Dei in-
comprehen-
sibilis.

Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei] vt omnium donorum Dei perfectione repleamini, vt omnibus Dei donis abundetis. quasi dic. Ut sitis pleni omni sapientia, virtute & perfectione, maximè charitate qua plenus est Deus: seu ut Dei cognitione, amore, omniumque bonorum diuinorum plenitudine impleamini.

Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus] Sensus est:

Ei qui potens est , superabundanter & cumulatè facere vltra omnia quæ petimus, aut mente concipiimus.

Secundum virtutem quæ operatur in nobis] Refertur autem hæc pars ad verbum facere , & significatur virtus seu potentia , quæ in nobis est effectus potentiaz diuinæ , & per quam ipsi etiam agimus.

VERS. 21 *Ipsi gloria in Ecclesia & in Christo Iesu , in omnes generationes sæculi sæculorum. amen]* Explet sententiam, *ei qui potens est , &c. Ipsi , inquam , sit gloria in Ecclesia , id est , ipsum glorificet vniuersa Ecclesia tantis beneficiis ab eo affecta ; idque per Christum Iesum ; & in omnes ætates omnium sæculorum usque in æternum.*

CAPUT IV.

SUMMARIUM.

Hortatur Epheſios ad unitatem spiritus in vinculo pacis. Ostendit varia esse dona Spiritus sancti collata ad ædificationem Ecclesie. Monet ut relictis gentilitatis vitijs , induant nouum hominem , & deponant mendacium , iram , furtum , aliisque peccata .

VERS. 1.

Obsecro itaque vos ego vincitus in Domino , propter Dominum , & Domini Euangeliū , ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis] q. d. Cū tanta sit excellentia vocationis vestræ , ideo cum obsecratione vos exhortor , ut mores & studia

studia vocationi vestræ conformetis ; id est , vt
sancta sit & impolluta conuersatio vestra.

Cum omni humilitate & mansuetudine.] Humi-
litatis filia est mansuetudo ; qui enim humiliis est
& mitis, mansuetè cum omnibus agit ac loquitur.

Cum patientia supportantes inuicem in charitate]
id est, cum lenitate animi, si quid in aliorum mor-
ribus asperum aut vitiosum est tolerantes per
charitatem.

Solliciti seruare unitatem spiritus in vinculo pacis]
studiosè ac sollicitè operam dantes , vt seruetis
vnitatem spiritus , id est , animorum inter vos
coniunctionem,in vinculo seu colligatione pacis,
id est, pace velut vinculo quodam animos vestros
in vnum colligante.

Vnum corpus & unus spiritus] supple sitis , vt VERS. 4.
videamini omnes esse vnum homo , constans eo-
dem corpore, eadem anima, eodem spiritu.

*Sicut vocati estis in una spē, id est, ad unam ean-
démque spēm salutis, immortalitatis, gloriæ cæ-
lestis, vocationis vestre.]* Spes , pro re promissa ac
sperata consueto more Scripturæ ponitur.

Vnus Dominus , Christum hominem intelligit; VERS. 5.
qui vnum ac solus iure redemptionis Dominus
noster est. *vna fides]* scilicet obiecti ratione, qua-
tenus vnum & idem omnes credunt. quod si vna
est omnium fides, debet & vnum esse spiritus.

Vnum baptisma] quo renati & Christiani ef-
fecti sunt.

Unus Deus & Pater omnium, scilicet vestrum, VERS. 6.
qui est super omnes, & per omnia , & in omnibus no-
bis.] Breuissimè Theodoretus exponit , super om-
nes, dominio; per omnia, prouidentia; in omnibus,
iustificatione.

VER. 7.

Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi] id est , cuique data est gratia non vna & par, sed varia & dispar, huic maior, illi minor, data, inquam, non ex merito vel mensura meritorum nostrorum , sed ex mensura gratuitæ donationis Christi , cui placuit donare huic illam mensurā gratiæ, illi istam, alteri aliam. Sermo est de gratia, quam Theologi vocant gratis datam.

*Gratia
gratiæ
data.*

VER. 8.

Propter quod dicit] id est, ad significandam gratuitam hanc donationem Christi, dicit Propheta David Psal. 67.

Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem] Christus cum ascenderet in cælum , vnâ secum adduxit , & in cælum subuexit inferni spolia , id est, animas iustorum, quæ prius apud inferos velut captiuae tenebantur.

Dedit dona hominibus] quod in psalmo Christus dicitur accepisse, non dedisse, quia nondum factum hoc erat, sed futurum promittebatur: hic autem dedisse dicitur , quia iam per omnes Ecclesiás toto orbe fundatas dona sua distribuerat. Accepit dona danda seu distribuenda hominibus q.d. Accepit dona in homines, sicut dicimus, ducem accepisse stipendia in milites , vtique distribuenda. Act. 2. Dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis, & auditis. Vbi promissionem Spiritus sancti, ipsum Spiritum sanctum promissum, intelligit, hoc est, eius dona, quæ Christus à Patre accepta effudit in homines.

*Dona
qua Chri-
stus de-
dit, sunt
dona Spi-
ritus sà.
et.*

VER. 9.

Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?] q.d. Christus altissimè ascendit super omnes cælos quia profundissimè se humiliauit , & descendit ad imas partes

partes terræ, scilicet ad infernum, sicque summa & infima compleuit.

Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos] quia cælos omnes penetrauit ascendendo usque ad summum cælum, eiūsque supremam partem. D. Thom. Anselm. Theophylact. afferunt Christum ascensisse supra omnia, ultra quæ non sunt alia. Est ergo ibi Christus, ut implet omnia, utque ipse totius vniuersi dominus & iudex vniuerlo emineat.

Vt impleret omnia] sua tum potentia, tum maiestate, victoria, gloria, triumpho, possessione, regno, imperio, ac quasi inauguratione: quemadmodum rex urbes omnes quasi implet sua potentia, comitatu & pompa, dum in eis inaugurator, aut eas triumphans ingreditur. ita Theophylactus.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alias vero Euangelistas, alias autem pastores & doctores.] Enumerat dona non omnia, sed pauca, sub quibus cætera intelligit.

Ad consummationem sanctorum, id est, completionem & perfectionem sanctorum. q.d. Deus in Ecclesia dedit Apostolos, Prophetas, Pastores, &c. ut sancti & electi in Christo, tum numero, tum meritis compleantur & perficiantur. *in opus ministerij]* ut scilicet quisque Apostolus, Propheta, Pastor, doctor, plenè & strenuè opus ministracionis sibi creditæ exerceat: si enim unus faceret omnia, non perfectè facheret singula, ait Anselmus.

In ædificationem corporis Christi.] Ecclesiæ scilicet, ut illa ceu ædificium Christi spiritale sensim assurgat, numerique ac virtutibus proficiat, donec

VER. 10.

VER. 11.

VER. 12.

donec tandem absoluatur, & omnibus suis parti-
bus, omni ornatu & perfectione compleatur &
consummetur. ita Anselmus.

VER. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi.] q. d. Hi gradus & hic Hierarchicus Ecclesiae ordo, vt alij sint Apostoli, alij Prophetæ, alij Euangelistæ, alij pastores & doctores, manebit durabitque, donec infideles omnes ad vnam Christi fidem & Ecclesiam vocentur, vt in Christum Filium Dei credant, eumque agnoscant omnes, quotquot Deus credituros presciuit & praedestinavit, & donec in eius cognitione & dilectione omnes qui credidimus, crescamus ad perfectam etatem & solidam in Christo Christique spiritu. *In virum perfectum, id est, vt in Christi fide, agnitione, amore, simus viri, id est prouecti, viriles, constantes, sicque in Christo plenam & perfectam etatem spiritalem, id est, perfectum intellectum, cognitionem & amorem Dei nanciscamur.**

VER. 14. *Vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumser-
parvuli ramur omni vento doctrina, id est, vt non amplius,
qui sunt. puerorum more, quibus imperfectum & insta-
bile iudicium est, fluctuemus, id est, inconstantes
simus, vt non simus, quasi pueri, qui omni vento,
impulso, persuasione agitantur, & in omnem
partem abripi se sinunt. *in nequitia hominum] id est, per nequitiam & fallaciam hominum, siue
philosophorum, siue iudaizantium, siue haereti-
corum.**

*In astutia ad circumventionem erroris] vt scili-
cket simplices & incautos astute circumuenien-
do ac decipiendo in errorem inducant.*

Veritatem autem facientes in charitate, crescamus VER. 15.
in illo per omnia, qui est caput Christus.] Sensus Apo-
stoli est : Quin potius ut veram Christi doctri-
nam, quam Apostoli, pastores & doctores Eccle-
siæ prædicant, amplexi, per omnia membra, in
charitate crescamus, & augeamur in ipsum, scilicet
Christum, qui est caput totius corporis. Chri-
stus enim quasi caput influit gratiam, & vim
crescendi, & augescendi in singula membra to-
tius corporis, id est Ecclesiæ.

Ex quo (scilicet capite Christo) totum corpus VER. 16.
(Ecclesiæ) compactum, coagmentatum & com-
paginatum. Ex capite enim omnia membra com-
paginantur, & per suas compages descendunt.
& connexum, ut scilicet membrum membro, fide-
lis fidi, per eandem fidem & spiritum cohæ-
reat, sicutque ex omnibus unum corpus, scilicet
Ecclesia, per omnem iuncturam subministracionis,
per mutuam unionem, qua nobis subministratur
spiritus & gratia Christi capititis nostri. secundum
operationem] ex vi, & efficacia intus agente &
operante. Vim Christi intellige, qui instar capi-
tis influit, & singula membra vegetat.

In mensuram uniuscuiusque membra] puta sin-
guli fideles à Christi gratia & spiritu, iustum
mensuram & incrementum accipient.

Augmentum corporis facit in edificationem sui,
vt seipsum ædificet, compleat, & perficiat hoc
corpus quod est Ecclesia, in charitate] id est, per
charitatem. Charitas hic non accipitur ut iun-
cta, sed ut anima Ecclesiæ. Charitas ergo quasi
anima facit nos crescere in Christo, vt crescente
charitate, crescat totus homo in Christo.

Hoc igitur dico & testificor in Domino] hoc igi-
tur VER. 17.

tur est, quod dicere cœperam, quod & obtestor
vos per Christum Dominum quem volo huius
exhortationis meæ esse testem.

*Vt iam non ambuletis, non conuersemini, sicut &
Gentes ambulant, conuersantur, in vanitate sensu
sui] id est, mentis suæ.*

VER. 18. *Tenebris obscuratum habentes intellectum] tene-
bris erroris & ignorantiae obscuratum est insipiens
cor eorum, stulti facti sunt, vt in reprobum sen-
sum traditi, nec Deum nec Christum agnoscant,
sed idola lignea & lapidea putent esse deos, dæ-
mones colant, &c.*

*Alienati à vita Dei, id est, à vita quæ secun-
dum Deum est, à viuendi modo, quem Deus in-
stituit, præcepit, & sibi gratum ac placitum de-
clarauit, idq; per ignorantiam: quia scilicet Deum,
Dei legē & voluntatē ignorant. quæ est in illis, pro-
pter cætitatem cordis ipsorum.] Græcè, propter ex-
cæcationem. Verti etiam posset, propter obdura-
tionem, vel, vt Ambros. duritiam cordis eorum.*

VER. 19. *Qui desperantes, scilicet salutem, & viam virtu-
tis ac beatitudinis. Græca habent, indolentes, &c, vt
Hieronymus vertit, indolorios, qui scilicet dolere
desierunt, quique omnem doloris sensum per-
diderunt. semetipos tradiderunt impudicitia in ope-
rationem immunditia omnis in auaritiam] vt aliena
appetant & inuadant insatiabiliter. Auaritia ergo
significat hic auaram cupiditatem libidinis & vo-
luptatum, quæ temperantiae & continentiae re-
pugnat semper.*

VER. 20. *Vos autem non ita didicistis Christum] ac si di-
cat: Talia non docet Euangelium Christi, hoc
non didicistis in doctrina Christi, non ita edo-
cti estis in Christianismo, scilicet ita luxuriari, vt
faciunt*

faciunt Gentes. ita Hieronym. & Anselm. Discere Christum, inquit Hierony. est discere tempe-
rantiam, sapientiam, virtutem Christi: & Theoph.
Christum, inquit, discere, est recte viuere.

Discere
Christū,
est discer-
re omnes
virtutes.

VER. 21.

Sitamen illum audistis. q.d. Sicut omnino Chri-
stum Christique doctrinam audistis & didicistis,
& in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu] edocti
estis, quænam sit veritas doctrinæ ipsius Iesu,
quæ docet deponendam esse pristinam conuer-
sationem.

Deponere vos secundum pristinam conuersationem VER. 22.
veterem hominem] ut sensus sit: Si tamē per Chri-
stum docti fuistis deponere atque exuere ve-
terem hominem, qui intelligitur in pristina seu
priori conuersatione, nempe ea qua viuebatis,
priusquam crederetis in Christum. Est enim ve-
tus homo, aut vetustas & corruptio peccati in
homine ex veteri Adam contracta, aut potius ip-
se homo, quatenus huiusmodi vetustate affec-
tus est.

Quis sit
vetus
homo.

Qui corrumpitur secundum desideria erroris] id
est, qui in vetustate & corruptela proficit, obse-
quendo prauis ac turpibus desideriis; quod fit
ex mentis errore ac cæcitate.

Renouamini autem spiritu mentis vestre] id est,
secundum mentem, secundum interiorem ho-
minem, id est, viuifica illa vi gratiæ & spiritus
mentibus nostris indita, qua Spiritus sanctus nos
regenerat, & in nouos homines, Christianos sci-
licet & sanctos, transformat.

VER. 23.

Et induite nouum hominem, qui secundum Deum VER. 14.
creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.] Appa-
ret nouum hominem ab Apostolo dici vnum- Quid per
quemque hominem quatenus renouatus est per nouum
gratiam

*hominē
intelli-
gat Apo-
stolus.*

gratiam Dei. Quæ renouatio hīc & alibi, nomine creationis intelligitur. Exponit igitur Apostolus nouum hominem, qui per regenerationem creatus est secundūm Deum, id est, diuinæ legi conformatus; creatus inquam in vera iustitia, quoad proximos; & in vera sanctitate seu munditia, quo ad seipsum, &c.

VER. 25.

*Propter quod deponentes mendacium, loquimini
veritatem, unusquisque cum proximo suo.]* Membra veteris hominis, quæ deponi & exui vult Apostolus, sunt mendacium, fraus, ira, iniustitia, furtum, libido, &c. His opponit membra noui hominis, eaque assumi & indui vult, scilicet veritatem, mansuetudinem, iustitiam, liberalitatem, castitatem, &c.

VER. 26.

Quoniam sumus inuicem membra.] quasi dicat. Vnum membrum non mentitur alteri, non decipit alterum, sed quodque alteri fidele est, illudque sincerè adiuuat quantum potest. Veritatem præcipit, & mendacium interdicit. quod ita primis sæculis imbiberunt Christiani, ut scribat Iustinus Martyr Apologia secunda, Christianos malle mori, quam vel semel mentiri.

Irascamini & nolite peccare.] si contingat irasci, cauete ne in opus ira erumpat, id est, ne facite quod ira suggerit, ne finite eam progredi usque ad iniuriam.

VER. 27.
Locus

Sol non occidat super iracundiam vestram.] Est proverbiu[m] significans iram statim esse compensandam, ne locum demus diabolo.

*datur
diabolo,
dum fo-
ueretur
ira.*

Nolite locum dare diabolo] quod fit, dum fouetur ira, & similes diaboli fœtus. Significat Apostolus eum qui finit iram diutiū apud se morari, dare locum diabolo. Potest sic intelligi, nolite locum

locum dare diabolo , tanquam accusatori. semper enim querit de quo nos apud Deum possit accusare, &c.

Qui furabatur, iam non furetur : magis autem la- VER. 28.
boret, operando manibus suis quod bonum est , id est,
quod honestum est. quasi dicat: Laboret & ope-
retur, sed ita, ut non ex turpi opificio, sed honesto
victum querat. ut habeat unde tribuat necessitatem
patients.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat] VER. 29.
Pro malus Græcè est, putris & corruptus, qui sci-
licet sale prudentia non est conditus : sed vel la-
sciuia, & obscenitate, vel scurrilitate, vel alio vi-
tio est infectus & corruptus.

Sed si quis bonus ad edificationem fidei, ut det gratiam audientibus] Supple, hic procedat ex ore ve-
stro , ut scilicet fideles ædificantur , & in fide ac
virtutibus proficiant per vestra colloquia. gratiam, id est, progressum in gratia, pietate & virtutibus. Vult sermonem nostrum non tantum esse
talem qui ædificet , sed simul esse gratiosum , ut
cum gratia venustè & iucundè proferatur. Lin-
gua sapientum ornat scientiam, Proverb. 15.

Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo, VER. 30.
id est, per quem , signati estis in diem redemptionis] quasi filij promissionis, & quasi regalis grex Christi & Spiritus sancti.

In diem redemptionis] id est, in die, quo bapti-
zati estis. Baptismo enim facti estis participes re-
demptionis Christi , illòque die redempti estis à
seruitute peccati & diaboli.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio , & cla- VER. 31.
mor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

Estate autem iniucem benigni , id est, comes, VER. 32.

Nn suaves,

suaves & blandi : misericordes , id est , boni affectus , donantes iniucem iniurias & offensas , sicut & Deus in Christo , per Christi filij sui meritum , donauit vobis] condonauit omnia veltra delicta . Hæc est radix omnis patientiae & charitatis , quam opponit amaritudini . ira enim non extinguitur ira , sicut nec ignis igne : sed sicut ignis aqua . ita ira extinguitur patientia & benignitate , ait Chrysostomus .

CAPVT V.

SUMMARIUM.

Hortatur ad imitationem Dei ; auocat ab operibus tenebrarum , & prouocat ad opera lucis . Exemplo Christi & Ecclesie admonet mulieres viris subiectas esse ; viros autem , ut uxores suas diligent .

VERS. I. **E** Sto ergo imitatores Dei sicut filij charissimi] q. d. Filiorum est imitari suos parentes . q. d. Cum accepta remissione peccatorum facti sitis Dei filij , Deoque dilecti , debetis Deum Patrem vestrum imitari , ut sicut ille vobis in Christo peccata condonauit , ita & vos iniucem offensas condonetis .

VERS. 2. **E**t ambulate in dilectione] id est , sicut estis à Deo dilecti , sic & vos exercete opera mutuae dilectionis .

Sicut & Christus dilexit nos] non tantum vt Deus , dilectione communi cum Patre , sed etiam vt ho

vt homo, charitate creata & infusa ; cuius magnitudinem declarat quod sequitur:

Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis] Sensus est : Dillexit nos , adeò ut sponte semetipsum tradiderit pro redemptione nostri, séque obtulerit hostiam Deo acceptissimam , quando in cruce mortem pro nobis subiit.

*Fornicatio autem & omnis immunditia. quævis VERS. 3
obscenitas & libido tactuum & immundorum operum, aut avaritia(nimia habendi cupido) nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos] id est, Christianos. Tam alienos esse vos volo ab his vitiis, ut si fieri potest , ne quidem audiantur aliquando nominari ex ore vestro , ne forte ex ipso auditu concepta cogitatio carnem commoueat ad concupiscendum.*

*Aut turpitudo,puta verborum, aut stultiloquentia, VERS. 4
aut scurrilitas, que ad rem non pertinet , id est , quæ non sunt decentia. sed magis gratiarum actio] scilicet nominetur, audiatur, sonet ex ore vestro, qui estis Christiani & sancti.*

*Hoc enim scitote intelligentes : quod omnis fornicator, VERS. 5
aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei] Chrysost. Theoph. Cyprian. propriè accipiunt avaritiam pro immodica cupiditate opus, qua per fas & nefas eas avarus accumulat. Sumitur Avaritia enim hic avaritia in actu completo , tuncque est quæ ex peccatum mortale, & excludat à regno Dei, ut hic ait Apostolus. At verò S. Hieron. sicut passim apud Prophetas idolatria fornicatio vocatur ; ita vicissim, inquit, fornicatio per idolatriam potest intelligi, &c.*

VERS. 6.

Nemo vos seducat in anibus verbis] non philosophi, non poëtae lascivii vos seducant, id est, ne finite vos decipi quorumdam vanis & fallacibus sermonibus, quasi hoc quod dixi, non ita se habeat.

Proprius haec enim (fornicationem scilicet, immunditiam & auaritiam) venit ira Dei in filios diffidentia] venit, id est, venire solet. ira, id est vindicta, quæ est effectus iræ Dei in filios diffidentia, id est, inobedientia, vel incredulitatis.

VERS. 7. *Nolite ergo effici particeps eorum] scilicet filiorum diffidentia. q. d. Nolite cum sceleribus eorum iam dictis communicare & participare.*

VERS. 8.

Eratis enim aliquando tenebra, id est, eratis te-nebris, infidelitate & ignorantia, tum Dei, tum rerum agendarum. nunc autem (estis) lux in Domino. q. d. Nunc Christiani facti estis lucidi: quia illuminati estis fide, gratia & doctrina Christi, ut cognoscatis tum Deum verum trinum & unum, tum ea quæ agenda sunt, ut Deo illi vero placeatis. Ergo ut filij lucis ambulate] ostendite moribus, & conuersatione vos esse filios lucis, id est, vos ad lucem pertinere. Quæ lux est gratiæ, in fide & sanctitate consistens, & bonis operibus declaratur.

VERS. 9.

Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate] hoc est, fructus quem profert lux gratiæ, situs est in omni genere virtutum ac bonorum operum, bonitate, id est benignitate, hanc opponit iracundiæ: & iustitia, hanc opponit fraudibus: & veritate, hanc opponit mendacio & hypocrisi. q. d. Ex fructibus lucis ostendetis vos esse filios lucis.

VERS. 10.

Probantes, explorantes, exquirentes, quid sit beneplacitum

placitum Deo] quomodo sanctam eius voluntatem
& beneplacitum agnoscere & adimplere possitis.

*Et nolite communicare operibus infructuosis tene- VER. 11:
brarum] nolite commercium habere, aut misce-
re vos operibus peccatorum & peccantium, qui
quasi tenebriones lucem fugiunt.*

*Magis autem redarguite] quin potius vos, quia
lux estis, illa tenebratum opera, lumine operum
vestrorum prodite, detegite, manifestate; ut om-
nibus appareat illorum turpitudine. Nam contra-
ria iuxta se posita magis elucescunt.*

*Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dice- VER. 12.
re] ab ipsis scilicet filiis dissidentie & tenebrarum.*

*Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine mani- VER. 13:
festantur] dixi vos, qui estis filii lucis, arguere de-
bere opera tenebrarum; sic enim habet rei natu-
ra, ut quæcumque tenebrosa arguuntur, id est,
produntur, ea manifestetur à lumine. Nam argui,
seu prodi, non aliud est quam in lucem proferti.*

*Omne enim quod manifestatur, lumen est] quia
omne manifestans lumen est, id est, nulla res po-
test manifestare, & in apertum proferre aliquid
obscurum, nisi sit lux, aut lucis particeps. Omne
id quod per se ac primò manifestatur, lux est; ut
proinde nihil aliud queat manifestari nisi be-
neficio lucis.*

*Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exsurge
à mortuis, & illuminabit te Christus] Græcè est, il-
lucescet, orietur tibi Christus. ut sensus sit: Huc
facit illud, quod Scriptura dicit Isaïæ 60. Tu qui
detineris somno peccatorum, expurgiscere: &
qui mortuus es in peccatis, resurge à morte: &
Christus, qui est verum lumen, per gratiam suam
super te orietur, tēque illuminabit.* VER. 14:

VER. 15.

Videte itaque, fratres; quomodo caue ambuletis]
Vos, inquit, qui estis filii lucis, ideoque errare,
quasi in tenebris, non debetis; videte, id est, uti-
mini luce vestra ad videndum quomodo bene
& circumspecte conuersemini, maximè cum iis
qui foris sunt, id est, infidelibus.

Non quasi insipientes] Valde enim insipientes
 sunt qui ad solem hunc Euangelij oculos clau-
 dunt, vel, sub eo pudenda faciunt, quasi adhuc in
 nocte & tenebris ignorantiae Dei versarentur.

VER. 16.

Tempus
redimere
quid sit.

Sed ut sapientes: redimentes tempus] Redimere
 hic idem quod emere: sic redemptores vestigia-
 lium vocamus eorumdem emptores. q.d. Studiosè
 emite opportunitatem proficiendi in via Dei &
 virtute, & bona opera ac merita accumulandi:
 emite, inquam, eam quarumuis rerum dispen-
 dio. ita Theoph.

Quoniam dies mali sunt] id est, quia tempus
 huius vitæ plenum est temptationibus & laqueis
 peccatorum.

VER. 17.

Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligen-
tes que sit voluntas Dei] cùm dies mali sint, &
 omnia peccandi periculis plena; ne sitis impru-
 dentes & inculti in conuersatione vestra, ne
 tempus benè agendi vobis effluat; sed date ope-
 ram, ut intelligatis quid Deus à vobis velit fieri.

VER. 18.

Et nolite inebriari vino, in quo, (scilicet vino,
 vel *in quo, scilicet inebriari, q. d. in ebrietate)*
est luxuria.

Sed implemini Spiritu sancto] id est, gratia & læ-
 titia spirituali, atque in uniuersum bonis spi-
 ritualibus.

VER. 19.

Loquentes vobis metipsis in psalmis, & hymnis, &
canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cor-
dibus

dibus vestris Domino] Non vox, sed votum; non chordula musica, sed cor; non cantans, sed amans, cantat in aure Dei, ait Augustinus.

Gratias agentes semper pro omnibus, gratias, donis & beneficiis à Deo acceptis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, per nomen Iesu Christi, id est, per Christum, qui hæc dona, gratias, & beneficia nobis promeruit & obtinuit, Deo & Patri.] Refer ad *gratias agentes*. Iubet enim ut gratias agamus *Deo & Patri*, id est, Deo Patri. Deus noster, à quo corpus, animam, gratiam & bona omnia accepimus. Pater, qui paterno affectu nos quasi filios suos omnibus suis bonis pascit & inebriat.

Subiecti iniicem in timore Christi] q.d. Ex timore filiali, id est, ex amore Christi obedite Superioribus vestris qui vicarij sunt Christi.

Mulieres viris suis subdite sint, sicut Domino] Christo, id est, in viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput & sponsus Ecclesie.

Quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesia: ipse Christus) Saluator corporis eius] Nota eius, id est, sui. q.d. Christus dat salutem corpori suo, id est Ecclesiae, sicut caput quod omnes sensus continet, salutem dat corpori, in illud influendo & dirigendo per visum, phantasiam & rationem, ita Theoph.

Sed sicut Ecclesia subiecta est in Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus] subaudi, subiectæ sint.

Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea] id est, adeo dilexit eā, vt semetipsum pro ea daret in mortem.

Vi illam sanctificare] id est, mundam Deo redderet ab omni impuritate peccati.

VER. 20.

VER. 21.

VER. 22.

VER. 23.

VER. 25.

VER. 26.

Mundans lauacro aquæ in verbo vita] Sensus
Ecclesia Apostoli est, Tradidit semetipsum Christus pro
qua ratione sanguinem suum dedit Ecclesia, ut ea ex immundâ mundam sanctamq;
redderet; dum videlicet aquæ baptismō per ver-
bum Euangelij creditum ac fide suscepimus, mun-
dat eam à peccatis. Si queras quomodo Christus
Eccleiam mundet lauacro aquæ, respondeo,
velut instrumentum virtutis diuinæ, id est, si-
gno efficaci ex ipsius Christi institutione & pro-
missione.

VER. 27. *Vt exhiberet ipse sibi, non tantum mundam &*
puram, sed & gloriosam, multo decore & gloria
illustrem Ecclesiam, non habentem maculam pec-
cati, aut rugam vetustatis, aut aliquid huiusmodi, sed
ut sit sancta & immaculata] Ecclesia dicitur san-
cta, quia caput Ecclesiae, scilicet Christus, & præ-
cipua eius membra sancta sunt, sancta habet Sa-
cramenta, sanctas leges, sanctum sanguinem
Christi. Per maculam & rugam hic intelligit peccata
non leuia & venialia, sed mortifera.

VER. 28. *Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora*
sua] hoc est, exēplo Christi, ea quæ salutaria sunt,
illis prouidere, sicut caput prouidet corpori.

Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.

VER. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed*
nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam] scili-
cet ut carnem suam nutrit ac fouet, omnia sup-
peditando quæ ad eius salutem pertineant.

VER. 30. *Quia membra sumus corporis eius, de carne eius,*
& de ossibus eius] quia in hac natura ipse caput
est, nos membra.

VER. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*
suam, & adhæribit uxori sue: & erunt duo in carne
vna] hoc est, duo erunt velut vna caro, vnum
corpus,

corpus, vnuſ homo, &c.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in V E R . 32 .
Christo & in Ecclesia] Sacramentum seu mysterium
præcedentibus verbis significatum magnum est, &c. Ego autem dico , id est, mysterium
hoc explicò, & intelligendum doceo de Christo
& Ecclesia , in Christo & Ecclesia , scilicet signifi-
canda.

Verumtamen & vos singuli , unusquisque uxorem
suam sicut seipsum diligat:uxor autem timeat virum
suum] facite ut Sacramentum quod repræsentatis
& geritis, te ipsa præstetis & exprimatis: ut ni-
mirum quisque maritus diligat uxorem quasi
suam carnem, immo quasi seipsum , sicut Christus
diligit Ecclesiam: & uxor quæque timeat, id est,
reuereatur, virum suum, sicut Ecclesia reueretur
& colit Christum.

C A P V T VI.

S U M M A R I V M .

Docet filios & parentes , seruos & dominos ,
quomodo erga ſe reciprocè debeant ſe ſe ge-
rere. Deinde deſcribit armaturam militis
Christiani aduersus ſpiritū nequam. Ro-
gat pro ſe orari. Tychicum ad ipſos mittens ,
dona ſalutaria iis precatur.

Filiij obedite parentibus uestris in Domino , id est ,
Domini amore & reuerentia: hoc enim iustum
eft] ut à quibus vitam acceperimus , obedientiam
iis reddamus.

- VERS. 2. *Honora patrem tuum, & matrem tuam. quod est mandatum primum in promissione] id est, cum promissione, id est, primum cui adiuncta sit expressa & specialis promissio.*
- VERS. 3. *Vt bene sit tibi, & sis longeius super terram] hoc est, vt feliciter, ac diu viuas super terram.*
- VERS. 4. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt scilicet vestra duritie, asperitate, nimis verberibus, aut laboribus filios vestros oneratis & irritetis. sed educate illos in disciplina & correptione Domini] date eis Christiana monita, quibus modum benè & Christianè viuendi adiscant.*
- VERS. 5. *Servi obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, id est, cum magna sollicitudine. in simplicitate cordis vestri, sicut Christo] id est, recto & simplici corde, tanquam seruiatis Christo, qui omnia videt etiam occulta cordis.*
- VERS. 6. *Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo] sincerè & ex animo facite ea quæ Deus præcipit.*
- VERS. 7. *Cum bona voluntate, cum benevolentia, seruientes, sicut Domino, & non hominibus.*
- VERS. 8. *Scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino sine seruus, sine liber.*
- VERS. 9. *Et vos Domini eadem facite illis, exhibete similem humanitatem, remittentes minas, ne sitis in seruos imperiosi & minaces. scientes quia & illorum & vester Dominus est in celis] scientes quod communem Dominum ac iudicem habetis vos & illi.*
- Et personarum acceptio non est apud eum] nempe Dominum Christum, quasi dicat: Iudex ille non perso*

personas respicit, sed merita, &c.

De cetero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius] curam adhibete ut ad pugnandum fortes sitis in Domino, id est per Christum, & in potentia virtutis eius, id est, per potentiam ac fortitudinem eius, siue quam ille supeditat, seu potius, qua ille vos adiuuat; haec autem est potentia & virtus diuina.

Induite vos armaturam Dei] Vocat armaturam Dei, quia per haec arma tamquam manu fabricata, pugnamus; imò Deus ipse in nobis pugnat.

Vt possitis stare aduersus infidias diaboli] id est, vt possitis in fide & rectitudine vita Christiane persistere aduersus infidicos assultus & machinationes diaboli; quas scilicet ille vobis struit per ministros suos haereticos, Philosophos, Iudeos, ac ceteros impios,

Quoniam non est nobis collectatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in celestibus] Mundi rectores intelligit dæmones qui in tenebroso hoc aere dominantur.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo] Diem malum intelligit diem periculorum, id est, tempus temptationis, præser-tim eius quæ mouetur ab hostibus fidei.

Et in omnibus perfecti state] Sensus est, Et ut omni armatura sufficienter instructi ac præparati, stare possitis in pugna contra hostes, & non cadiatis aut loco cedere cogamini.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate] Veritas hic significat fidelitatem & integritatem.

tatem. vult esse succinctos veritate, id est, fideli-
tate quasi cingulo.

Et induit loricam iustitiae] id est, Iustitia sit vo-
bis pro lorica seu thorace militari.

VER. 15. *Et calceati pedes in preparatione Euangelij pacis*]
*Caleatus militis Christia*nus Præparatio autem hæc, est alacris promptitudo,
& prompta alacritas animi, partim ad ambulan-
dum viam Euangelij pacis, partim ad id annun-
ciandum, ut per infenſiſſimos dæmonum fortiter
pergamus & penetremus in cælum.

VER. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei*] ante omnia ac
præcipue scutum fidei sumendum est, ac manu-
tenendum in hac pugna.

*In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extin-
guere*] quo scuto fidei excipere, repellere & extin-
guere possitis omnia ignita iacula variarum ten-
tationum à diabolo immissa, quibus ille corda
hominum incendit, inflammatque ad peccan-
i. Pet. 5. dum: cui resistite fortes in fide. q. d. Fide tan-
quam scuto repellite aduersarium vestrum dia-
bolum. anima quoties peccat, toties vulneratur.

VER. 17. *Et galeam salutis assumite*] Per galeam salutis
seu salutaris, spes futurorum bonorum videtur
Galea est spes salutis. accipienda. Induti galeam spem salutis i. Thess.
5. Galeam quæ caput seruet & saluet, id est, ga-
leam, quæ est ipsa salus, allata à Christo, & spera-
ta à Christianis, hoc est, spes salutis.

Et gladium spiritus(id est, spiritualem) *quod est*
verbum Dei] & gladium sancti Spiritus, id est, à
Spiritu sancto subministratum, accipite, ac manu-
tenete; quem gladium interpretor verbum Dei.
Dextra tenet gladium, id est, verbum Dei: sinistra
scutum, scilicet fidem.

VER. 18. *Per omnem orationem & obsecrationem orantes*
omni

omni tempore in spiritu] Sensus est, Et hæc facite, multis orationibus & obsecrationibus Deum assiduè precantes, ut vos pugnantes adiuuet, & viatores faciat; idque non solum voce, sed in spiritu, hoc est, cum deuoto cordis affectu. Oratio non est aliud quam mentis in Deum eleuatio, siue mentis cum Deo coniunctio.

Oratio
facienda
in spiri-
tu.

*Et in ipso vigilantes in omni instantia & obsecra-
tione]* & ad hoc ipsum, ut assiduè Deum oretis in spiritu, vigilantes magna cum instantia, sedulitate & perseverantia.

Pro omnibus sanctis; & pro me] Sanctos intel- VER. 19.
igit fideles. humilitatis autem est, quod se post alios nominet, vti Theophylactus obseruat.

*Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fi-
ducia, notum facere mysterium Euangelij]* q. d. Ut Deus aperiat os meum, & inspiret sermones quos loquor, ut cum fiducia, id est, libertate, euangelizem.

Pro quo legatione (apostolatu) fungor in catena] VER. 20.
Hinc patet hanc epistolam Roma è vinculis esse scriptam, ait Hieronymus & Chrysostomus.

*Ita ut in ipso (Euangelio scilicet prædicando)
audeam: quasi dicat: Ut audacter & liberè causam
meam è vinculis dicam, mœque defendam, & ra-
tionem reddam prædicati à me Euangelij, prout
oportet me, tanquam legatum summi Dei, liberè &
intrepidè loqui.*

*Vi autem & vos sciatis quæ circa me sunt, id est,
quæ ad me pertinent, quomodo res meæ ha-
beant, quid agam] in carcere constitutus.* VER. 21.

*Omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus fra-
ter, & fidelis minister in Domino]* id est, in his quæ ad Christum Dominum pertinent.

Quem

VER. 22. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quae circa nos sunt? id est, quis rerum nostrarum sit status.*

Et consoletur corda vestra? ne animis deficiatis ob tribulationes meas, quas pro vobis & pro Evangelio patior. Pro consoletur, verti etiam potest exhortetur.

VER. 23. *Pax fratibus, & charitas cum fide, à Deo Patre & Domino Iesu Christo] subaudi, sit, vel augeatur ac multiplicetur.*

VER. 24. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. amen] Gratia complectitur omne genus beneficentiae diuinæ pertinens ad salutem vitæ æternæ. eam precatur omnibus diligentibus Christum, in incorruptione, id est, purè & sanctè, cum vita castimonia, & absque corruptelis libidinum. Scripta Româ ad Ephesios per Tychicum.*



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD PHILIPPENSES.

C A P V T P R I M V M.

S V M M A R I V M.

Gratias agit Deo pro fide Philippensem, declarans suum erga eos affectum. ostendit etiam vincula sua facere ad profectum Euangelij. Etsi vero cum Christo esse cupiat; se tamen permansurum in carne, ad ipsorum utilitatem: quos deinde exhortatur ad patientiam in certamine pro Christo.

P A V L V S & Timotheus, servi Iesu Christi, omnibus sanctis (omnibus fidelibus in baptismo sanctificatis) in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus] Per Episco

VERS. I.

Episcopos h̄ic apostolus intelligit presbyteros.

VERS. 2. *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo] supple multiplicetur.*

VERS. 3. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri] id est, quoties vestri recordor, quoties vos memoriae meae occurritis, gratias ago Deo.*

VERS. 4. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.*

VERS. 5. *Super communicatione vestra in Euangelio Christi à prima die usque nunc] q. d. Gratias ago Deo cum gaudio, eum deprecans, eo quod vobis dederit communicationem in Euangelio Christi.*

VERS. 6. *Confidens hoc ipsum, quia (quod) qui coepit in vobis opus bonum (scilicet Deus) perficiet usque in diem Christi Iesu] Opus bonum, id est, vitam Euangelicam sive Christianam, ut assiduo opere & studio illam prosequamur & propagemus. Usque in diem Christi, id est, usque ad diem iudicij tum particularis, tum potius universalis.*

VERS. 7. *Sicut est mihi iustum hoc sentire (id est, confidere, uti præcessit) pro, id est, de omnibus vobis] id est, de congregatione vestra, de vestra Philipponum Ecclesia.*

Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, scilicet Gaudij mei omnes vos esse.] Graeca non habent, gaudij, sed gratiae. Vos, inquam, omnes, qui estis socij seu comparticipes gratiae meae. Gratiam h̄ic vocat beneficium illud, quo ei datum erat pati & vinciri pro Christo, sive ipsa vincula: eadem vocat gaudium suū. habere in corde est gerere in animo seu memoria, velut rem charam & dilectam.

VERS. 8. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos, supple*

supple esse, in visceribus, id est, in intimo corde & amore Iesu Christi] ut intimo vos iungam Christo, & quasi in viscera eius traiiciā. quomodo, id est, quam propensè, quam valdè & ardenter cupiam, id est, amem vos, quanto vos amore complectat, in visceribus Christi, id est, ea dilectione & affectu, quo Christus in visceribus, id est, intimè & tenerimè vos omnésque Christianos amat.

Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis VERS. 9.
abundet in, id est cum, omni scientia, rerum scilicet
fidei & salutis, ac præsertim iustificationis. & in
omni sensu] Sensum autem pro recto iudicio men-
tis, id est prudentia, posuit. q.d. Oro ut abundetis,
tam in charitate, quam in scientia, id est, fide &
doctrina Christiana.

Ut probetis potiora. Pertinet autem ad rectum VERS. 10
mentis iudicium, in actionibus probare, hoc est
eligere & amplecti, meliora. ut sitis sinceri, id est,
sinceram & rectam habentes intentionem in bo-
nis vestris operibus. & sine offensa, ut scilicet nul-
lum offendatis & scandalizetis, in diem Christi] &
hoc totum perseueranter usque in diem aduentus
Christi Domini.

Repleti fructu iustitiae per Iesum Christum. Fru-
ctus iustitiae, vocat opera iustitiae, vel generalis, VERS. 11
quæ complectitur omnem virtutem, per Iesum Quis fru-
Christum. q.d. Quos fructus facimus & habemus per ctus iu-
Christum, ciùque merita & gratiam, idque in glo-
riam & laudem Dei] ut per ea laudetur & glorifi-
cetur Deus.

Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circame sunt, VERS. 12.
magis ad profectum venerunt Euangelijs.

Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo. q. VERS. 13
d. Ut manifestum fieret quod propter Christum

vincitus sum, non propter debita, aut scelera, sicutque per vincula mea Christi nomen vbiique clarescit, *in omni prætorio*, puta in tota aula Neronis. q. d. Tota aula per mea vincula inaudiuit aliquid de fide & Euangelio Christi, & *in ceteris omnibus*] locis, plateis & vicis vrbis Romæ.

VERS. 14 *Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui]* q. d. Plures fratres, id est Christiani, Romæ videntes meam constantiam, libertatem, fructum & gloriam vinculorum meorum, accensi sunt ad æmulationem, ut pari modo intrepide euangeliarent verbum Dei.

VERS. 15 *Quidam quidem & propter inuidiam & contentiōnem]* per inuidiam quidem, resistentes gloriæ Pauli; per contentionem vero, qua suam quæabant gloriam, volentes præ illo excellere.

Quidam autem & propter bonam voluntatem Christum predican] id est, ex benevolentia qua desiderant hominum salutem.

VERS. 16 *Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangeli positus sum]* quia scilicet me amant qui sum Christi præco.

VERS. 17. *Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis]* ex inuidia cum Paulo contendebant, superare eum gloria cupientes.

VERS. 18 *Quid enim? quid igitur?* q. d. Ipsi putant me premere, affligere, & pungere, ergo vere me premunt, afflidunt & pungunt? responderet minimè: nam *dum omni* (quouis) *modo siue per occasiōnem, siue per veritatem*, Christus annuncietur; & *in hoc gaudeo, sed & gaudebo*] in hoc, scilicet quod Christus annuncietur.

*Scio enim quia hoc eorum odium & inuidia, qua
michi mœrem, & Neronis iram conciliare stu-
dent) mihi proueniet ad salutem, spiritalem & æter-
nam, per vestram orationem, & subministrationem
(donationem) Spiritus Iesu Christi.*

*Secundum expectationem, & spem meam, id est, VERS. 19
prout expesto & spero. quia in nullo confundar] id
est, pudefiam ab expectatione & spe mea.*

*Sed in omnifiducia sicut semper, ita & nunc ma-
gnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam,
siue per mortem] si enim occidar, & constanter mori-
rari pro Christo, magnificabo Christum meo mar-
tyrio; si viuam, constanter Christum prædica-
bo, itaque eumdem magnificabo.*

*Mibi enim viuere Christus est, & mori lucrum] VERS. 21.
Ostendit, seu vitam seu mortem suam sibi cessu-
ram ad salutem. nam, inquit, mea vita Christus
est, id est, vitam meam Christo & Evangelio con-
secreavi: & mors lucrum mihi est, id est, mortem
pro lucro deputo; per eam enim consequat ut sim
cum Christo. q. d. Etiam moriendo non moriar,
eo quod vitam habeo in meipso, &c.*

*Quod si viuere in carne, hic (id est hoc) mihi
fructus operis est] q. d. Si me adhuc viuere operæ
premium est, fructuosum & utile multis. ita An-
selmus.*

*Et quid eligam ignoro] q. d. Si viuere in carne est
operæ premium, & alia ex parte, mori mihi lucrum
est, quid ex hisce duobus eligam ignoro.*

*Coarctor autem è duobus] id est, à duabus rebus VERS. 23
premor & arctor. hinc desiderio dissolutionis ut
sim cum Christo, inde necessitate permanendi in
carne, propter vos.*

Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo] Oo 2 dissolui,

VERS. 19

VERS. 20

VERS. 21

Christus
est nobis
vita.

VERS. 22

VERS. 23

Paulus dissolui, id est mori : mors enim est dissolutio animæ & corporis. *Cupio dissolui*, scilicet vinculo, quo anima in hac vita corpori colligatur. q.d. Iam allegatus sum corpori , si hoc vinculo soluar , ero cum Christo, illique astringar.

Multo magis melius] q. d. Multò longeque melius ; aut infinitis partibus melius quam permanere in carne , id est , esse cum Christo optimum est.

VERS. 14 *Permanere autem in carne necessarium propter vos*] Sentit Apostolus à duobus se coarctari , quorum alterum desideret , alterum verò necessarium iudicet, non tamen desideret.

VERS. 15 *Et hoc (scilicet necessarium esse vobis ut maneam in carne) confidens scio quia*, id est quòd , maneo q. d. Persuadens mihi vitam meam vobis esse necessariam , scio quòd Deus me vobis adhuc concedet , faciéisque in vita permanere. & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum , & gaudium fidei] id est, vt promoueam salutem vestram, & vt afficiam vos gaudio ex fide profecto, &c.

VERS. 16 *Vt gratulatio, id est gloriatio, vestra, (qua gloriamini & gratulamini vobis , quòd per me sitis ad Christum conuersi) abundet in Christo Iesu* (id est, in Christi doctrina, lege, gratia, Ecclesia, q.d. In Christianismo) *in me*, (de me vinculis liberato , vobisque reddito) *per meum aduentum iterum ad vos*.

VERS. 17. *Tantum digne Euangeliō Christi conuersamini*] id est, vt vita vestra Euangeliō respondeat, vt Euangeliū ex vestra conuersatione honoretur.

Vt siue cum venero, & video vos, siue absens audiam de vobis, quia (quòd) statis in uno spiritu] id est, perseveratis in pari religionis ac mutuae charitatis studio, ac fero.

Vnanimes collaborantes fidei Euangeliij] vos mu-
tuò adiuuantes , in certamine pro fide Euan-
geliij.

Et in nullo terreamini ab aduersariis (siue infi- VERS. 28
delibus , gentilibus , qui Christianos persequun-
tur) quæ illis est causa perditionis , vobis autem salu-
tis , & hoc à Deo] nempe quod patiamini pro
Christo.

Quia vobis donatum est pro Christo , non solum ut VERS. 29
in eum credatis , sed ut etiam pro illo patiamini]
Pro Christo , id est , propter Christum , & Christi
merita datum est vobis ut in eum credatis . om-
nia dona & gratias , quibus ad salutem dirigimur ,
tribuit meritis Christi . Pati pro Christo vocat
Apostolus donum Dei .

Idem certamen habentes , quale & vidistis in me , &
nunc audiatis de me] Certamen appellat patientiam
aduersorum ; quia qui patitur , certat & pugnat ,
ne per impatientiam superetur .

C A P V T II.

S V M M A R I V M .

Ad mutuam concordiam eos hortatur ; item
exemplo Christi , ad humilitatem & obe-
dientiam . Admonet ut cum timore salutem
suam operentur . Timotheum promittit se ad
eos missurum : Epaphroditum nunc mittit &
commendat .

Si qua ergo consolatio in Christo] si vultis mi- VERS. 1.
hi viñto & afflito aliquam adferre conso-
lationem

Oo 2

lationem in Christo, id est in negotio Christi, cuius ego sum Apostolus.

Si quod solarium charitatis] id est, si quod solarium ex charitate profectum à vobis expectari potest.

Si qua societas spiritus] si declarare vultis vos eundem mecum habere spiritum.

Si qua viscera miserationis] si quid, inquit, viscerum, id est misericordiae, in vobis est; si vultis aliquam erga me misericordiam ostendere.

VERS. 2. *Implete gaudium meum*] id est, facite vnde gaudium meum quod ex præclaris vestræ conuersationis initii iam dudum concepi, impleatur ac perficiatur.

Ut idem sapiatis. q. d. Implebitis gaudium meum si idem sapiatis, *candem charitatem habentes*] id est, mutuam erga vos inuicem charitatem habentes ac retinentes.

Vnanimes, id ipsum sentientes] Vnanimes sunt, qui vnum idemque sentiunt, idem velint, idem nolint.

VERS. 3. *Nihil (supple facientes) per contentionem, irritationem, quas scilicet alios ad contentiones & litigies prouocetis, neque per inanem gloriam.*

Sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes] sed per humilitatem quisque alium se superiorem & præstantiorem arbitretur & existimet.

VERS. 4. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum*] q. d. Ut charitatem mutuam, ad quam vos hortor, foueat, satagit ut quisque non sua, sed aliorum commoda spectet, querat, consegetur.

VERS. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*] Sensus

Sensus est, Is affectus sit in vobis erga vos inuicē,
qui & in Christo fuit erga nos ; ipsum imitamini.

VERS. 6.

*Qui cum in forma Dei esset, forma Dei, est natu-
ra Dei, diuinitas, & Deus ipse. ita Chrysost. Hi-
larius, August. non rapinam arbitratus est esse se
æqualem Deo] q. d. Non rapinam arbitratus est
(subaudi, se facere cùm sentiret & diceret) esse
se æqualem Deo, vt cùm dixit : Ego & Pater
vnum sumus. Ioan. 17. quia quod sentiebat & di-
cebat, sibi que attribuebat, id ipsum re ipsa erat:vn-
de quod naturæ, non putauit esse rapinæ. ita Au- Rapina
gustin. Rapina hæc est arrogantia vel arrogantiæ est arro-
effectus : rapere enim alterius gloriam est, eam si. gantia.
bi arrogare.*

*Sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens.] VERS. 7.
q. d. Christus cùm ante incarnationem esset Deus,
Deoque æqualis, se ipsum tamen postea exinan-
uit quando per incarnationem formam serui ac-
cepit, factusque est ex Domino seruus, ex Deo
homo, ex creatore creatura.*

*In similitudinem hominum factus, id est, similis
hominibus factus, & habitu inuentus ut homo] Vult
dicere Apostolus, Verbum æternum & inuisibile
ita assumpsisse formam & naturam hominis, ut
illam hominibus spectandam obiecerit, & per
speciem ac figuram corporis humani à se assump-
ti hominum oculis visibilis apparere viderique
voluerit; itaque ab hominibus visus & inuentus
sit ut homo, ut homo, id est, verus homo.*

*Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad
mortem, mortem autem crucis] Intelligitur autem
obedientia, qua voluntatem suam humanam
perfectè conformauit æterno decreto Patris, qua-
si dicas. Humiliavit se per obedientiam, siue dum*

VERS. 8.

obediuit Patri usque ad mortem crucis. Christus humiliauit se, & obediuit non quia Deus est & Verbum; sic enim Patri non est subditus, cum sit illi par: sed quatenus formam servi accepit, seu quatenus est homo.

VERS. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum.* Græcè, superexaltavit illum, id est, in summam extulit sublimitatem, ad vitam scilicet & gloriam immortalem super omnes angelos & cælos, statuens Christum ad dexteram Dei. *& donavit illi nomen quod est super omne nomen]* id est, quo nihil excelsum nominari potest. *nomen Dei, est ipse Deus, & diuinitas, cuius maiestas, potentia, & gloria ab omnibus & super omnia nominatur & celebratur.* hinc Apoc. 5. dicitur Agnus qui occisus est accipere diuinitatem, non quasi eam acceperit primùm post mortem & resurrectionem; constat enim eam habuisse à primo instanti incarnationis suæ: sed quod eam acceperit in notitia & fama apud homines in toto mundo, ut nimis omnibus innotescet. omnésque crederent Christum esse verum Deum Deique filium, eumque ut tam, colerent & celebrarent.

VER. 10. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & inferorum] Iesus,* id est saluator, & ipsa salus. Nomen Iesu, est nomen proprium Verbi incarnati. *Iesus* fons est & principium gratiæ, gloriæ & salutis. *Cælestes sunt angeli & animæ beatæ: terrestres, homines in terris agentes: inferorum.* id est subterraneorum, qui sub terra degunt, puta eorum qui expiantur in Purgatorio, & eorum, qui damnati sunt in inferno, siue homines sicut siue dæmones, ait Anselmus.

VERS. 11. *Et onnis lingua (caelestium, terrestrium, & infer-*

Nomen
Dei quod
& quo
sensu
Christo
donatum
sit.

fernorum, ut præcessit) confiteatur quia (quod) Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris] & omnes confiteantur , Iesum Christum esse Dominum : quæ quidem eius dignitas & dignitatis agnitus cedit ad gloriam Dei Patris ; quia gloria Patris est exaltatio Filii.

Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis) ad- VER. 12.
monens, ut, sicut antea semper ex quo fideles esse
cœperant , exemplo Christi obedientes se præ-
stiterant Dei præceptis ab Apostolo traditis ; ita
faciant deinceps, si gloriæ Christi participes fieri
velint. non ut in præsentia mei tantum , sed multo
magis nunc in absentia mea] ita moneo ut quod
haec tenus fecistis, facere pergatis.

Cum metu & tremore vestram salutem operamini]
non tantum sicut me præsente fecistis aut facere
soletis , sed nunc multò magis me absente : sic
enim vos ostendetis id facere ex animo , propter
Deum , & non seruliter , quasi nobis placere
studentes.

Deus est enim , qui operatur in vobis & velle & VERS 13.
perficere pro bona voluntate.] Hortor, inquit, ut cum
metu , & tremore vestram salutem operemini:
quia nec velle nec operari consistit in vestris vi-
ribus, sed Deus est qui per suam gratiam vtrum-
que in vobis operatur. Deus operatur velle per
gratiam præuenientem & excitantem, qua intel-
leatum illuminat, immittendo illi bonas cogita-
tiones, &c. excitat voluntatem & affectum , pios
motus, &c. Deus haec tria, scilicet cogitare, velle,
perficere operatur in nobis, primum, scilicet co-
gitare, sine nobis ; secundum, scilicet velle , no-
biscum; tertium , scilicet perficere , per nos facit.
ita Bernardus : Pro bona voluntate , non hominis,

sed Dei: est enim græcè beneplacitum , vltionea
propensaqué affectio.

VER. 14. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus.]* Redit ad versum tertium, vbi iussit vt nihil agant per contentionem, nec per inanem gloriam : ex his enim oriuntur murmurationes & hæsitationes, hoc est, disceptationes.

VER. 15. *Vt sitis sine querela]* irreprehensibiles , id est, tales de quibus nemo possit conqueri.

Et simplices] id est integri , sinceri , innoxij.

Fili⁹ Dei sine reprehensione] immaculati, vt sitis sine querela & simplices , quemadmodum decet veros Dei filios , id est , ex Dei imitatione vitam ducentes inculpatam , & in quos non cadat reprehensio.

In medio nationis prava & peruersa: inter quos luctis sicut luminaria in mundo .] Monet vt in nocte huius sæculi quasi stellæ resplendeant , & resplendant, vult vt Christiani sint quasi stellæ , quæ in cælo fixæ non curant terrena, sed totæ intendunt, vt suos cursus , & motus peragant , lucemque spargant mundo, inquit Anselmus.

VER. 16. *Verbum vite continentis]* id est, lumen viuificæ fidei vobis prædicatæ, in vobis habentes, conservantes ac retinentes.

Ad gloriam meam in die Christi] id est, ad glorificationem mihi in die Christi , id est , in die iudicij , quæ erit dies Christi iudicis , declarans summam eius potestatem , dominium & imperium.

Quia non in vacuū cucurri , neque in vacuū laborauī] in prædicando vobis Euangeliō ; vt poteris qui per meam prædicationem egregiè proficeritis, ac lumina quædam mundi facti sitis.

Sed

Sed & si immolar supra sacrificium, & obsequium VER. 17.
fidei vestra, gaudeo, & congratulor omnibus vobis]
quasi dicat. Magni gaudij materia vobis erit,
valdēque vobis gaudendum erit, si me immola-
tum pro fide Christi & vestra, martyrioque affe-
ctum audieritis.

Id ipsum auem & vos gaudete, & congratulamini VER. 18.
mihi] gaudeatis, inquam, de bono vestro quod
iam habetis; mihi vero congaudeatis de bono
meo quod expecto. Verba sunt consolantis eos,
ne de ipsis morte, si contingat, tristentur, sed
potius gaudeant.

Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me cito VER. 19.
mittere ad vos] ob id nimirum ut rerum nostra-
rum ac profectus Euangelici certiores vos faciat.
quod utique ceder ad gaudium & consolationem
vestram.

Et & ego bono animo sim cognitis qua circa vos
sunt.] Supponit autem Timotheum bona ac læta
de Philippensibus renunciaturum; ut pote ex
animo sollicitum quo res Philippensium bene se
habeant.

Neminem enim habeo tam unanimem VER. 20.
alium habeo qui pari mecum animo & studio
curet ea quæ sunt Iesu Christi.

Qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit] qui
germanè, verè, cordatè, ea quæ circa vos sunt, id
est res vestras, curabit.

Omnis enim quæ sua sunt querunt, non quæ sunt VER. 21.
Iesu Christi] querunt autem sua, non quæ Iesu
Christi, qui priuata commoda præponunt glo-
riæ Christi, etiam in eo quod Christi nego-
tium agere videntur. *Omnis id est plurimi, valdē*
multi.

Expe

VER. 22. *Experimentum autem eius cognoscite] id est , ex-
perimento discite , probate qualis sit cùm apud
vos erit , & videbitis me non vanè eum com-
mendasse.*

*Quia sicut patri filius , mecum scriuuit in Euang-
elio.*

VER. 23. *Hunc igitur spero me mittere ad vos , mox ut vi-
dero que circa me sunt.] Hunc igitur spero me ad
vos missurum , statim ut video qualem sint exi-
tum habituæ res meæ , negotia mea , vincula
mea.*

VER. 24. *Confido autem in Domino , quoniam & ipse veniam
ad vos cito.*

VER. 25. *Necessarium autem existimauit , scilicet ad consola-
tionem vestram , interim dum Timothei ad vos
profectio differtur . Epaphroditum fratrem , & co-
operatorem , & commilitonem meum , vestrum autem
Apostolum , & ministrum necessitatis meæ , mittere ad
vos] id est , præmittere ante Timothei aduentum.
cooperatorem , scilicet in Euangelio , & Euangelij
prædicatione ac propagatione . Apostolum , id est
doctorem : qui eos in fide post Pauli discessum
instruxerat , inquit Chrysostom . Apostolum , id est
Episcopum , inquit Theodoreetus , & Baronius .
ministrum necessitatis sua ; quia Paulo vinclato ne-
cessaria vita alimenta à Philippensibus submissa
deferebat , & obsequia præstabat .*

VER. 26. *Quoniam quidem omnes vos desiderabat , supple
videre & reuisere , & moestus erat , anxius erat &
anxiè sollicitus . Græcum verbum significat gra-
uem animi mœrorem , vt cùm quis penè exani-
matur , ac præ dolore deficit . propterea quod au-
dierais illum infirmatum .] His verbis tacitè com-
mendat insignem Epaphroditum erga Philippenses
suos*

suos amorem ; vt pote ex quo tam modestudo quam desiderium hoc proficisceretur.

Nam & infirmatus est usque ad mortem , id est , ita ut esset morti vicinus : sed Deus misertus est eius] scilicet eripiens eum periculo , & sanitati restituens . quod quidem beneficium misericordia vocatur , quatenus est miseriae cuiusdam remotio .

Non solum autem eius , verum etiam & mei , ne tristitiam super tristitiam haberem] id est , ne dolorem quem patiebar ob infirmitatem eius , exciperet nouus dolor , idemque acerbior , ex eius morte .

Festinantis ergo misi illum , ut viso eo iterum gaudetatis , & ego sine tristitia sim .] Significat Apostolus sibi molestum fuisse , quod aberat ab eis Eaphroditus , atque hac parte doloris se leuandum per eius redditum .

Excipite itaque illum cum omni gaudio , in Dominino , excipite illum affectu Christiano , idque magno cum gaudio . & eiusmodi cum honore habetote] habete in pretio , ac debito honore afficite .

Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit .] Opus Christi , vocat visitationem Pauli incarcерati , propter Christum . accessit ad mortem , etenim pericolosum erat familiariis accedere , & secretiis colloqui cum eo cui Nero Imperator infensus erat .

Tradens animam suam] id est , non habita ratione vitae ; vitam suam negligens .

Vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium] ut plenè adimpleret vestrum defectum ministerij circa , vel potius erga me .

C A P V T III.

S V M M A R I V M.

Ostendit se gloriari quidem posse in carne, sed quae fuerant ei lucra, propter Christum arbitrari detimenta, ut assequatur iustitiam quae ex fide est. Hortatur ad perfectionem & sui imitationem. Deinde in Iudaizantes acriter inuehitur, ut ab eorum doctrina vigilantiū sibi caueant Philippenses.

VER. 1.

De cetero, id est, proinde, fratres mei gaudete in Domino, Christo, id est, eo gaudio quod & quale Christianos decet. eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, id est, non est mihi tedium aut molestum toties eadem vobis scribere. vobis autem necessarium.] q.d. Quod toties eadem scribo, facio ut vos corroborem faciamque tutiores, cautiores & vigilantiores, ne in errorem aliquem aut peccatum prolabamini.

VER. 2.

Videte canes.] q. d. Obseruate & cauete imprudentes & improbos Iudaizantes & haereticos, qui nos allatrant & mordent quasi canes. *Videte,* id est, videndo cauete.

Videte malos operarios] operarios subdolos, cauete & fugite pseudoapostolos, qui christianismum miscent & corrumput iudaismo, inquit Chrysost.

Videte (cauete) concisionem.] Concisionem vocat circumcisio[n]em, idque ut eam eleuet, & Chri

Christianis paruipendam doceat. quasi dicat. Circumcisio olim tam pretiosa, nunc post Christum , tantum est concisio , nihil aliud est, quam carnis sectio & concisio; inquit Chrysostomus.

Nos enim sumus circumcisio] quatenus scilicet in nobis spiritualis significatio circumcisionis impletur. Circumcisio cordis in spiritu, non litera. Rom. 2. Qui carnalia desideria pariter & Iudaicas ceremonias circumcidentes , & resecantes, spiritu seruimus Deo : quæ sola vera est , & Deo placens circumcisione, ita Theoph.

Qui spiritu seruimus Deo] hoc est , spiritualiter & mente, ut spiritu seruire Deo , sit ei seruire ex animo & secundum hominem interiorem, id est , cultu interno , quod est spiritualiter seruire. quasi dicat. Nos Christiani verè sumus circumcisi, qui spirituali fide , spe & charitate Deo religiosè seruimus.

Et gloriamur in Christo Iesu tanquam auctore salutis nostræ. Et non in carne fiduciam habentes] carnem vocat res externas & carneas, puta carnis circumcisionem , nobilitatem , legis scientiam, pharisæismum. ita Chrysost. Anselm.

Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. VERS. 4.
si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.] De iudaizantibus loquitur.

Circumcisus octavo die. significare voluit se non esse proselytum, id est, aduenam populi Dei. ex genere Israël] hoc est , ex prosapia Iacobi patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israël.

De tribu Beniamin] quæ fortissima fuit , primumque regem Saulem dedit toti Israëli.

Hebreus ex Hebreis oriundus. secundum legem Paulus Pharisæus] legem Mosaicam profitens. Act. 26. *sane est.*
Secun

VER. 3.
Christia-
ni veræ
circum-
cisionem
habent.

spiritu
seruire
Deo quid
sit.,

VERS. 5.

*Pharisæo patre na-
tus.* Secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. Act. 23. Ego Pharisæus sum, filius Pharisæi.

VER. 6. *Secundum emulationem, persequens Ecclesiam Dei]* tantus, inquit, in me fuit zelus & studium legis, ac paternarum traditionum; ut quidquid eis aduersarium videretur, impatienter ferrem, ipsamque adeò Christi Ecclesiam tanquam apostaticem legis, persequerer, per hoc existimans obsequium me præstare Deo.

Secundum iustitiam quæ in lege est, conuersatus sine querela] ita conuersatus coram hominibus, ut nemo de me queri possit, aut obiicere, quòd legem villa parte fuerim transgressus.

VER. 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta]* q. d. Has carnis excellentias quas iam recensui, quas olim cum Iudæus essem tanto in pretio habui, collegi, sepulsi velut mercator sua lucra; postquam Christi Euangelij veritatem & dignitatem agnoui, iam præ Christo, & propter Christum, habeo ut nullius pretij, imò & damna, puta impedimenta veritatis & salutis à Christo percipiendæ. ita Anselmus.

VER. 8. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei]* omnia quæ tunc magnificiebam, ut genus, sectam, legisperitiam, quam Gamaliele doctore accepi, & quidquid ad Christum me non promouet, arbitror esse detrimentum; hoc est, non solum inutile, sed etiam damnosum & noxiū: id que propter eminentem scientiam, siue propter eminentiam scientia, id est, ut assequar excellentiam cognitionis Christi & beneficiorum eius. addit autem

autem Domini mei , vt ardenter animi sui affectum erga Redemptorem suum declareret.

Proprius quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercore] non hæc in contemptum legis, sed iustitiae quæ ex lege est, ab Apostolo dicuntur. nec verò quisquam mirabitur legalem iustitiam ab Apostolo vocati stercore ; si cogitet eandem à Propheta vocari *immunditiam*, & comparari cum panno mulieris menstruatæ. sic enim in persona carnalium Iudeorum , iustitiam ex lege quærentium, loquitur Isaías cap. 64. &c.

Vt Christum crucifaciam] id est , vt bonorum eius particeps efficiar, habetur hæc participatio primùm quidem per fidem & notitiam Christi, verámque iustitiam ; deinde per consortium resurrectionis & gloriæ eius.

Et inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu] inueniar , id est existam , & vt sim in illo , scilicet Christo , sicuti palmes in vite , non habens meam iustitiam , id est , quæ mihi à meipso sit, eam nimirum quæ ex sola legis notitia habetur , quæ ex lege est : id est legalem , quæ ex legis obseruatione acquiritur absque spiritu fidei & gratiæ Christi ; sed quæ ex fide est Christi , hoc est , sed sim habens iustitiam quæ per fidem Christi gratis acquiritur.

Quæ ex Deo est iustitia in fide] iustitiam , inquam , quæ à Deo authore est , & fundatur in fide ; quia fides huius iustitiae fundamentum est. *quæ ex Deo est iustitia* , hoc est , quæ diuina est iustitia , à Deo manans , vt Deus nos faciat & habeat iustos , coramque eo verè iusti simus ; non autem humana , quæ ex lege est.

Christus
quomodo
lucrificat.

VERS. 9.

Iustitia
sola vera
est , quæ
ex fide est

VERS. IO

Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius] & ut cognoscam illum, nempe quis & quantus sit, vt pote Deus & homo, & cetera quae ad vitramque eius naturam pertinent. Item ut cognoscam virtutem seu potentiam resurrectionis & gloriae eius, nempe quod ea sit exemplaris causa nostrae resurrectionis & gloriae, quia nos ad eius similitudinem reformati sumus. Et ut cognoscam communicationem passionum eius, in quam venio, & quae mihi contingit, dum per passiones & mortis pericula quae pro nomine eius sustineo (sicut dicit se quotidie mori 1. Cor. 15.) conformis efficeri morti eius.

VERS. II

Si quo modo occurram ad resurrectionem que est ex mortuis] Sensus est: Compatior & commorior Christo, ut si quo modo possim, perueniam ad beatam resurrectionem mortuorum quam iusti expectant.

VERS. III.

Non quod iam acceperim, id est, apprehenderim, aut potius prehenderim, aut iam perfectus sim] q.d. Non ea mente dixi, quasi putem me iam apprehendisse hunc Christianae iustitiae apicem, hanc perfectam resurrectionis ac passionis Christi cognitionem, &c.

Sequor autem, si quomodo comprehendam] sequor, id est, persequor. significat autem insequi cum extremo conatu assequendi & apprehendendi. Sensus est: Nondum assetus sum perfectionem, ut mihi iam quiescendum sit, sed adhuc curro, contendo, persequor, ut illam, si queam, apprehendam. non loquitur de premio vitae aeternae, quod infra vocat brauium supernae vocationis, sed de perfectione cognitionis & vitae, ad quam

in

*Resurre
ctio Chri
sti causa
exempla
ris nostra
resurre
ctionis.*

in hoc seculo, post quantumlibet profectum,
semper adhuc aspirandum est.

*In quo & comprehensus sum à Christo Iesu] q. d. Chrysost.
Cùm pergerem Damascum ut Christianos cape- Ambros.
rem & vincirem, à Christo in via apprehensus
sum, &c. & hæc omnia hoc fine fecit Christus, vt
vicissim latagerem comprehendere tam ipsum,
quàm perfectionem Christianismi, &c. Sicut ali-
quando procul aberrans & fugiens à Christo,
comprehensus sum ab eo, per gratiam eius præ-
uenientem: ita nunc vicissim hanc præsto diligen-
tiam, vt totis viribus eum insequar, & nitar appre-
hendere virtutum perfectione.*

*Fratres, ego me non arbitror comprehendisse, unum VERS. 13
autem] subaudi, ago; id est, in vnam rem totus sum
intentus. Unum autem illud exponit Apostolus
sequentibus verbis.*

*Quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero que
sunt priora extendens meipsum] Obliuiscitur autem August.
operum præteriorum, quamvis iustorum, non Ambros.
quòd ea contemnat, sed quòd iis non contentus, Chrysost.
semper ad maiora & perfectiora nitatur. Tota
vita boni Christiani sanctum est desiderium pro-
ficiendi, inquit Augustinus.*

*Ad destinatum perseguor, id est, versus sco- VERS. 14
pum totus feror. ad brauium superne vocationis
Dei in Christo Iesu] Brauium propriè significat
præmium certantibus propositum. Ego, inquit, Brauium
ea quæ sunt à tergo relinquens, ad ea verò quæ quid pro-
sunt à fronte, meipsum extendens, oculis sem- priè signi-
per in scopum defixis, cursu contendō ad pal-
mam seu præmium regni cælestis, ad quod à
Deo vocati sumus per Christi fidem & merita.
Aliud est scopus, aliud præmiū, seu palma, seu co-*

*Scopos si-
gnū sa-
gittanti-
bus pro-
positum
significat* rona. Apparet per scopum seu destinatum intelligi perfectionem illam de qua dicebat. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, &c. Per brauium verò seu palmam significari præmium supernæ beatitudinis, ad quod obtinendum currere se dicit, habendo oculos semper intentos in scopum perfectionis propositæ. In Christo Iesu, per Christum Iesum, per Christi merita, ita Chrysostomus quasi dicat Deus hoc brauium nobis proposuit, & ad illud nos vocat per merita Christi.

VERS. 15
Perfecti
quianam
censendi.

Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus] Perfectos dicere videtur, quos alibi spirituales, & firmiores, & perfectos vocat; id est, sapientiae sublimioris capaces, & percipientes ea quæ sunt spiritus Dei, & eos qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Quicunque ergo perfecti sumus, id est, intelligentia rerum diuinarum cæteris præstamus, vel re ipsa, vel nostra, aut aliorum opinione; hoc sentiamus quod ego de me ipso iam professus sum, scilicet, nos nondum apprehendisse aut perfectos esse, sed adhuc multa nobis deesse, ideoque nos eorum quæ retrò sunt oblitos, semper ad anteriora debere extendi.

Et si quid aliter sapitis, vel sentitis, & hoc vobis Deus reuelauit] legendum reuelabit. Et si qui vestrum aliter sentiunt de ea re de qua iam egi, nimirum arbitrantes se iam apprehendisse perfectionem, ut proficere ultra non debeant: equidem confido Deum vobis qui tales estis, etiam hoc quod sentiendum dixi, reuelaturum per internam inspirationem atque doctrinam. Obiter significat Dei donum esse, quod quis recte sapit, & im-

& imperfectionem suam agnoscit. Deus hoc reuelat, dum homini seipsum, & sua vitia sensim patefacit, &c.

Verumtamen ad quod peruenimus, ut idem sapimus; in eadem permaneamus regula] interim quantum ad id quod de rebus diuinis iam asscuti sumus; hortor vos omnes, eadem regula doctrinæ & fidei incedere, eandemque regulam tenere, & idem sapere, id est, concordes esse. Regulam vocat legem & fidem Christi.

Imitatores mei estote fratres, vna cum aliis qui me imitantur. Sicut alios videtis esse studiosos mei imitandi, ita & vos facite. & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram] id est, nos ut formam & exemplar. & obseruate siue considerate eos, qui vitam suam instituunt ad exemplar, quod ego vobis præbui, quodque à me accepistis; & eos imitamini.

*Multi enim ambulant, subaudi: aliter quam ego: VERS. 18
quia ego prædico & sequor Christi crucem, & austera vitam, illi & verbo & facto Christi crucem negant, quos sape dicebam vobis (subaudi:esse) nunc autem & flens dico] Flentem se introducit, ut commendet amorem suum erga Philippenses, quorum periculum metuebat.*

Inimicos crucis Christi] qui iustitiam prædicabant ex lege quærerendam; ut bene Thomas annotat: quamuis in Christum crucifixum credere se dicherent, ex consequenti tamen hostes crucis Christi, se declarabant, quia, sicut alibi dicit, Gal. 2. Si per legem iustitia; ergo gratis Christus mortuus est. Græci inimicos crucis Christi interpretantur eos, qui voluptates & luxum huius vitæ se-stantes, crucem Christi videntur odiisse; utpote

VERS. 16

Paulus
seipsum
proponit
imitan-
dum.

quæ non ad delicias, sed ad labores & austoritatem
vitæ nos inuitet.

VERS. 19. *Quorum finis interitus*] id est, qui ad extremum
interibunt ac perdentur: loquitur autem de æter-
na perditione.

Quibus Deus sit venter est] nam ventrem habent
Deus sit venter. pro Deo, quia causa ventris omnia faciunt, id est,
finem constituunt in deliciis cibi & potus: Hu-
iusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo
ventri. Rom. 16.

Et gloria in confusione ipsorum] id est, in dede-
core, ignominia, turpitudine, pudore ipsorum,
& qui gloriantur in iis quorum ipsos oportebat
pudere, id est, in flagitiis & malè factis, &c.

Qui terrena sapiunt] quorum cor terræ affixum,
non nisi terrestres habet affectus, non nisi ter-
restria bona amat, desiderat, curat, cogitat, pro-
sequitur.

VER. 20. *Nostra autem conuersatio in cælis est*] Pro conuer-
satione Græcè est conuersatio civilis, id est, ci-
vium inter se: tanquam dicat Apostolus, Ciuitas
nostra, in qua ut ciues conuersamur, in cælis est;
itaque nos non terrena sapimus, sed cælestia. Hoc
enim est conuersationem habere in cælis, cælestia
sapere, querere, meditari.

Vnde (ex quo scilicet cælo, vel ex quibus cælis)
etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Ie-
sus Christum] ut veniens ad iudicium nos fide-
les, ad cælestia anhelantes, cælo adiudicet, & in
cælo secum triumphantes ducat. Nota. Saluare
propriè est rem amissam aut perditam recuperare,
sic Christus dicitur Salvator, quia nos nobis,
puta primævæ nostræ integritati, spei, saluti, & fe-
licitati restituit.

Qui

VERS. 21
Corpus
humilita
tie quo-
nam.

*Qui reformabit corpus humilitatis nostræ , configu-
ratum corpori cliritatis suæ] Pro reformabit , Græcè
est transfigurabit, transformabit, hoc est,in aliam
figuram & formam commutabit , vt scilicet ex
corruptibili faciat corpus incorruptibile, ex passi-
bili impassibile, ex terrestri cælesti. Sensus : Qui
transmutabit corpus nostrum humile, vile, miser-
riis & corruptioni obnoxium, vt sit tale, quale est
corpus ipsius gloriosum.configuratū corpori , Græ-
cè est, vt fiat conforme corpori claritatis Christi.
Syrus vertit , vt fiat in similitudinem corporis
gloriae suæ. Papæ , inquit Chrysost. illine qui ad
dexteram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus?
illi , qui adoratur ab Angelis ? illi , cui astant in-
corporales illæ virtutes? illi , qui est super omnem
principatum, potestatem & virtutes , illi confor-
me fiet ? &c:*

*Secundum operationem qua etiam possit subiucere
sibi omnia] Causam dat huius transformationis,
potentiam scilicet, ac potentem Christi operatio-
nem , qua potens est subiucere sibi omnia,&c. er-
go facile ipse est , vt suo iussu faciat corpora no-
stra corrupta resurgere ad immortalitatem & glo-
riam. ita Chrysost. Christus efficaciter potest om-*

*nia sibi subiucere : ergo potest conformare
corpora nostra mortalia corpori suo
gloriose , idque adeò facturus
est , quia facturum se
promisit.*

* * *

C A P V T . I V .

S V M M A R I V M .

Hortatur ut gaudeant in Domino, & assidue cogitent ea quae sunt pietatis. Laudat eos quod necessitati suae subuenerant, idque facit ipsorum potissimum causa. Postremo bene iis precatur.

VERS. 1. **I**taque fratres mei charissimi & desideratissimi] q. d. Amabiles & desiderabiles; id est, quos meritò amet, quorūmque præsentia frui desideret. sic enim dixit, cap. 1. Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.

Gaudium meum, & corona mea] Vocat eos gaudium suum, quia de eorum fidei constantia gaudebat; quanquam hoc gaudium adhuc augeri vult per eorum profectum: Implete, inquit, gaudium meum, cap. 2. *Coronam autem suam eos vocat*, quod essent vel ornamentum capitis eius, de quo gloriari posset; vel potius, quia pro labore prædicationis Euangelicæ, qua eos ad Christum adduxerat, coronam à Deo expectabat. de qua 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam, &c.*

Sic state in Domino, charissimi] hoc est, quod paulò antè admonui, ut sitis vnanimes in fide Christi, in eo perseverate. State & constanter persistite in Domini Christi fide, spe, gratia, iustitia, eo modo, quo in iis standum esse docui.

Euodi

Eudiam rogo, & Syntychen deprecor, id ipsum sapere in Domino.] Duæ hæ feminæ primariæ erant inter Christianos Philippis, quæ rem Christianam promouere satagebant, inter quas aliquid dissidij coortum fuerit. eas rogat &hortatur, ut idem sapiant, siue sentiant, in Domino, id est, ut concordes sint in charitate Christi.

Etiā rogo & te germane compar] hīc vocat solum & collegam suum, insignē scilicet aliquem doctorem. quisquis autem fuerit, multū ab Apostolo honoratur, dum eum vocat germanum, hoc est, sincerum adiutorem, ac laboris socium. illum igitur virum, tacito eius nomine compellans, rogit ut faciat quod sequitur.

Adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio.] Duas feminas intelligit, quas modò nominauit. Illæ, inquit, versantur in opere ad utilitatem Ecclesiæ pertinente: hoc opus & tu cum iis capesse, eisque adiuua; ut sensus sit: Suscipe eorum infirmitatem, eisque inter se reconcilia: adiuua eas, quæ me adiuuerunt in certamine; vel, suscipe eas, quæ me suscepserunt officio suo usque ad periculum.

Cum Clemente & ceteris adiutoribus meis.] Ex mulieres vna cum Clemente ceterisque Pauli cooperariis, Paulo sociæ & adiutrices fuere laboris ac certaminis in Euangeliō. hic est Clemens Romanus discipulus SS. Petri & Pauli, qui Petro post Linū & Cletū in pontificatu successit.

Quorum nomina sunt (scripta) in libro vitæ] id est viuentium, siue eorum qui conscripti sunt ad vitam æternam. q. d. *Quorum multo felicius alibi scripta nomina, quam si hīc ascriberentur;* scripta sunt enim in libro vitæ.

VER. 4.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete]
 quām frequentissimē excitate ac renouate in vo-
 bis gaudium spirituale, recolentes animo ineffa-
 bile beneficium vocationis vestræ, qua vocati
 estis per fidem in spem vitæ & gloriæ æternæ.

VER. 5.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.] Si-
 gnificat autem eam vitæ ac morum compositionem,
 qua quis cum aliis hominibus, omni iustitia,
 æquitate, modestia, facilitate conuersatur, quam
 & Ambrosianus rationabilem conuersationem
 exponit. Exigit Apostolus à fidelibus agentibus
 inter infideles, vt per hanc eorum conuersationem
 bene ubique audiat nomen Christianum, unde
 & Petrus 1. epist. 2. ait: Conuersationem ve-
 stram inter Gentes habentes bonam, &c.

Dominus prope est] id est, Christus iudex appropinquat, vt veniat ad iudicium, vt coronet nostram patientiam & modestiam, vt gaudium nostrum compleat, vtque hostium nos persequantium iniurias vindicet & puniat.

VER. 6.

*Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obser-
 catione, cum gratiarum actione petitiones vestre in-
 notescant apud Deum]* in omni subaudi re & negotio,
 de quo solliciti estis. oratione, id est, per ora-
 tionem & instantem ac feruentem obsecratio-
 nem iunctam cum gratiarum actione petitiones
 vestras notas facite, & exponite Deo, vt eius
 opem flagiteris & impetratis.

VER. 7.

*Et pax Dei qua exuperat omnem sensum, custodiat
 corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu]*

Pax Dei Pax Dei, est reconciliatio quam fecit Deus cum hominibus, quando olim eis iratus, iam per Christum factus est placatus, inquit Chrysostomus.
Hæc pax omnem intellectum superat, quia om-

hem

nem opinionem & expectationem humanam excedit, quod Deus pro inimicis sibi reconciliandis, filium suum dederit in mortem. In Christo, id est, in Christi fide, & gratia maneat & crescat.

De cetero fratres quaecunque sunt vera] id est, VERS. 8.
sincera & aliena ab hypocrisi.

Quaecunque pudica] id est, honesta, verecunda.

Quaecunque iusta] Significat eam iustitiam quae est specialis virtus.

Quaecunque sancta] id est, pura sive casta. *santum* enim dicitur, quod est incontaminatum.

Quaecunque amabilia] id est, talia per quae sitis amabiles hominibus. nihil sit in moribus aspernum, nihil quod offendat eos cum quibus conuersamini.

Quaecunque bona fama] quae vobis & Christo, ac christianismo nomen & famam concilient.

Si qua virtus, si qualitas discipline] id est, disciplina morum laudabilis.

Hec cogitate ut ea faciatis & exequamini.

Qua & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me.] q.d. Hæc à vobis exigo, quae & docui vos, & tam absens quam præsens opere atque exemplo monstravi.

Hec agite.] Exponit enim quod dixerat, *hec cogitate*, ut ostendat non nudam cogitationem se exigere, sed eam quae cum actione seu praxi sit coniuncta.

Et Deus pacis erit vobiscum] quae si feceritis, Deus author pacis erit vobiscum per insigne illud & incomprehensibile donum eiusdem pacis, de qua paulo antè: id est, eam pacem Deus vobis cumulabit.

Gauisus

VER. 10. *Gauisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando (post longiorem moram & torporem) refloruitis pro me sentire] pro me solliciti esse, meique curam habere, &c.*

Sicut & sentiebatis, id est, animum gerebatis pro me sollicitum; nec deerat largiendi voluntas, sed oportunitas. occupati autem eratis] id est, oportunitatem non habebatis.

VER. 11. *Non quasi propter penuriam dico, id est, respi- ciens ad penuriam quam patior, quasi meum commodum hic spectem. ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse] hoc est, ego didici contentus esse iis quae habeo: tanquam illa mihi suf- ficiant.*

VER. 12. *Scio & humiliari, scio & abundare, (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati] humiliari, hic signifi- cat esse inopem & indigum, vnde ei opponitur, abundare. q.d. Scio ferre penuriam, scio ferre & abundantiam.*

VER. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat] omnia iam enumerata, & alia quæcunque perferenda mihi sunt, possum & præsto per eum, qui mihi ad hæc omnia vires subministrat, quique omnia hæc in me operatur; scilicet per Christum.*

VER. 14. *Verumtamen bene fecistis communicantes tribu- lationi mee] id est, quod mihi res vestras & fa- cultates communicastis in tribulatione mea, cum vincitus essem, bene fecistis; sicut participes vos facere & communicare voluistis mee tribulatio- ni & vinculis, sic & præmio.*

VER. 15. *Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Euangelij, scilicet à me vobis prædicati, de quo Act. 16. quando profectus sum à Macedonia, id est, quando*

quando Macedoniam in qua vos estis, reliqui, & transiui in Achaiam, Act. 17. nulla mibi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli] compensando scilicet spiritualia à me accepta datis suis temporalibus donis, vel potius stipendiis. ita Chrysostomus.

*Quia & Thessalonicam semel & bis (semel & ite VER. 16.
rum) in usum (id quo indigebam) mibi misisti.*

*Non quia quero datum, sed requiro fructum abundanter in ratione vestra] si quid à vobis accipio,
vestrum est lucrum & commodum, vester fru-
ctus ex hoc augetur, &c.*

*Habeo autem omnia, & abundo] id est, recepi ea VER. 18.
quæ ad me misisti, adeò largè, vt nunc abundem. hoc addit, vt intelligamus facile abundare
eum qui in re modica ac tenui contentus est.*

*Repletus sum, q.d. Omnis mea penuria, omnis
fames, omnis egestas, omne desiderium meum
expletum est, acceptis (postquam accepi) ab Epa-
phrodito quæ misisti, odorem suavitatis, hostiam ac-
ptam, placentem Deo.*

*Deus autem meus impleat omne desiderium ve-
strum secundum diuitias suas] q.d. Facile est Deo
vobis rependere, vos ditare, vestra vota explere,
est enim ditisissimus. ita Chrysostomus.*

*In gloria, in Christo Iesu] q.d. Ita precor vobis
à Deo rerum huius vitæ sufficientiam, vt ea vo-
bis cedat ad gloriam vitæ æternæ per Christum.*

*Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculo-
rum: amen] de his omnibus bonis quæ præstisti-
stis, & quæ speratis; glorificetur Deus, pater no-
ster, in omnem æternitatem. addit amen, illud
sollempne, quo precationem confirmet. q.d. Vehe-
menter opto & precor, vt fiat quod dico.*

Amen
quid si-
gnificet.

VER. 21.

Salutare omnem sanctum in Christo Iesu] id est Christianum, qui baptismō sanctificatus est per Christum, & professione ac vocatione Christiana sanctus est.

VER. 22.

Salutant vos qui mecum sunt fratres] id est, qui circa me sunt: ut qui mihi vincēto ministrant, qui me visitant, qui mecum hīc in Euangēlio laborant.

Salutant vos omnes sancti] scilicet qui Romæ sunt, id est, omnis Romana Ecclesia.

Maxime autem qui de Cæsarī domo sunt] domo, id est familia. Cæsarem Romanum intelligit; nec aliud quam Neronem, sub cuius potestate vincētus erat.

VER. 23.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro: amen.] Sensus est: Deus per Christum det vobis, & multiplicet beneficia gratiæ suæ. Scripta est Romæ è vinculis primis.

COM



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD COLOSSENSES.

C A P V T P R I M V M .


S V M M A R I V M .

*Gratias agit Deo de Colossemum fide , simul
orans ut eiusdem complementum accipient.
Christi prædicat excellentiam & primatum
supra omnia : qui Ecclesiam Patri reconciliavit . se declarat eius ministrum ad fidei
mysterium patefaciendum Gentibus .*

PA V L Y S Apostolus Iesu Christi per VER. 1.
voluntatem Dei , & Timotheus frater]
Passim Apostolus se à Deo & Christo
missum significat , ut falsos do-
ctores , qui non mittuntur à Deo ,
sed sua sponte docendi munus assūmunt , per-
stringat & excludat .

*Eis qui sunt Colossis , sanctis & fidelibus , fratribus VER. 2.
in Christo Iesu] id est , Ecclesiæ Colossemum .*

hoc



hoc nomen sancti, monet Christianos ut assidue
studeant sanctitati & perfectioni.

VER. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Do-*
mino Iesu Christo] supple, donetur & multiplice-

Gratia complectitur omne genus beneficio-
rum Dei, quæ ad salutem spectant vitæ æternæ.

Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu
Christi, semper pro vobis orantes.] Scribit Aposto-
lus se & Timotheum semper in orationibus suis,
id est, cum orant, gratias agere Deo pro benefi-
cis in Colossenses collatis, de quibus sequitur.

VER. 4. *Audientes fidem vestram in Christo Iesu] id est*
audita fide, qua creditis in Christum, vel quam

Fides
Dei do-
nnum est.
habetis de vniuerso Christi mysterio. hinc sequi-
tur, fidem esse donum Dei; nam gratiarum actio,
gratiae testificatio est.

Et dilectionem quam habetis in sanctos omnes.]
Sensus, Et audita charitate vestra quam exercetis
erga quoscunque fideles.

VER. 5. *Propter spem id est, bona sperata) qua reposita est*
vobis in cœlis, quam audistis in verbo (per verbum)
veritatis Euangeli] q.d. In verbo veritatis quæ est
ipsum Euangelium ut ipsam veritatem vocet.

VER. 6. *Quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo*
est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, sicut & in
vobis, subaudi, fructificat & crescit. ex ea die
qua audistis & cognovistis gratiam Dei in veri-
tate.

VER. 7. *Sicut didicistis ab Epaphra carissimo conseruo no-*
stro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu] id
est, qui est fidus ac sincerus Christi minister, in
procuranda salute vestra.

VER. 8. *Qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram*
(quam habetis erga me & omnes Christianos)

in spiritu] id est, spiritualem, quæ sola vera, firma ac solida est dilectio, Dilectionem in spiritu, id est, à Spiritu sancto, qui in vobis est, non autem à carne manantem, ait Anselmus.

*Ideo & nos ex qua die audiuiimus] scilicet hæc VERS. 9.
bona de vobis, ut fidem dilectionem, &c.*

*Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, ut
impleamini agnitione voluntatis eius] qua Deus
voluit & decreuit nos sibi reconciliare, iustifi-
care & saluare per Christum.*

*In omni sapientia & intellectu spirituali] spirituali,
id est, à Spiritu sancto profecta.*

*Vi ambuletis digne Deo per omnia placentes] Sig. VER. 10.
niscitat dignè Deo ambulare, non esse aliud, quam
Deo per omnia placere.*

*In omni opere bono fructificantes] id est fructum
omnis generis bonorum operum ferentes.*

*Et crescentes in scientia Dei] Crescit in agnitione
sive scientia Dei, qui in diuinorum mysteriorum
notitia quotidie proficit.*

*In omni virtute confortati, omni robore cor-
borati. secundum potentiam claritatis eius] magna
virtute corroboremini, iuxta potentiam glo-
riosam illius scilicet Dei. quia potentia Dei reluc-
et & glorificatur in fortitudine & patientia
Christianorum; velut causa in effectu.*

*In omni patientia & longanimitate] hinc patet
veram fortitudinem sitam esse in patientia.*

*Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos
nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine] Sensus
est: Qui dignatus est nos assumere in partem her-
editatis electorum, & sanctorum suorum; id est,
qui nobis dignitatem & excellentiam illam
contulit, ut essemus inter sanctos & electos*

Q. eius,

eius, scilicet participes eiusdem cum illis hereditatis cælestis. Sap. 5. Inter sanctos sors illorum est. Hereditas sanctorum vocatur sors: quia nulli hominum ad eam ius habebant. nos sorte vocati sumus ad fidem & gratiam. Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, ait Petrus.

VER. 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum]* id est, è potestate diaboli. Vocatur autem diabolus tenebræ, quia per peccatum totus factus est tenebrosus, utpote totus à Deo, qui vera lux est, auersus.

Et transtulit in regnum filij dilectionis sua] id est, filij sui dilecti, veri, proprij & vnici filij sui, vnicèque dilecti, ait Theodoreetus: qui transtulit nos in regnum filij sui dilecti. Ephel. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo. huius filij regnum Apostolus Ecclesiam intelligit. hæc enim & corpus est & regnum Christi, & domus Dei.

VER. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum]* Redemptio nostra à seruitute peccati re ipsa non est aliud quam remissio peccatorum.

VER. 15. *Qui (filius) est imago Dei (Patis) inuisibilis]* Cösequenter ab excellentia personæ redimentis, beneficium redemptionis commendat, ostendens quis & quantus sit Christus. Et igitur Filius imago Dei, quia perfectissima Dei similitudo est, ab eo expressa, per generationem qua ex illo natus est. Filius est Verbum Patris, Patri omnino simile & æquale, adeoque eiusdem plane cum Patre essentiæ.

Primogenitus, omnis creatura] Primogenitus huc idem est quod vngenerus. Dicitur vero Christus primogenitus; quia primo, puta ante omnem crea-

genitus
omnis
creatu-
ra.

creaturam, est genitus, utpote ab æterno, & per hoc, omni creatura præstantior, atque in vniuersam creaturam principatum habens.

Quoniam in ipso condita sunt vniuersi, in celis, & in terra. In ipso, id est, per ipsum, visibilia & invisibilia] id est, corporeæ & incorporeæ, tam angelicæ quæ homines sunt à Filio creati. VER. 16.

Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.] Pro in ipso, græcè est in ipsum, puta ad ipsius gloriam, creata sunt omnia. ita Vatablus.

In ipso] significat immensitatem Filij, scilicet Filium esse ubique per essentiam, præsentiam & potentiam, adeo ut extra se nihil creare vel agere possit, sed omnia quæ creat & agit, in seipso creeret & agat. In ipso, ut significet Filium consortem imperii, immensitatis, potentiae & essentiæ paternæ.

Et ipse est ante omnes] vel ante omnia: quod Deo maximè proprium est. ita & Christus in Euangeliō, Ioann. 8. Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum. VER. 17.

Et omnia in ipso constant] hoc est, omnia per eum consistunt & conseruantur.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ] Hactenus egit de Christo ut Deo, eiisque diuinitatem ostendit: iam agit de Christo ut homo est, & Christi hominis dignitatem ostendit. Christus enim quæ homo est, non quæ Deus, est propriè caput Ecclesiæ. VER. 18.
Christus
caput Ec
clesia,
quo sens-
su.

Qui est principium, Christus est principium, id est, fons, dux, & auctor resurrectionis & resurgentium ex mortuis. primogenitus ex mortuis] id est, primò resurgens ex mortuis ad vitam immortalē.

*Vt sit in omnibus ipse primatum tenens] primo-
genitus est omnium mortuorum, qui beata do-
nabuntur immortalitate.*

VER. 19. *Quia in ipso (Christo) complacuit (Patri) omnem
plenitudinem inhabitare] id est, omnem perfectio-
nem tum sapientiae, tum gratiae, tum potestatis,
tum denique ipsius diuinitatis. Inhabitare, in-
quam, non tantum per vim & operationem, sed
etiam per seipsum suamque essentiam. ita The-
ophyl. & Anselmus.*

VER. 20. *Et per eum reconciliare omnia (id est, omnes ho-
mines) in ipsum] id est, sibi.*

*Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quae in
terris, siue quae in celis sunt] id est, homines & An-
gelos inter se: quod fit, dum per Christum tolli-
tur obstaculum peccati, quod homines ab Ange-
lis ditimebat. Deus Pater voluit per Christum
omnia, nimirum cælestia atque terrestria, id est,
Angelos & homines inter se reconciliare, vniuen-
do eos tanquam unum corpus in Christo, ut cap-
ite; pace inter eos composita per sanguinem
eius in cruce effusum, quo peccatum, quod erat
inimicitiae causa, deletum est.*

VER. 21. *Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici
sensu in operibus malis] Pro sensu, græcè est, mente
& voluntate, id est, per mentem & voluntatem:
vos olim alienati & inimici mente.*

VER. 22. *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius
per mortem, exhibere (vt exhiberet) vos sanctos &
immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso] id est,
in conspectu eius, nempe Dei Patris.*

VER. 23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabi-
les] id est, pro fundamento fidem stabiliter
retineatis.*

Et

*Reconciliator no-
ster Chri-
stus fuit.*

Et immobiles à spe Euangelij quod audistis] id est, neque patiamini vos dimoueri à spe bonorum cœlestium , quæ promittit Euangelium quod audiuitis.

Quod predicatum est in uniuersa creatura que sub celo est] hoc est, per omnes gentes, aut per vniuersum mundum. Videte ergo , ô Colossenses , ne fidem mutetis , quæ à toto orbe iam recepta est.

Cuius factus sum ego Paulus minister] id est, cuius Euangelij prædicandi munus ac ministerium mihi Paulo à Christo Domino concreditum est.

Qui nunc gaudeo in passionibus (siue afflictionibus meis) pro vobis] id est, quas pro vobis sustineo. VER. 24.

Et adimpleo ea que desunt passionum Christi , in carne mea , pro corpore eius , quod est Ecclesia] q. d. Patiendo in carne mea , adimpleo ea quæ desunt passionibus, quas passus est Christus in carne sua. q.d. Multis laboribus , sudoribus & afflictionibus opus est ad colligendam Ecclesiam, hominésque ad fidem vocandos, & ad salutem perducendos. vt iam ego vincula hæc patior in carne, vt ea quæ desunt passionibus Christi, in Gentium conuersione procuranda ego adimpleam, multaque patiar pro corpore Christi , quod est Ecclesia , vt nimis inter Gentes Ecclesia propagetur, crescat & perficiatur, passionisque ac redemptionis Christi planè fiat particeps. passionibus Christi deest aliquid , non in se , sed in nobis

*Passionis
Christi
qua de-
sunt, quo
sensu ad-
implean-
tur.*

Cuius (scilicet Ecclesiæ) factus sum ego minister secundum dispensationem Dei , qua data est mihi in vobis] vt dispensem toti familiae, id est singulis fidelibus , bona & dona Dei Domini mei. VER. 15.

Vt impleam verbum Dei] id est, plenè prædicem verbum Dei, & compleam prædicationem Euangelij, quam cœpit Christus.

VER. 26. *Mysterium (verbum Dei vocat mysterium) quod absconditum fuit à seculis & generationibus] Loquitur autem de mysterio vocationis Gentium. Sensus est: Mysterium hoc absconditum & incognitum fuit hominibus omnium præcedentium sæculorum & generationum. sic Ephel. 3. Quod aliis generationibus non est agnitus filiis hominum.*

Nunc autem manifestatum est sanctis eius] Huius expositio est illud ad Ephesios: Sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu.

VER. 27. *Quibus voluit Deus notas facere dinitias glorie, id est, diuitem, locupletem, & bonis spiritualibus abundantem gloriam, sacramenti (mysterij) huius in Gentibus, quod, scilicet sacramentum vel mysterium, est Christus, qui in vobis est, spes gloriae] id est, spes gloriosa: quia videlicet per Christum magnifica & gloriosa bona speratis vos adepturos.*

VER. 28. *Quem nos annunciamus] quem Christum nos Apostoli mundo annunciamus.*

Corripientes omnem hominem] Erat autem totum genus humanum in peccatis & ignorantia Dei; ac propterea de his corripiendum.

Et docentes omnem hominem in omni sapientia] vt sensus sit: Instituentes omnem hominem in perfecta cognitione Dei & mysteriorum fidei, quæ est vera sapientia. sic Augustinus, Anselmus.

Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu] id est, vt omnem hominem reddamus,

mus, & Deo sistamus perfectè instructum in his
quæ ad fidem & cognitionem Christi pertinent.

*In quo (ad quod) & labore certando] id est, in VERS. 29.
quem finem etiam emitur, multumque labore,
cum difficultate & periculo decertans.*

*Secundum operationem eius, quam operatur in me
in virtute] Sensus est: Decertans secundum effi-
caciem ac potentem operationem seu motionem
Christi in me. In virtute, id est, potenter, validè, &
efficaciter; patrando scilicet miracula tot & tan-
ta, dando tantam efficaciam verbis meis, ut om-
nium corda penetrant & conuertant; suggeten-
do animos, vires ac zelum, ut ignea charitate, &
ignea lingua prædicem, omnibusque ignem hunc
diuini amoris afflém & aspirem.*

CAPVT II.

S V M M A R I V M.

*Admonet Colossenses ut sibi caueant ab impo-
sturis pseusoapostolorum; ostendens Chri-
stum in cruce, deleto peccato, de diabolo
triumphasse. Anocat eos ab observationibus
legalibus, & à falsa Angelorum religione, ac
à superstitione ciborum.*

VOLO enim vos scire qualem sollicitudinem ha- VERS. 1.
beam pro vobis. Græcè quantum certamen
habeam de vobis, id est, sustineam pro vobis.
& pro iis qui sunt Laodicea. & quicunque nō viderunt
faciem meam in carne] id est, faciem carnis. Volo vos

scire quantum laboris sustineam pro vobis & pro
Laodicensibus, & pro cæteris qui me non vide-
runt.

VERS. 2. *Vt consolentur corda ipsorum]* Consolentur, id est,
consolationem accipient.

Instructi in charitate] id est, cum fuerint instru-
cti in charitate.

Et in omnes diuitias plenitudinis intellectus] &
cum fuerint introducti in omnes diuitias, id est,
largissimam copiam plenæ intelligentiæ, & cum
fuerint plenè edocti, scilicet de mysterio, ut se-
quitur.

In agnitionem mysterij Dei Patris & Christi Iesu] ut scilicet in omnibus mysteriis fidei, quæ per-
tinent ad agnitionem Dei Patris & Christi Iesu,
instructi, & plenè persuasi, planèque intelligen-
tes sitis.

VERS. 3. *In quo (scilicet Christo) sunt omnes thesauri sa-
pietia & scientie absconditi]* Communis expositio
thesauri in Christo sunt ut Dei
Verbo. Cum dicit thesauros, copiam ac multitu-
dinem ostendit; quod addit, omnes, nihil omnino
esse quod ignoret; quod autem subiungit, *absconditi* seu reconditi, ipsum solum omnia scire decla-
rat, ab eoque scientiam & sapientiam omnem
petendam esse: nam Christus est ipsa sapientia, &
per se cognitio.

VERS. 4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiatur in sublimi-
tate sermonum]* hoc autem quod dixi de excel-
lentia scientiæ Christi, propterea dico, ne allecti
specioso nomine scientiæ, quam quidam promit-
tunt, finatis vos circumueniri probabilibus, sed
falsis argutiis humanatum ratiuncularum.

VERS. 5. *Nā et si corpore absens sum, sed spiritu vobis sum]*
spiriti

spirituali oculo & cura vobiscum sum, quia spiritu & mente vos saepe contemplor.

Gaudens & videns ordinem vestrum] cum gaudio intueor. videbat autem in spiritu ex iis quæ retulerat ad eum Epaphras. Ordinem, id est, bonam ordinationem, quo bene & ordinatè omnia fiunt.

Et firmamentum eius qua in Christo est fidei vestre] hoc est, & videns firmitatem, soliditatem, constantiam fidei vestre in Christum, id est, qua in Christum credidisti.

Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate] id est, in ipsius fide & institutione ambulate. VERS. 6.

Radicati & superadificati in ipso, & confirmati inde] Græcè, in fide, scilicet Christi. VERS. 7.

Sicut & didicisti] sicut edocisti estis.

Abundantes in illo in gratiarū actione] non solùm volo vos esse confirmatos in fide; verùm etiam in ea proficere, & proficiendo abundare per pleniorē mysteriorum Christi cognitionem; idque cum gratiarū actione erga Deum, ut auctorem huius totius boni.

Videte ne quis vos decipiatur per philosophiam & inanem fallaciam. secundum traditionem hominum] Respicit autem Apostolus ad dogmata philosophica scholæ Simonianæ. VERS. 8.
Philos-
phiā dā-
nat Apos-
tulus,

Secundum elementa mundi] sacerularis ac mun- danæ philosophiæ rudimenta. quam?

Et non secundum Christum] id est, secundum doctrinam de Christo vobis traditam; sed magis contra Christum eiisque doctrinam.

Quia in ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter] id est, reuera, realiter, & substantialiter. Sensu est: In ipso plena deitas VERS. 9.

inhabitat, non solummodo per gratiam, & mirabilium operum efficientiam; sed corporaliter, id est, per vniōnem ipsius diuitiatis cum corporeā substantia seu carne humana, in persona Verbi, iuxta illud, Verbum caro factum est.

VER. 10.

Scientia plenitudo dinem a Christo expectare debent fideles.

Et estis in illo (Christo) repleti] & vos per illum repleti estis scientia, aliisque donis salutaribus, itemque amplius etiam implendi; &c.

Qui est caput, omnis principatus & potestatis] qui non solum vestrum est caput, dona sua vobis communicans; verum etiam caput est omnium ordinum Angelorum, quantacunque sint potestate prædicti.

VER. 11.

In quo & circumcisisti estis circumcisione non manu facta] id est, ea quæ sit sine manibus.

VER. 12.

In expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo] q. d. Circumcisisti estis illa Christi circumcisione, quando simul cum eo sepulti estis in baptismo, id est, tune quando baptizati estis.

In quo (scilicet Christo) & resurrexisti] in novam vitam, nouos mores, nouum spiritum, quem accepistis in baptismo.

Per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis] Sensus est: Per fidem qua credidisti efficacem & potentem operationem Dei, qua Christum à morte suscitauit, hoc est, per fidem resurrectionis eius diuina virtute factæ.

VER. 13.

Et vos cum mortui essetis (priuati vita gratiæ) in delictis, & preputio carnis vestrae, coniūficiavit cum illo, donans (condonans & gratis remittens) vobis omnia delicta] Per preputium carnis intelligit incircumcisionem carnis, qua scilicet quis desideria & concupiscentias carnis non refecat, non circumcidit,

cedit, sed eas pronus sequitur, eisque obedit & indulget.

*Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis] chirographum decreti, est obligatio ad pœnam æternam iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in Adamum & posteros eius peccantes latam. huic enim obligationi ad pœnam æternam sponte peccando quasi manu nostra subscripsimus, nōsque dia-
bolo quasi vindici hac obligatione obli-
gauimus.*

*Et ipsum (chirographum siue obligationem) tulit de medio (id est, sustulit) affigens illud cruci] q.
d. Confixit hoc chirographum, & crucifixit, id est, cassavit illud, & aboleuit suacruce ac morte Christus moriens in cruce. ita Theodoreetus.*

*Et exsponsans principatus & potestates (id est spo-
lians demones sua potestate, dominio & tyranni-
de in homines, sibi hoc peccati chirographo obli-
gatos & subditos) traduxit confidenter, palam
triumphans illos, triumphans de illis, scilicet
de hostibus deuictis atque subiectis. in semeti-
psò] id est, per semetipsum, per suam virtutem
& vietoriam.*

*Nemo erga vos indicet, id est, reprehendet, vel
damnet, in cibo aut in potu] id est, in delectu &
abstinentia ciborum & potuum Iudeis præ-
scripta, Leuit. II.*

*Aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbato-
rum] Iam infert non esse audiendos Iudaizantes,
qui ciborum delectum & dies festos à lege veter-
e præscriptos, Christianis obseruandos esse
docebant.*

*Quæ sunt umbra futurorum] id est, quæ sunt ob-
scuræ*

VER. 14.
Chiro-
graphum
decreta
abstulit
Christus

VER. 15.

VER. 16.

VER. 17.

scuræ significationes rerum futurarum.

Corpus autem Christi.] Sensus : Corpus autem cuius illa sunt umbra, Christi est: hoc est, veritas illorum signorum in Christo adimpletur; illius umbrae corpus est Christus.

VER. 18. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum] q. d. Nemo vos à Christo & Ecclesia seorsum post se abducatur, nemo vos sibi subdat, ut nouus quasi doctor & hierarcha ad suam sectam & cultum Angelorum vos pertrahat, volens ambulare vel volenter ambulans in hac falsa religione Angelorum. Hanc hæresim ortam esse à Philosophis, finxerunt eos esse quasi minores deos, opifices & gubernatores hominum & mundi. hunc errorem in eo situm fuisse, quod dicerent Angelos digniores esse Christo, &c. & hac de causa dignitatem & præminentiam Christi super Angelos tam studiosè cap. 1. & alibi inculcat Apostolus, eaque est communis sententia Chrysost. Theodor. Theophyl.

In humilitate] id est, humili gestu, se prosternendi & adorandi Angelos. iactare falsas Angelorum visiones: rursus non tenere caput, id est, Christum excludere, ut Angelos suum statuant caput.

Quæ non vident ambulans] in iis quæ non vident fastuosus incedens,

Frustra inflatus sensu carnis suæ] id est, frustra superbiens sensu & mente sua carnali, quasi cognitionem, imò visiones habeat rerum sublimium, puta Angelorum terūmque cælestium.

VER. 19. Et non tenens caput (scilicet Christum, sed pro Christo Angelos substituens, ita Theodor.) ex quo (capite Christo) totum corpiss (Ecclesiæ) per

nexus

nexus & coniunctiones subministratum (id est , subministracionem accipiens spiritus , motus & sensus vitalis à capite) & constructum crescit in augmentum Dei] puta incremento fidei & spiritus Dei.

Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hu- VER. 20.
ius mundi : quid adhuc tanquam viuentes in mundo
decernitis?] q. d. Cùm per Christum mortui sitis,
& renunciaueritis omni sectæ & philosophiæ
mundanæ Christo contrariæ, quæ non secundùm
Deum, sed secundùm elementa mundi, id est, se-
cundùm principia naturalia & mundana viuere
docet ; cur iterum ea reperitis , quasi rursum se-
cundùm hæc mundi elementa viuere velitis? de-
cernitis (dicentes scilicet id quod sequitur:)

Ne tetigeritis , neque gustaueritis , neque contre- VER. 21.
Et aueritis] q.d. Quid ex heresi & religione Ange-
lorum decernitis, his illisve cibis aut creaturis es-
se abstinendum, dicentes, verbi gratia, Ne tetige-
ritis vxorem, ne gustaueritis vinum aut carnem,
quia hæc à malis angelis creata sunt, & bonis An-
gelis displicant.

Quæ sunt omnia in interitum ipso vñu secundum VER. 22.
præcepta & doctrinas hominum] q. d. Quæ obser-
uantiae superstitioni cultus Angelorum iam di-
ctæ interitum adferunt & damnationem æter-
nam iis, qui ea obseruant, in iisque & in suis An-
gelis, quos ita colunt, sperant, non autem in Chri-
sto. ita Ambrosius & Augustinus.

Quæ sunt rationem quidem habentia sapientia in VER. 23.
superstitione & humilitate , & non ad parcendum
corpori , non in honore aliquo ad saturitatem carnis]
rationem, id est, speciem. q.d. At sunt superstitionis,
quia abstinentiis & obseruantis à se conflictis,
colunt

colunt Angelos quasi mediatores, excluso Christo. In humilitate, scilicet facta & superstitione. & non ad parcendum corpori, id est, imparcentia corporis. non in honore, &c. id est, negato corpori honore, vel subsidio necessario ad famem exsaturandam.

CAPVT III.

S V M M A R I V M.

Hortatur querere caelestia, membra terrena mortificare, exquere veterem hominem, & induere nouum, charitatem & pacem cole-re. Maritos, uxores, filios, parentes, seruos, dominos, sui admonet officij.

VERS. I. **I**gitur si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt quarie] quoniam per baptismum non solum commortui estis Christo, verum etiam vna cum eo resurrexisti in nouam vitam: facite ea quæ nouæ vitae per Christi resurrectionem adumbratae, conueniunt. quæ sursum sunt querite, id est, cogitationes ac studia vestra conferte ad res supernas, cælestes ac diuinias.

Christus *Vbi Christus est in dextera Dei sedens]* scifedet à licet in supernis & cælestibus, sedet Christus homo à dextris Dei, id est, præest omnibus quasi summus rex ac iudex, qui tanta dignitate præcellit, vt in eodem solio cum Deo sit, & eadem cum eo adoratione colatur. ita Patres passim. Significat ergo hæc sessio humanæ naturæ Christi, illius exæl

excellentiam super omnem excellentiam creatam, summam ac singularem eius beatitudinem & gloriam.

Quæ sursum sunt sapientia] vel curate. nam cælestia sapere aut curare, non aliud est quam cælestia querere. VERS. 2.

Non quæ super terram] non bona terrena. Similis est Phil. 3. Qui terrena sapiunt, &c.

Mortui enim estis] q. d. Merito vos adhortor non sapere terrena; quia illis iam mortui estis per baptismum. mortui estis mundo, carni, peccatis, vitæ & conuersationi mundanæ & carnali; immò mortui estis vobisipfis, quia non estis id quod eratis antè. VERS. 3.

Et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo] quasi dicat: Mundus non videt vestram diuinam vitam gratiæ, quam habetis, & gloriæ quam expectatis: sicut non videt vitam gloriosam, ad quam resurrexit, quaque viuit iam Christus in Deo, id est, apud Deum.

Cum Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria] nunc quidem, ait, vita vestra cum Christo abscondita est; sed quando ille toti mundo manifestabitur, veniens gloriatus ad iudicium, ille inquam, qui est vita vestra, vel vita nostra; tunc & vos perfectam, & immortalem vitam assecuti, simul cum eo manifestabimini, magna cum gloria. In hoc corpore quasi latentes vivere debemus, ab omni gloriæ cupiditate alieni; cum autem hoc corruptibile corpus dissolutum fuerit, tum gloria nostra resplendebit. VERS. 4.

Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram] hoc est, membra vestra terrena. terrena autem

autem vocantur hæc membra, quia velut in terram deprimunt hominem, & à Deo elongant. dixit, *mortui estis, id est, mori cœpistis peccatis;* hic verò dicit, *mortificate, id est, pergit ea mortificare.*

Membra veteris hominis sunt mortua concupiscentia. membra terrestria, hic vocat affectus prauos, & motus concupiscentiæ: hi enim sunt quasi membra veteris hominis, &c. vnde explicans subdit: *Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, qua est simulacrum seruitus] avaritiam, ad significandam insatiabiliem cupiditatem turpium voluptatum.*

Avaritia idolorum servitus. Propter qua venit (venire solet) *ira Dei super filios incredulitatis]* id est, inobedientiæ. q.d. Super VERS. 6. filios inobedientes, incredulos, rebelles Deo & Euangeliō.

VERS. 7. *In quibus, (id est, inter quos; vel in quibus, scilicet libidinibus & peccatis iam enumeratis) & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis.*

VERS. 8. *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.*

VERS. 9. *Nolite mentiri inuicem]* id est, alius ad alium, vel alius aduersus alium. sub nomine mendacijs, prohibetur omnis fraus & deceptio.

VER. 10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum]* Vetus homo est homo vitiatus, quatenus scilicet est infectus concupiscentia Adæ: huius motus sunt actus concupiscentiæ, puta motus iræ, gulae, superbiae, &c. Nouus homo est idē homo quatenus spiritu & gratia Christi renouatus est. eum dico hominem, qui renouatur ad agnitionem, id est, ad cognoscendū mysteria reuelata, & sapientum

Nouis & veteris hominis descripsiō.

dum ea quæ Dei sunt; renouatur, inquam, secundum imaginem Dei creatoris sui: ut sicut in creatione sua factus est ad imaginem & similitudinem Dei per naturam suam rationalem; ita nunc ad Dei imaginem reformatur per gratiam. Est enim homo dupliciter imago Dei; per naturam & per gratiam. imago naturæ consistit in intellectu & voluntate. imago gratiæ, in sanctitate & iustitia. sic exponit Apostolus Ephes. 4. dicens: Induite nouum hominem, qui, &c. Renouatio ergo hæc in eo consistit, ut deponentes virtutia, & studentes virtutibus, in dies clarius Deum Dei que voluntatem cognoscamus.

Vbi non est Gentilis, & Iudeus, circumcisio, & prepucium (id est, circumcisus & præputiatus) Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.] q. d. In hac renouatione Christiana non refert an Iudeus sis, an Gentilis, an Barbarus, an seruus, &c. quia in omnibus ita renouatis, qui nouum hominem, Christum scilicet, induerunt; ipse Christus est omnia, id est, omnis sanctitas, iustitia, religio, & omne bonum, quia Christus eis comunicat suam sanctitatē, iustitiam, &c.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, sicut decet sanctos, dilectos & electos à Deo, ad gratiam & gloriam, viscera misericordiae, id est miserationum, puta visceralem misericordiam & commiserationem. benignitatem, ut sitis comes, blandi, non austeri. humilitatem, modestiam, id est, mansuetudinem, lenitatem, patientiam] id est, longanimitatem.

Supportantes iniucem, & donantes vobis metipsis. si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.

VERS. 14
Charitas
vinculum
perfectio-
nis.

Super omnia autem hec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis] id est, vinculum perfectum, quia vinculum est perficiens, id est, perfectè vniens fideles inter se.

VERS. 15

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore] q. d. inquit Anselmus: Gaudete & tripudiate ob pacem animi. pax vietrix instar triumphantis exultet in cordibus vestris. Quid sit, pax Christi, quasi brabeuta imperet & regat animi vestri motus, gubernet corda vestra. Pax, quæ quasi regina omnes affectus animæ in officio contineat, & passionum bella reprimat. Pax, inquit Augustinus, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.

In qua (id est, ad quam) & vocati estis in uno corpore, id est, in unum corpus, puta in unam Ecclesiam. & grati estote] id est, gratiosi, amabiles estote, qui enim tales sunt solent proximis esse benigni, misericordes, compatientes.

VERS. 16

Verbum Christi habitet in vobis abundanter] id est opulenter, copiosè. Sensus est: Fides seu doctrina Christi fixam in vobis sedem habeat, vobis que faciat locupletes & abundantes omni sapientia; hoc est, perfecta rerum diuinarum cognitione, quanta nimurum in hac vita sperari posset.

Docentes & commoneentes vosmetipsoꝝ psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus] & ita quidem, vt vos inuicem, id est alij alios, doceatis & commoneatis, siue exhortemini, canendo psalmos, hymnos, & cantica spiritualia.

In gratia cantantes in cordibus vestris Deo] In gratia, inquit Chrysostomus, id est, ex gratia & afflato Spiritus sancti. In gratia, hoc est, cum gratia

tia

tia & voluptate spirituali, scilicet eorum qui audiunt.

Omnis quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi] supple facite. Sensus Apostoli est, Christianum omnia christianè agere debere, hoc est, in omnibus actionibus suis virtuali intentione, tendere in Deum creditum & speratum, idque per meritum Christi fide apprehensum. q. d. Propter Christum ciusque gloriam facite omnia, quæcumque facitis. Omnia opera vestra talia sint, quæ cedere possint in gloriam Christi, Christusque vestræ virtutis & actionum sit ultimus finis.

Gratias agentes Deo & Patri per ipsum] quia per Christi meritum omnia nobis dona salutaria à Deo Patre proueniunt.

Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino] id est, sicut oportet, secundum Christi Domini legem, voluntatem, Euangelium.

Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas] id est, ne sitis amarulenti, morosi, difficiles aduersus eas, sed commodos ac faciles vobis præbete.

Filij obediite parentibus per omnia, scilicet quæ non sunt contra Deum, hoc enim placitum est in Domino] id est, apud Dominum, & coram Domino.

Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant] id est, ne animum despondeant, ne animo deiciantur; atque ita resiliant ab officio, vel etiam à fide Christi suscepta.

Servi obedite per omnia dominis carnalibus (temporalibus, etiam Ethniciis) non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, velut qui hominibus pla-

VERS. 17

VERS. 18

VERS. 19

VERS. 20

VERS. 21

cere studeatis, sed in simplicitate cordis] id est, recto & simplici corde, sine simulatione.

Timentes Deum] q. d. Sed, inquam, Dei timorem qui videt abscondita cordis, ante oculos habentes.

VERS.23 *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus*] libenter promptoque ac liberali animo; perinde atque si Christo Domino, & non hominibus ministraretis.

VERS.24 *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis*] si ergo heris ita obediatis, ipsimet Deo obediens; qui retributionem æternæ hereditatis in cælo seruis ita obedientibus vti promisit, ita reuera præstabit pro hoc eorum obsequio. pro retributionem, Græcè est mercedem, quæ pro merito operum datur.

Merces bonorum operum. *Domino Christo seruite*] nam Christo Domino seruitis. q. d. Ac proinde ille Dominus, vtpote fidelissimus & liberalissimus, vestrum seruitium compensabit abundantissimè in futura hereditate cælesti.

VERS.25 *Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum*] qui iniusti sunt, siue domini sint, siue servi, accipient à Deo retributionem damnationis.

CAPVT

C A P V T . I V .

S V M M A R I V M .

Hortatur eos ut instent orationi , ac simul pro
se orent . Item ut circumspecte inter Gen-
tes versentur . Commendat Tychicum & One-
simum , denique salutationibus claudit epi-
stolam .

D Omini , quod iustum est & aquum , seruis presta-
te] Monet , vt non solum præbeant seruis id
quod eis iure debetur , veluti victum & vestitum ,
verum etiam vt æquos & humanos se eis exhibe-
ant ; nec omne debitum seruitutis ad amissim
exigant , nec omne eorum delictum rigidè pu-
niant .

Orationi instate , id est , in oratione perseverate ,
vigilantes in ea in gratiarum actione .

Orantes simul & pro nobis , vt Deus aperiat no-
bis ostium sermonis ad loquendum mysterium Chri-
sti] vt faciat me aperire os meum ad profes-
endum mysterium salutis humanæ per Chri-
stum .

Propter quod etiam vinclus sum] Relatiuum
quod aut ad mysterium Christi refertur , aut ad to-
tum complexum illud , quod est , laqui mysterium
Christi .

Vt manifestem illud ita ut oportet me loqui] vt
loquar mysterium Christi , non quomodo cum
que , sed ut manifeste illud eloquar , sicut oportet

me loqui, id est, aptè & conuenienter ad persuadendum.

VERS. 5. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt] id est, sapienter & prudenter agite cum Ethniciis, vt illos ad fidem Christi pelliciatis. ita Ambrosius.*

Tempus redimentes] cum infidelibus, inquit, cautè conuersamini, ita vt redimendæ vexationis atque euitandæ persecutionis causa, quo tempus habeatis liberum ad seruiendum Deo, patiamini, si opus sit, etiam dispendium aliquod rerum temporalium.

VERS. 6. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus] Monet vt sermo, quem habent cum proximis, semper sit respersus sale sapientiae, idque cum gratia, id est, cum grata iucunditate.*

Vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere] Hoc ad gratiam sermonis pertinet, nosse loqui & respondere vnicuique quemadmodum oportet & conuenit, vt sermone afficiatur.

VERS. 7. *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino] nimirum is per quem mitto hanc epistolam.*

VERS. 8. *Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quæ circa vos sunt] id est, vt cognoscat quomodo res vestræ se habeant, nihilique renunciet.*

Et consoletur corda vestra] referendo quæ circa me sunt.

VERS. 9. *Cum Onesimo charissimo, & fidieli fratre, qui ex vobis est] id est, qui ex vestra gente & vrbe, scilicet est Colossensis, quales & vos estis.*

Omnia

Omnia que hic aguntur, nota facient vobis] scilicet
ij quos dixi, Tychicus & Onesimus.

Saluat vos Aristarchus concaptivus meus] Hic erat VERS. 10
Macedo Thessalonicensis, comes Pauli. Act. 19.
20. & 27.

Et Marcus consobrinus Barnabe] Hic Acto-
rum 12. vocatur Ioannes cognomento Mar-
cus, &c.

De quo accepistis mandata] id est, literas com-
mendatitias seu testimoniales. Si quæras à quo
mandata acceperant Colossenses : dicendum
arbitror, ab Ecclesia Romana. nam si ab
ipso Paulo; dixisset, De quo dedi vobis man-
data.

Si venerit ad vos, excipite illum] id est, hospita-
litatis officium illi impendite, humaniter eum
tractate.

Et Iesus, qui dicitur iustus, supple, salutat vost
qui sunt ex circumcisione] id est Iudei.

Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei] id est, in VERS. 11
prædicatione Euangeli, quod est via ad regnum
Dei cælestis, &c.

Qui mihi fuerunt solatio] tales, inquam,
qui mihi in carcere constituto solatum attule-
rint.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus VERS. 12
Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus] id est, cum orationibus, quibus nimis tunc hoc
petebat quod sequitur.

Ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei] id est, in omni eo, in quo vult Deus vos esse
perfectos & plenos, scilicet in sapientia & vita
Christianæ.

VER. 13.

Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis] id est, studium cum æmulatione; quale est vel sponsi vel paronymphi pro sponsa.

Et pro iis qui sunt Laodicia, & qui Hierapoli] erant hæ ciuitates Colossi vicinæ.

VERS. 14

Salutau vos Lucas medicus, carissimus. Hieronymus tradit, Lucam Euangelistam medicum fuisse; & eum ipsum, cuius hic mentio est. & Demas] Baronius existimat eum, Paulo ad tempus derelicto, postea Romam ad ipsum rediisse, atque in vinculis constituto rursus ministrasse.

VERS. 15

Salutate fratres qui sunt Laodicia] Hoc monet ad confouendam Christianam amicitiam inter fiordes urbium vicinarum.

Et Nympham, & qua in domo eius est Ecclesiam] Nympha vir fuit, non mulier. magni nominis hic vir fuit, qui domum suam fecerit Ecclesiam.

VERS. 16

Et cum lectafuerit apud vos epistola hac] quam ad vos scribo.

VERS. 17.

Facite ut & in Laodicensem Ecclesia legatur; & eam qua Laodicensem est, vos legatis] ex quo liquet Apostolum loqui de epistola ex Laodicia scripta. Quænam ea sit, & à quo scripta, adhuc queritur.

Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas] vt sensus sit: Dicite Archippo vestræ Ecclesiæ presbytero, vt ministerium sibi ab Epaphra discedente iunctum in his quæ Domini sunt, probè ac diligenter exsequatur. Certè Apostolus in epistola ad Philemonem vocat eum commilitonem suum.

Salus

Salutatio, mea manu Pauli.] Hæc verba cum
iis quæ sequuntur usque ad finem, affirmat Pau-
lus sua manu se scriptisse loco salutationis, qua
claudi solet epistola. Nam reliquam epistolam
totam ipso dictante scriptam ab alio quopiam
fuisse, existimandum est.

VER. 18.

Memores estote vinculorum meorum. Claram est
in carcere scriptam esse hanc epistolam. quod autem
rogat ut vinculorum suorum memores sint, non
sui causa facit, quasi subsidium tacite postulans:
sed ut confirmentur in fide, pro qua viderent ipsu-
m tanta pati.

Gratia vobis cum, amen.] Græci codices hic sub-
scribunt: Scripta è Rôma per Tychicum & One-
simum.

Rt 5 COM



COMMENTARIA
IN I. EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
A D
THESSALONICENSES.

Theffalonica metropolis Macedoniæ
vrbs fuit nobilissima. In hac vrbe Paulus
prædicauerat Euangelium, breuique tem-
pore multos Gentilium, ac præsertim no-
bilium matronarum conuerterat, vt pa-
tet Act. 17. Scriptam esse Corinthi anno
Christi 52. docet Baronius: hanc primam
esse omnium epistolarum quas scripsit
Paulus, constanter asserunt Chrysostomus
& Theodoretus.

C A P.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M.

Congratulatur fidei & patientiae Thessalonicensium; in qua ita profecerant, ut aliis exemplum preberent, & ab iis in alias regiones sermo Dei diuulgaretur.

AV L V S, & Siluanus, & Timotheus,
Ecclesia Thessalonicensium] subaudi,
scribunt, aut mittunt hanc epistolam.
Est enim hic Siluanus idem
cum Sila, qui post discessum Bar-
nabæ, assumptus à Paulo ut socius Euangelicæ
prædicationis, &c. Eiusdem Silæ sub nomine
Siluani meminit Apostolus, 1. Corinth. 1.

*In Deo Patre & Domino Iesu Christo] quæ Ec-
clesia est in Deo Patre, &c. Dicitur autem esse in
Deo Patre, tanquam efficiente & gubernante
principio. In Christo, vt salutis eius, per meritum
sue passionis, authore.*

*Gratia vobis, & pax] videlicet multiplicetur. VER. 2.
Gratia sermone Apostolico significat beneficium
Dei gratuitum ad salutem pertinens; vt est fides,
iustitia, eiisque partes & incrementa. Pax autem
est eiusmodi bonorum quieta possessio.*

*Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis] id
est, pro beneficiis in vos omnes collatis; qualia
nimirum postea enumerat, vt fidem, charitatem,
sustinentiam.*

*Memoriam vestri facientes in orationibus no-
stris sine intermissione, memores operis fidei vestra]
VER. 3.
memo*

memores vestri operis ex fide profecti. id opus
Græci interpretantur firmitatem & constantiam
in periculis; quam suscepto Euangeliō Thessal.
ostenderant. vti docet Act. cap. 17.

*Labor
charita-
tis quis-
sit.*

Et laboris, & charitatis] idem est, labor charitatis, id est, labor & molestia, quam sustinuerunt propter amorem Christi dilecti sui. laborem charitatis intellige laborem ex charitate suscep-
tum.

Et sustinentia sp̄ei Domini nostri Iesu Christi.] Tres virtutes mysticas Thessalonicensibus attribuit; fidem, charitatem & spem; quibus singulis propria quædam adaptat: fidei, opus; charitati, la-
borem; & spei, sustinentiam seu patientiam. Nam fides ex operibus ostenditur; charitas laborem reddit leuem ac facilem; & spes patientiam gi-
gnit. quod enim speramus, per patientiam ex-
spectamus.

Ante Deum & Patrem nostrum] id est, coram Deo, qui quidem est pater noster per spiritum adoptionis.

VER. 4.

Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem vestram.] q. d. Scio ex signis & coniecturis: quia sc. vestra fidei, constantiae, patientiae, charitatis opera vi-
deo, inde scio, id est, probabiliter colligo, *vestram electionem*, id est, vos esse electos ad gratiam & amicitiam Dei, & si in ea persevereritis, ad gloriam & fruitionem eiusdem. ita Theoph.

VERS. 5.

Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, id est, potentia & efficacia miraculorum confirmatum fuit, & in Spiritu sancto] id est, in largitione Spiritus sancti & donorum eius.

Et in plenitudine multa.] Plenitudinem multam
vocat

vocat omnia argumenta , quibus plenam Euangelio suo fidem faciebat, puta miracula, linguas, prophetias, sanctitatem, patientiam, &c.

Sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos] quomodo fuerimus inter vos conuersati vestræ salutis causa. Significare vult humilitatem conuersationis suæ tantam, vt immemor iuris ac potestatis suæ, cum labore & fatigione manibus operaretur ; scilicet ut à gratuito doctore commendabilius redderetur Euangelium.

Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, ex-
cipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio
Spiritus sancti.] Spiritus sanctus qui per tribula-
tiones bona cœlestia & diuina repromittit, efficit
vt homo hæc bona sibi proponens in tribulatio-
ne, quo magis affligitur, eo magis gaudeat.

Ita ut facti sitis forma (id est, exemplaria, typi, VER. 7.
& in exemplum) omnibus credentibus in Mace-
donia & in Achaia.

A vobis enim (à vestra fide, patientia, constan-
tia, zelo) diffamatus (diuulgatus) est sermo Do-
mini] à vobis manauit fama sermonis Domini, id
est, prædicationis Euangelicæ.

Non solum in Macedonia & in Achaia] in Ma-
cedonia, inquam, in qua vos estis ; & in Achaia , in
qua sum ego.

Sed & in omni loco fides vestra (rumor & fama
fidei & sanctitatis vestræ) que est ad Deum (in
Deum, erga Deū) profecta est] hoc est, dimanauit.

Ita ut non sit nobis necesse quicquam logui] id
est, vt nobis non sit opus apud alios exponere ac
referre , quantum apud vos fructum fecerit se-
men verbi Dei ; iam enim fama sermonem no-
strum præcurrit.

VERS. 9. *Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos] ipsi homines annunciant, quod noster ad vos aduentus refertus fuerit innumeris mortibus. vos tamen non estis offensi in nobis.*

Et quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero] ita ut seruitetis Deo viuenti.

VER. 10. *Et exspectare Filium eius de celis, (quem suscitauit ex mortuis) Iesum] id est, & ut Filium eius Iesum, quem à morte suscitauit, spe certa exspectaretis de caelo venturum, scilicet fidei vestræ remuneratorem; qui vos ad eamdem secum gloriam assumet.*

Qui eripuit nos ab ira ventura] id est, qui eripit, qui nos liberat à poena damnationis aeternæ, quæ superuentura est impiis & infidelibus.

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Commemorat quām sincerè Euangelium ipsis prædicauerit, nolens interim illis esse onerosus, & sanctè apud eos conuersatus: commendat eorum obedientiam, ad suscipiendum; & constantiam, ad retinendum Euangelium.

VER. I. **N**am ipsis scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit] id est, fructu vacuus, sed valde fructuosus.

Sed

Sed ante passi (id est, malis afflitti) & contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis.] Hæc Paulus de se & Sila, commemorat, qui grauem persecutio- nis impetum passi sunt, & publicè virgis cæsi (id enim est quod dicit contumeliis affecti) ac postea in carcerem coniecti, AEt. 16.

Fiduciam (tamen) habuimus in Deo nostro, id est, libertate, audacia vñi sumus, loqui ad vos (ad loquendum & prædicandum vobis) Euangelium Dei, in multa sollicitudine] id est, in multo agone, lucta, certamine.

Exhortatio enim nostra non de errore (fuit.) VERS. 3.
q. d. Non prædicaui falsa dogmata, vti faciunt Philosophi, & Gentium doctores & sacerdotes. neque de immunditia. q. d. Non docui immunda, siue carmina magica, vt magistri vestri, inquit Theophyl. neque in dolo] quasi in tradendo Euangeli non Christi gloriam, neque salutem vestram, sed lucrum & gloriam nostram spectaremus.

Sed sicut probati sumus à Deo] id est, electi: Deus VERS. 4.
enim Paulum probauit, id est elegit, & eligendo dignum & probatum fecit Apostolum & Euangelij præconem. AEt. 9.

Vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur] ita cum omni fide, sinceritate & integritate illud prædicamus.

Non quasi hominibus placentes, hoc est, placere cupientes & satagentes; sed Deo, cupientes placere, cuius in Euangeli prædicando ministri sumus. qui probat corda nostra.] id est, expendit & explorat intentionem, desideria & fundum cordis nostri.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulatio- VERS. 5.
nionis,

*tionis, sicut scitis] id est, nunquam studium nobis
suit vobis assentari; non fuimus vobis locuti pla-
centia , sed utilia ; quemadmodum ipsi nostis ac
testari potestis.*

VER. 6. *Neque in occasione auaritia , congregandi opes,
& ditandi me: Deus testis est.*

*Nec quarentes ab hominibus gloriam, neque à vo-
bis, neque ab aliis] quibuscumque.*

VER. 7. *Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli]
id est, potestatem &c ius haberemus onerandi vos
sumptu sustentationis nostræ , sicut habent Apo-
stoli Christi.*

*Sed facti sumus parvuli in medio vestrum] id est,
humiliter ac submissè nos gerentes ; itemque le-
nes ac placidi; nec auctoritatem præferentes, nec
allegantes potestatem.*

*Tanquam si nutrita foveat filios suos] id est, more
matris prolem nutrientis, blandiens, non impe-
rans, &c.*

VER. 8. *Ita desiderantes vos, id est, cum affectu deside-
rantes , cupide volebamus tradere vobis non solum
Euangelium Dei, sed etiam animas nostras] non so-
lum impertire doctrinam Euangelicam , verum
etiam vitam nostram impendere.*

*Quoniam carissimi nobis facti estis] quia vos ex
animo diligebamus.*

VER. 9. *Memores enim estis fratres laboris nostri & fati-
gationis.] Intelligit opus manuum , quod cum
laboro & fatigatione exercebat , victus queren-
di causa , ne Thessalonenses sumptu grauaret:
quod sanè maximi erga eos amoris indicium
erat.*

*Nocte & die operantes, ne quem vestrum grauare-
mus, predicanimus in vobis Euangelium Dei.*

Vos

Vos testes estis, & Deus] id est, vos ipsos huius VER. 10.
rei quam dicturus sum, testes appello; immo &
Deum aduoco testem.

Quam sancte, & iuste, & sine querela vobis, qui
credidistis, fuimus] id est, vobiscum versati sumus,
vobiscum nos gessimus.

Sicut scitis qualiter unumquemque vestrum (sicut VERS. 11
pater filios suos)] se comparat parti, filios suos in-
stituenti.

Deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, VER. 12.
vt ambulareis digne Deo] id est, vt conuersaremi-
ni sicut decet cultores ac seruos Dei.

Qui vocavit vos in suum regnum & gloriam] Gloriam
mentionem adiungit, vt eos inter afflictio-
nes animet, & spe præmij corroboret ad perseue-
rantiam conuersationis Deo dignæ.

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione] VERS. 13
indefinenter, assiduè. Post multa de suo erga eos
officio interposita, declarat, gratias agens Deo pro
beneficio tam boni successus.

Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus
Dei] verbum auditum à Deo, seu quod ego, &
Apostoli à Deo audiuius & accepimus. Verbum Quod ver
Dei vocat Euangelij doctrinam ab ipso Deo tra-
ditam, siue ea scripto mandata sit, siue non. sic
Isa. cap. 53. ait; Domine, quis credidit auditui no-
stro? hoc est, sermoni nostro, quem à te, Domine,
audiuius.

Accepistis illud non ut verbum hominum, sed (si-
cuit est vere) verbum Dei] id est, ut verbum quod
Deus ipse locutus est: qui cum sit prima veritas
nec falli potest, nec fallere.

Qui (Deus) operatur in vobis qui credidistis] quod
verbum agitur, exercetur, incitatur (nimis)rum

Ss agente

agente Deo) in vobis qui credidistis, id est, qui illud velut semen quoddam fructiferum fide suscepistis; agitur autem ad omne genus piatum actionum.

VERS. 14 *Vos enim imitatores facti estis fratres, Ecclesiarum Dei, que sunt in Iudea in Christo Iesu] id est, que in fide & religione Christi Iesu sunt perseverantes.*

Quia eadem passi estis & vos à contribubibus vestris, sicut & ipsi à Iudeis.

VERS. 15 *Qui (scilicet Iudei) & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent] immo magnopere dispergunt atque exosi sunt grauissime ab eo puniendi.*

Et omnibus hominibus (id est, omnium hominum saluti) aduersantur.

VERS. 16 *Prohibentes nos Gentibus loqui ut salue fiant] id est, impedientes nos quantum in ipsis est, ne Gentibus annunciemus Euangelium salutis.*

Ut impleant peccata sua semper] dum peccare non desinunt, semper peccata peccatis accumulant, donec tandem impleant eorum mensuram usque ad summum; quando iam non aliud eis restabit quam terribile iudicium Dei.

Peruenit enim ira Dei super illos usque in finem] id est, ad extremum usque. Exponimus de permanentia irae diuinæ usque in æternum, super multitudine eorum qui ex illo populo sunt à Deo reprobati.

VERS. 17 *Nos autem fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde] Ostendit se inuitum virginem per persecutione ab eis discessisse. Act. 17. Desolati vel orbati, quomodo filius patre, aut pater filiis orbatur.*

Abundantius festinaimus faciem vestram videre cum

cum multo desiderio] id est, ut vobis, etiam corpore,
præsentes essemus.

Quoniam voluimus venire ad vos : ego quidem VERS. 18.
Paulus, & semel, & iterum ; sed impedituit nos Sa-
tanás] id est aduersarius, nimirum diabolus. quia
mali homines instigante Satana progressum Euan-
gelij impiediebant ; vel insidias Apostolo struen-
tes in via, &c.

Qua est enim nostra spes , aut gaudium , aut coro-
na gloria ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum
Christum estis in aduentu eius ?] id est , nonne vos
estis spes nostra, & gaudium nostrum , & corona
gloriae coram Domino nostro Iesu Christo , cùm
aduenerit redditurus vnicuique secundum ope-
ra sua ? Corona gloria, id est, decus, ornatus, splen-
dor, gloria, magnificentia.

Vos enim estis gloria nostra & gaudium] per vos VERS. 20.
ero gloriosus & illustris in regno Christi , ut me-
ritò de vobis gloriari possit.

C A P V T III.

S U M M A R I V M .

Indicat se plurimum consolationis accepisse ex
fide & charitate ipsorum , que ex Timotheo
ad eos misso cognouerat. Item, se se magno te-
neri desiderio inuisiendi eos; optans ut in bono
magis magisque confirmentur.

P ropter quod non sustinentes amplius , id est, non VERS. 1.
amplius ferentes, supple, desiderium cogn-

S s 2 scendi

scendi res vestras, & vobiscum agendi. placuit no-
bis remanere Athenis, solis.

VERS. 1. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum*] ut per
eum meam præsentiam vobis exhiberem.

Et ministrum Dei in Euangelio Christi] Cur au-
tem miserit ad eos Timotheum, exponit verbis
sequentibus:

*Ad confirmandos vos & exhortandos pro fide
vestra*] ut vos in fide confirmaret & exhortaretur
ad perseverantiam.

VERS. 3. *Ut nemo moueatur in tribulationibus istis*] per-
secutionibus Iudæorum & Gentium. De suis
afflictionibus Apostolum loqui, sequentia do-
cent.

Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus] q.d. No-
uum vobis videri non deber quod hæc patiar,
&c. Respicit ad illud quod de ipso Dominus di-
xerat, Actor. 9. Ego enim ostendam illi, quanta
oporteat eum pro nomine meo pati.

VERS. 4. *Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vo-
bis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & sci-
tis*] partim experientia, partim fama & relatu
aliorum.

VERS. 5. *Propterea & ego amplius non sustinens, deside-
gium, scilicet agnoscendi fidem, & res vestras, misi
(Timotheum) ad cognoscendam fidem vestram*] num firma esset & constans, an aliqua parte labefactata.

Ne forte tentauerit vos is qui tentat] ut pote
qui metuam, ne quo pacto tentator ille, scilicet
diabolus, occasione mearum afflictionum vos
tentauerit, ac tentatione impulerit ad aliquem fi-
dei defectum.

Et inanis fiat labor noster] labor, quem vobis in-
stituendis

stituendis infumpsi , reddatur irritus & infructuosus. quamuis Apostolo salua manerent præmia sui laboris.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuncianti nobis fidem & charitatem vestram] id est , bonum nuncium retulisset fidei & charitatis vestrae perseverantis & inconcusse.

Et quia memoriam nostri habetis bonam semper] id est, cùmque nunciasset vos retinere bonam & honorificam nostri memoriam, eámque iugem ac perpetuam.

Desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos] Per hoc significat se ab illis ut præceptorem à discipulis, redamari; quod ut sibi gratissimum commemorat.

Ideo consolati sumus, frares, in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestram] VERS. 7.
q.d. Nihil istorum malorum graue duco, posteaquam cognoui fidem vestram, de qua metuebam, esse in tutto.

Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino] VERS. 8.
q.d. Licet ad mortem usque affligamur, dum tamen audiuiimus vestram constantiam & fidem, quam habetis in Domino, quasi reuiuiscimus, & à mortuis excitamur.

Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis] de vobis, qui perstiteritis in fide? quasi dicat. Nullas satis dignas, ac tanto beneficio pares.

In omni gaudio, super omni gaudio, quo gaudeamus propter vos (in fide inter aduersa constantes) ante Deum nostrum] id est, in conspectu Dei nostri.

Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus factiem vestram.

Et compleamus ea que desunt fidei vestra] q. d.
Opto vos videre ut imperfectam euangelizatio-
nem meam & instructionem vestram , quam ob
Iudeorum persecutionem abrumpere coactus
sum,absoluam & perficiam.

VERS.11 *Ipsé autem Deus & pater noster*] id est, Deus qui
idem est pater noster , ea nimurum ratione qua
nos sibi in filios adoptauit.

*Et Dominus noster Iesu Christus dirigit viam
nostram ad vos*] Verba sunt optantis cum preca-
tione, ut prosperum iter ad eos habeat, ea facturus
qua dixit.

VERS.12 *Vos autem Dominus multiplicet , ut numerus fi-
delium , quem relinquere coactus sum,multipli-
cetur , & numero augeatur. & abundare faciat
charitatem vestram in iuvicem & in omnes*] abund-
are & exuberare faciat mutuam inter vos chari-
tatem ; nec solùm inter vos , sed erga omnes ho-
mines,etiam infideles & vestrae salutis inimicos.

Quemadmodum & nos in vobis] quemadmodum
ego charitate abundo erga vos omnes , ut qui
etiam mori paratus sum pro vestra salute.

VERS.13 *Ad confirmanda corda vestra sine querela in san-
ctitate*] Dominus vos abundare faciat charitate,
ita ut per eam confirmet corda vestra in omni
bono ; vos, inquam , reddendo irreprehensibiles
*Sanctita-
tis vera
periphra-
sis.* atque sine offensione viuentes, idque cum sancti-
monia, id est , puritate & munditia pritata animi
& corporis.

Ante Deum & patrem nostrum] id est coram Deo,
ut tales sitis in conspectu Dei Patris nostri, quem
nihil latet ; & non solùm in oculis hominum qui
tantum vident ea quæ foris apparent, periphrasis
est veræ sanctitatis.

In aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius, ut in aduentu Christi tales sitis, & inueniamini cum omnibus sanctis eius, id est, cum omnibus per ipsum sanctificatis. Amen] id est, fiat.

C A P V T I V .

S V M M A R I V M .

Hortatur eos ad munditiam & sanctitatem vitae; ad laborem, quo vitam transfigant. Consolatur eos super morientibus; quos resurrecturos docet simul resurrectionis modum exponens.

DE cetero ergo, fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum acceptis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo. magna ars & sapientia est, nosse ambulare cum Deo. sic & ambuletis, vt abundetis magis] supple, in hac ambulatione & placentia Dei; vt in eo quod dixi, magis magisque proficiatis.

Sciis enim, que precepta dederim vobis per Dominum Iesum] id est, per auctoritatem & mandatum Domini Iesu, ego Paulus quasi legatus Iesu præcepta vobis dedi.

Hac est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione] scilicet, vt studeatis sanctitati. Sanctitas, inquit S. Dionys. est ab omni iniquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas. & sic sanctitas oppo-

VERS. 1.

VERS. 2.

VERS. 3.

Quid est
sanctitatem

nitur cuius peccato , estque virtutum omnium
completio.

VERS. 4. *Vi sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in
sanctificatione, id est, in puritate & castitate. & ho-
nore] Per vas accipiemus corpus : corpus enim est
vas & instrumentum animæ. Vult ut quisque
vas , id est , corpus suum , possideat in sanctifi-
catione & honore, id est sanctè, hoc est , castè &
honestè.*

VERS. 5. *Non in passione desiderij id est, non in affectu li-
bidinis, ut scilicet mens non seruiat desideriis car-
nis , sed caro seruiat rectis voluntatibus mentis,
ait Anselmus.*

*Sicut & Gentes que ignorant Deum] Significat
autem Dei ignorantiam fuisse causam cur Gentiles
sese in omne genus turpium voluptatum im-
mergentur.*

VERS. 6. *Et ne quis supergrediatur , neque circumueniat in
negotio fratrem suum] Agit de libidine & immunitia.
Adulterium ergo vocat supergressionem, id
est , prævaricationem. idem circumventionem
vocat , qua quis fraudulenter usurpat vxorem
alterius.*

*Quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut
prædiximus vobis , & testificati sumus] sicut iam
antè cum apud vos essemus , contestando ac de-
nunciando vobis diximus: vti fieri solet in re graui.*

VERS. 7. *Non enim vocavit nos Deus in(ad) immunditiam,
sed in(ad) sanctificationem] id est, castimoniam.*

VERS. 8. *Itaque qui hac spernit , non hominem spernit,
sed Deum] igitur qui spernit ac reiicit illa præce-
pta, non tam spernit hominem Dei ministrum, à
quo proponuntur ; quam ipsum Deum , à quo
data sunt.*

Qui

Qui etiam dedidit spiritum suum sanctum in nobis]
qui per Spiritum sanctum , quem nobis impertivit , nos fecit verbi sui ministros , ac potestatem dedit præcipiendi.

De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis] de charitate fraternali , quoniam nimirum vos inuicem Christiani diligatis , non admodum opus habetis , ut hac epistola vos admoneam.

Ipsi enim vos à Deo didicistis. q. d. A Deo docti vel edocti estis : Deus enim per legem Christi , & per internam Christi gratiam & instinctum vos docuit , ut diligatis inuicem] à quo iam edocti erant se inuicem diligere .

Etenim illud (diligere , & signa dilectionis exhibere) facitis in (erga) omnes fratres in vniuersa Macedonia.

Rogamus autem vos fratres , ut abundetis magis] id est , vt in hac fraternali charitate quam à Deo didicistis , eodem doctore studeatis proficere .

Et operam deatis , ut quietis sitis] id est , placide & sine tumultu agant , aliorum quietem non turbent , alienis officiis & negotiis non se misceant , sed propria curent .

Et ut vestrum negotium agatis] Vult vnumquemque suæ vocationi & operi intendere , non alienis rebus sese ingerere .

Et operemini manibus vestris , sicut pracepimus vobis] cùm apud vos essemus .

Et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt] decenter atque honestè vos geratis erga eos qui non sunt Christiani ; hoc est , decorè vos geratis cum Gentibus .

*Et nullius alignid desideretis] q. d. Ne inopia
S e s - q u e*

quæ ex otio sequi solet, cogamini aliena desiderare. Piger enim, inquit Sapiens, semper est in desiderio.

VER. 12. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus] illud scilicet mysterium resurrectionis, mortui vocantur dormientes ob spem resurrectionis qua celerrimè euigilabunt ex somno mortis, & ex lecto, id est, de sepulchro suo.*

Vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent] sicut Gentiles, qui destituti lumine fidei, spem resurrectionis ac vita post mortem secutæ nullam habent.

VER. 13. *Si enim credimus quod Iesus moriuitus est, & resurrexit ita & (supple pariter credere debemus quod) Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.] Fideles enim qui Christum in seipsis habentes moriuntur, dormiunt per Iesum, id est, in Iesu. puta in Iesu fide, charitate, ac spe resurrectionis. adducet hos Deus, scilicet e sepulchris euocatos ad vitam nouam & gloriosam, atque ad beatam immortalitatem.*

VER. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini] id est, per verbum, reuelationem & doctrinam Domini, q.d. Non quod à meipso, sed quod à Christo didici, loquor & doceo, mysterium scilicet resurrectionis.*

Quia nos qui viuimus, qui residui sumus in adventum Domini, id est, quicumque viuent siue ex nobis, siue ex posteris nostris, quorum ego personam hic induo & subeo, vt de iis in mea persona loquar. ita S. August. non præueniemus (in resurrectione) eos qui dormierunt.] id est, somno (scilicet mortis) sopitos, qui ante dormierunt. Priùs ergo mortui, non longius distant à resurrectione quam poste

posteriorū defuncti, aut iij qui viuunt: utriusque enim simul resurgent.

Quoniam ipse Dominus (Christus iudex) in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de celo.] Vox Archangeli, non tantum colliger, sed & suscitabit mortuos. In iussu, id est, cum iussu, In voce, id est, cum voce. In voce Archangeli, quæ sit tuba Dei, vel in voce tubæ, aut tubali Dei. vox ergo Archangeli eadem erit cum tuba Dei. Hæc tuba Archangeli, Ioan. 5. vocatur vox Filij Dei, quia licet ministerio Angelorum, iussu tamen Filij Dei formabitur, ab eoque vim suscitandi mortuos accipiet. Audient vocem Filij Dei, id est, sentient vim huius vocis, vel audient, id est, illi obedient resurgendo.

Et mortui qui in Christo (in Christi fide & gratia, siue Christi fideles & amici) sunt, resurgent primi] id est, primum, nimis antequam rapiantur obuiam Christo in æra.

Deinde nos qui viuimus, qui retinquimur, simul rapiemur cum illis, (qui ex mortuis resurrexerunt) in nubibus obuiam Christo in æra] rapiemur tum ab Angelis, tum à virtute Christi in æra, vt ibi in nube splendidissima quasi throno confidenti ad iudicium peragendum, Sancti omnes in nubibus splendidis, quasi thronis assistant, ac quasi assideant, ita tamen vt quisque suo ordine & gradu pro meritis confideat.

VER. 15.

Vox Ar-
changeli
eadem
cum ius-
su Dei.

Et sic semper, videlicet tam in iudicio quam in celo, ad quod mox ascendent, cum Domino (Christo) erimus. itaque consolamini in uicem in verbis istis] nimis eorum commemoratione mutuam fidem & spem excitando.

VER. 16.

Sancti
cū Chri-
sto sede-
bunt in
nubibus
splendi-
dis.

C A P.

C A P V T V.

S V M M A R I V M.

*Docet diem Domini esse incertum, monens
vnumquemque ut vigilet, & versetur in
operibus lucis. Commendat eos qui præsunt,
aliisque pietatis præcepta tradit.*

VER. 1.

DE temporibus autem, & momentis, fratres, non
indigeris ut scribamus vobis] quo scilicet
tempore & momento Christus venturus sit ad
iudicium.

VER. 2.

*Ipsi enim diligenter (id est, exactè, planè, certò)
scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet
scilicet inopinatò & inexspectatus.*

VER. 3.

*Cum enim dixerint: Pax & securitas, id est, tuta
sunt omnia, nihil est periculi, nullus metus, tunc
repentinus eis superueniet interius] id est, instat vel
imminet exitium.*

*Sicut dolor in utero habenti, id est, parturienti;
hanc enim repente nesciam dolor partus corri-
pit, & non effugient.] q. d. Nec vlla ratione po-
terunt effugere malum imminens.*

VER. 4.

*Vos autem fratres non estis in tenebris] id est,
vos cum sitis illuminati per fidem viuam, non
iam estis in nocte tenebrarum, id est, infidelita-
tis ac cæterorum vitiorum.*

*Et vos dies illa tanquam fur comprehendat]
hoc est, opprimat ac perdat; sed eos solos quos
somno ac tenebris occupatos inueniet, id est,
malos.*

Omnes

Omnis enim vos filii lucis estis, & filii diei] id est, VER. 5.
fide illuminati, & ad opera lucis ac diei (quæ sunt opera fidei, cæterarumque virtutum) exerceenda per Christi gratiam vocati.

Non sumus noctis, neque tenebrarum] scilicet filii, id est, noctis ac tenebrarum opera lectantes.

Igitur non dormiamus, sicut & cæteri] somno peccatorum, desidia, ignorantia Dei & salutis.

Sed vigilemus, & sobrij simus] quasi in die ; hoc est, semper simus in expectatione iudicis venturi, quod est vigilare ; semperque iustis ac temperatis actionibus intenti, quod est sobrios esse.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt. dormientes VER. 7.
vocat eos, qui in malitia dormiunt : & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.] Vocat ebrios scilicet eos qui cupiditatibus animi, & perturbationibus indulgent.

Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induiti locricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.] Non satis est vigilare, verum opus etiam armari. Lorica ergo qua pectus & totum corpus obarmemus, sit fides, & bona opera charitatis : galea vero nostra sit spes salutis.

Quoniam non posuit nos Deus in iram] id est, Deus non posuit, constituit, ordinavit nos ad iram seu vindictam, id est, non prædestinavit nos, ad æternam damnationem.

Sed in acquisitionem salutis] id est, sed ad æternam salutem efficaciter acquirendam.

Per Dominum nostrum Iesum Christum] Deus per Christum nos prædestinavit ad salutem. nam à Deo per Christum nos electos esse, sermo est Apostolo frequens. Ephes. 1. & alibi.

Qui

Vigilan-
dum esse
semper.

Galea
spes sa-
lutis.
VER. 9.

VER. 10. *Qui mortuus est pro nobis.]* Mortuus est autem pro nobis, ne nos maneremus in morte. sed ut in æternum viueremus.

Ut siue vigilemus (id est, viuamus) siue dormiamus (id est, moriamur) simul cum illo viuamus] nimurum hic in gratia, post mortem vero in gloria; id quod propriè est viuere cum Christo, nam alioqui, durante mortali hac vita, magis in Christo, quam cum Christo viuere dicimus.

VER. 11. *Propter quod consolamini inuidem]* scilicet per ea quæ de resurrectione mortuorum & vita perpetua cum Christo ducenda, iam ex me audiistis.

Et edificate alterutrum] id est, mutuam salutem promouete piis sermonibus, quibus ad spem beatæ resurrectionis & vitæ æternæ, fratrum animi excitentur.

VER. 12. *Sicut & facitis]* hoc addit, quo gravior sit exhortatio laudi permixta.

Rogamus autem vos, fratres, ut noueritis (id est notetis, & rationem eorum habecatis) eos qui laborant (in prædicando Euangelio, & re Christiana procuranda ac promouenda) inter vos.

Et præfunt vobis in Domino (id est, in Domini Christi familia, hos est, Ecclesia) & monent vos] nempe de iis quæ agere aut fugere debeatis.

VER. 13. *Ut habecatis illos abundanter in charitate, ut eos abundantius ametis & foueatis, quasi filij parentes vestros spirituales. ita Theophil. propter opus illorum.*

Pacem habete cum eis.

VER. 14. *Rogamus autem vos fratres.]* Hic iam alloquitur eos qui præfunt, & partes quasdam eorum officij attingit.

Corri

Corripite inquietos] admonete inordinatos, qui pacem & tranquillitatem publicam turbant malis ac dissolutis moribus.

Consolamini pusillanimes] ne in aduersis animum despondeant, ne grauiori tentatione pulsati victoriam desperent.

Suscipite infirmos] subleuate infirmos, eos qui fide sunt infirmi, quique in via Dei facilè scandalizantur.

Patientes estote ad omnes] id est longanimes, lenes & mansueti estote erga omnes; non solùm infirmos & pusillanimes, verum etiam erga inquietos.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. VER. 15.
sed semper quod bonum est sectamini in inuidem, & in omnes.] id est, benefacite inuidem & omnibus.

Semper gaudete] gaudio spirituali; hoc enim VER. 16. inter aduersitates & pressuras singulare leuamen est, iis præsertim qui patiuntur pro Christo.

Sine intermissione orate.] Iter monstrat, quo VER. 17. fiat ut semper gaudeamus, orationem nimisrum que non cesseratque gratiarum actionem. Orationis tutela pacis, mœrentium consolatio, lætantantium iucunditas, lugentium solamen, mortientium sepultura, &c. Nulla est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio, ait S. Ephrem.

In omnibus gratias agite] tam in aduersitate, VER. 18. quam in prosperitate, &c.

Hac est enim voluntas Dei in Christo Iesu (per Christum Iesum) in omnibus vobis.] quasi dicat: Hac faciendo placebitis Deo per Christum, sine quo nihil placere potest.

Spiri

Elegia
oratio
nra.

VER. 19.

Spiritum nolite extinguere] id est, dona, gratias, lumina, afflatus, impulsus, &c, ut sequitur, prophetias Spiritus sancti, qui est quasi lampas præfulgens in nocte huius saeculi. *Nolite desidia, terrenis curis, desideriis carnalibus, quasi iniecta aqua vel puluere extinguere.* Spiritum, inquit Ambrosius, extinguuit, qui incipientem loqui spiritualia, contradictione sua sopit.

Spiritum
extin-
guere
quid sit.

VER. 20.

& 21.

Prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete] hoc est, omnia quæ dicuntur à fratribus tanquam prophetantibus, diligenter expendite, discutite, & dijudicate, qualia sint: & quidquid inuenieritis bonum, sanæque doctrinæ consentaneum, id retinet.

VER. 22.

Ab omni specie mala abstinetе vos.] Monet, ne quid agant, quod mali, id est, peccati, speciem præse ferat, etiam si per se malum non sit.

VER. 23.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia.] Deus pacis, scilicet auctor, sanctitatem addat, id est, vitæ puritatem, &c. Per omnia, id est totos, ut toti sitis sancti & perfecti in omnibus, nimirum in spiritu, anima & corpore.

Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruentur.] Precor ut Deus pacis vos totos, ac per omnia sanctificet, id est spiritu, anima & corpore mundos constituat, vtque integrè & omni ex parte hæc omnia irreprehensa seruentur, & seruata inueniantur in aduentu Domini, quando reddet unicus secundum opera sua.

VER. 24.

Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet] id est, efficiet & perficiet, ut integritatem iam dicam, ad quam vos vocavit, conseruetis, & ad æternam salutem perueniatis, si videlicet eius gratiæ

gratiæ non deficit, illique cooperemini, ita Theophyl. & Anselm.

Frates orate pro nobis] Quid cupiat declarat in VER. 25.
2. epistola dicens: Orate pro nobis, ut sermo Dei
currat & clarificetur, &c.

Salutare fratres omnes in osculo sancto] Similis salutatio in epistola ad Rom. & utraque ad Corinthios. VER. 26.

Adiuro vos per Dominum, ut legatur epistola hac VER. 27.
omnibus sanctis fratribus] scilicet iis qui apud vos sunt.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum amen.] VER. 28.
Concludit epistolam confusa valedicendi forma, qua Christi gratiam iis precatur; eo nomine comprehendens omne genus beneficiorum, quæ nobis à Deo per Christum donantur.

T COM





COMMENTARIA
IN II. EPISTOLAM.
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD THESSALONIC.

C A P V T P R I M V M.
S V M M A R I V M.

Deo gratias agit pro fide & constantia Thessalonicensium: addens eos merito patientiae accepturos præmium, persecutores autem pœnas datus, in aduentu Domini.

VER. I.

PAULVS, & Siluanus, & Timotheus,
Ecclesia Thessalonicensium, in Deo Pa-
tre nostro, & Domino Iesu Christo] Ad-
dens nostro, significat Deum, qui
Christi pater est, ut filij naturalis,
etiam nostrum esse patrem ut filiorum adoptio-
nis; per hoc innuere volens dignitatem vocatio-
nis nostræ, qua vocati sumus in societatem & fra-
ternitatem Filij Dei.

Gratia

In Epist. II.ad Theffal. Cap. I. 649

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Do- VERS. 2.
mino Iesu Christo.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis , fra- VERS. 3.
tres] semper, id est, assiduè, quām frequentissimè.

Ita ut dignum est] vti par est, vti postulat à no-
bis ratio iustitiae erga Deum.

Quoniam supencrescit fides vestra] id est , quod
fides vestra vehementer augetur , quod in fide
plurimum proficitis.

Et abundat charitas vniuersiisque vestrum in
inuicem] & quod vestrum omnium charitas cu-
iusque in alterum exuberat ; nimirum declarata
quotidianis & frequentibus beneficiis , quæ vo-
bis mutuo impenditis.

Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis VERS. 4.
Dei] hoc est, vt nos ipsi de vobis gloriemur apud
alias Ecclesiis Dei , vestro exemplo cohor-
tantes cæteros.

Pro patientia vestra , & fide , & in omnibus per-
secutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis] Patientia fidem adiungit , eò quod fide Christi,
ac spe fututorum bonorum, ad ferendas perfec-
tiones animati fuerant Thessalonicenses.

Quas sustineris in exemplum iusti iudicij Dei, vt VERS. 5.
digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini] In
exemplum , id est , in documentum. q.d. Vos qui
tanta patimini, estis documentum , & ostenditis
rectum esse iudicium Dei , cum ob tantas tribu-
lationes retribuit vobis regnum æternum : hoc
enim iusto Dei iudicio tantu patientibus debetur.

Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribu- VERS. 6.
lationem ius qui vos tribulant] Ergo patientia hæc
meretur hanc gloriam, sicut scelera pœnam ; er-
go est meritum bonorum operum.

T t 2 Et

VERS. 7. *Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum*] scilicet à pressuris huius mundi, quam Ioannes vocat requiem à laboribus, Apoc. 14.

In reuelatione Domini Iesu de celo, cùm Christus apparet iudex in die iudicij, cum Angelis virtutis eius] id est potentiae, cum virtute, id est, exercitu Angelorum: qui potentissimas secum ducet acies Angelorum ad iudicium, & vindictam impiis.

VERS. 8. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangeliō Domini nostri Iesu Christi*] q. d. Dominus Iesus per flammatā ignis dabit vindictam impiis,

VERS. 9. *Pena in piorum erit aeterna.* *Qui paenam dabunt in interitu aeternas, id est, interitum & mortem aeternam luent, &c. à facie Domini*] id est, à praefentia, vel ab ore & sententia Christi iudicis.

Et à gloria virtutis, id est, roboris & potentiae, eius] id est, à maiestate glorioſa terribili & potentissima Christi iudicis.

VERS. 10. *Cum venerit glorificari in Sanctis suis*] cùm venerit Dominus ut glorificetur, id est glorioſus appareat, in Sanctis suis. quod nimurum fiet dum eos ad gloriæ suæ similitudinem euehet, & membra capiti, hoc est sibi ipſi, reddet conformia.

Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt] & vt appareat admirandus in fidelibus suis, dum eos, olim abiectos & miseros, usque ad miraculum claros & beatos efficiet. mirificandus dicitur Dominus, propter excellentiam gloriæ, qua Sanctos suos donabit. unde & de impiis iustorum gloriam conspecturis dicitur, Sap. 5. quod mirabuntur in subitatione insperatae salutis.

Quia

Quia creditum est testimonium nostrum super vos
in die illo] id est, prædicatio nostra fide suscepta
est à vobis, cum spe retributionis in illo die per-
cipienda, scilicet, aduentus Domini.

In quo etiam oramus semper pro vobis] ad quam VER. 12.
rem, scilicet, vt etiam in vobis Christus, cùm
venerit, glorificetur, & admirabilis fiat; nos
Deum assiduè pro vobis oramus, id petentes
quod sequitur:

Ve dignetur vos vocatione sua Deus noster] q.d.O-
ro vt Deus suam vocationem & gratiam vocan-
tem, qua vos ad Christi fidem, salutem, & chri-
stianismum vocavit, conseruet, adaugeat,
perficiat, &c.

Et impleat omnem voluntatem bonitatis] Sensus
est: Et vt compleat æternum beneplacitum boni-
tatis suæ, qua vos elegit ad consortium glo-
riæ Christi.

Et opus fidei in virtute] subaudi, impleat, & vt
in vobis perficiat, & ad finem perducat opus fidei,
id est, patientiam in aduersis, pér quam maximè
fidei virtus telucet. idque faciat in virtute, seu po-
tentia, id est potenter, nam potentia gratiæ Dei
maximè perspicitur in tolerandis aduersis pro
Christi nomine.

Ut clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi
in vobis] Hæc, inquit, peto vobis à Deo præstari,
vt in vobis, & per vos Christus Dominus noster
laudetur & glorificetur etiam in hoc sæculo.

Et vos in illo] Finem secundarium adiungit,
qui est, vt ipsi vicissim glorificantur in Christo,
id est, per Christum. Nam sicut seruorum virtus,
gloria domini est; ita è diuerso, dignitas & ex-
cellentia domini seruos efficit gloriosos.

Fide ni-
hil effica-
cius ad
ferenda
aduersa-

VER. 12.

Secundum gratiam Dei nostri & Domini Iesu Christi] Extrema hac parte totum refert ad gratiam, id est, gratuitam beneficentiam Dei, tanquam largitoris; & Christi Domini, velut hoc nobis promeriti.

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Docet non prius Christum venturum ad iudicium, quām reuelatus fuerit homo peccati: quem, postquam signis mendacibus multos seduxerit, Dominus interficiet. hortatur ut persistant in traditionibus acceptis.

VERS. 1. **R**ogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi] scilicet eum ipsum quem verebantur, ut terribilem.

Et nostræ congregatiōnis in ipsum] Christum scilicet. Obscurat autem non solum per aduentum Domini, verū etiam per fidelium ad eum congregationem in aduentu futuram, velut per rem summis votis exoptatam.

VERS. 2. *Vt non cito moueamini à vestro sensu] id est, sententia, quam hactenus habuistis, quāmque à me edicti estis de die iudicij, de Antichristo, aliisque signis, quæ illam diem præcurrent.*

Neque terreamini græcè, turbemini, siue conturbemini, neque per spiritum] subaudi, quasi diuinum & propheticum. Per spiritum, id est, fictam reuelationem, quasi Spiritus sanctus Prophetæ alicui

In Epist. II. ad Thessal. Cap. II. 653
alicui reuelarit instare diem iudicij: has enim re-
uelationes & prophetias iactabant hi pseudodo-
ctores.

Neque per sermonem] intellige , quasi à nobis
profectum. erant enim qui mentiebantur se ex
ore Pauli audisse quid instaret dies Domini.

Neque per epistolam tanquam per nos missam, qua-
si instet dies Domini.

Ne quis vos seducat ullo modo] scilicet persua- VERS. 3.
dendo Christum statim esse venturum.

Quoniam nisi venerit discessio primum] Supple,
non veniet dies Domini. *Discessio*, id est defectio
& rebellio, qua quis deficit à suo Principe, illique
rebellat; scilicet illa insignis, plena & generalis,
qua scilicet pleraque , & passim omnes gentes
discendent & deficient , tum à Romano Imperio,
tum consequenter à Romano Pontifice, & Eccle-
sia , tum denique à Christo.

Etreuelatus fuerit homo peccati , filius perditionis] Antichri-
stus, id est Antichristus , qui dicitur homo sceleratis-
simus , dicitur filius perditionis , qui perditio- pto.
ne est dignus , vt in æternum damnetur & pe-
reat.

Qui aduersatur & extollitur supra omne quod di- VERS. 4.
citur Deus, aut quod colitur] quid scilicet Christo
& Deo, omnique numini sit se oppositurus.

Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit
Deus] ipse enim solus volet coli, vt Deus sedebit
in templo Hierosolymitano, quod solum propriè
tempore S. Pauli erat & dicebatur templum
Dei.

Non retinetis memoria, id est, non meministis, VERS. 5.
quod cum adhuc essem apud vos, hac dicebam vobis:] q.d. Qùm hęc vobis pręsens dixerim ; non debe-

batis commoueri rumoribus aliquotum dicentium instare diem Domini.

VERS. 6. *Et nunc quid detineat, scilicet aduentum Antichristi, & diei iudicij, scitis, scilicet mysterium iniquitatis, ut sequitur, quod iam operatur, donec de medio fiat: putò quòd Nero, & similes adhuc dominentur, quòdque necdum venerit discessio & defectio generalis à Romano Imperio, ut reueletur in suo tempore] ille homo peccati, Antichristus scilicet.*

VERS. 7. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis] Etsi nondum venerit Antichristus in persona, iam tamen adeat in emissariis ac præcursoribus suis: nam iniquitas eius, de qua locutus sum, nunc occultè, velut in mysterio, agitur, & exercetur per hæreticos. Ea iniquitas est Christum, & regnum eius totis viribus oppugnare, atque ad imitationem diaboli diuinitatem illius ad se rapere.*

Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat] mysterium iniquitatis nunc agitur, eruptum aliquando in apertam apostasiam; interim verò dum agitur, quicumque tenet Christum, & veram eius religionem, firmiter retineat, donec de medio Ecclesiæ fiat apostasia, id est, magna illa defectio, qua regna & populi ab Ecclesia recessent.

VERS. 8. *Et tunc reuelabitur ille iniquus (Antichristus) quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui] ad iudicium. Spiritus oris Christi est sententia & iudicium condemnationis. Christus interficiet Antichristum spiritu oris sui, id est, iussu suo, verbo suo, sua sententia, quasi afflato mortifero afflabit & interimet eum. illustratione, id est, reuelatione, vel appa-*

apparitione, illuminatione præsentie suæ, vel claritatis aduentus sui.

Eum, cuius est aduentus secundum operationem VERS. 9.
Satane in omni virtute (id est, potentia) & signis &
prodigiis mendacibus] scilicet quod Antichristus
habebit assistentiam Satanæ, & Satanam in se, &
per se operantem, inquit Theophylactus, in signis
& prodigiis, scilicet quæ faciet Antichristus, ut
homines seducat: faciet miracula, non vera, sed
falsa & mendacia.

Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt] VERS. 10.
vt omni arte & modo seducat homines ad ini-
quitatem, vt pereant & damnentur.

Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut
salvi fierent] reprobi illi seducentur ab Antichri-
sto, iustitia Dei permittentis id exigente, propter
ea quod veritatem à Christo annunciatam, quam
amare & amplecti debebant, non receperint, ut
ea per fidem suscepta, salvi fierent.

Idea mutet illis Deus operationem erroris (per
Antichristum) ut credant mendacio] Hæc operatio
Antichristi ab eo fiet hoc fine, ut homines cre-
dant eius mendacio: siue, hæc opera Antichristi
impellent homines, facientque eos credere men-
dacio. Quid apud Deum iustius, quam ut qui ve-
ritatem suscipere noluerunt, in errorem inci-
dant, & falsitati credant?

Ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati,
sed consenserunt iniquitati] q.d. Ut iusto Dei iudicio
arguantur & condemnentur Iudei, & similes qui
Christo & veritati Euangelicæ per Christum al-
latæ credere noluerunt; sed mendacem Anti-
christum receperunt.

Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro VERS. 12.
Tibi sibi vobis

vobis fratres dilecti à Deo , quod elegerit vos Deus primitias in salutem , in sanctificatione spiritus , & in fide veritatis] q. d. Elegit autem assumpsit vos Deus in salutem , mediis ad eam concessis , nimirum sanctificatione spiritus & fide veritatis .

VER. 13. In qua (ad quam , scilicet fidem & sanctificationem) & vocavit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Iesu Christi] ut per fidem , gratiam & salutem maior gloria Christo illorum auctori acquiratur . ita Chrysostomus . Deum vocasse Thessalonicenses per Euangelium Pauli in acquisitionem gloriosam Christi Domini , hoc est , ut eius essent gloriosa possessio , sanguine ipsius acquisita .

VER. 14. Itaque fratres state] id est , persistite firmi & constantes in fide & vocatione vestra , qua vos Deus per gratiam suam dignatus est .

Traditio-
nones Ec-
clesiae ser-
uari iu-
bet Pan-
lus.

Et tenete traditiones quas didicistis] Græcè , quas docti estis , id est , quas ego vos docui .

Sive per sermonem , sive per epistolam nostram] Traditiones vocat , doctrinas & instituta religionis Christianæ ; sive ea pertineant ad fidem , sive ad externum cultum religionis , ut sunt ceremoniaæ . Nota hinc locum pro traditionibus Apostolicis , scilicet tam ea esse seruanda quæ verbo & viua voce tradiderunt Apostoli , quamquam quæ scripta in sacris Literis reliquerunt . Certè prior est anima , quam litera , & prior sermo quam liber , & prior sensus quam stylus , dicit Tertull . lib . de testimonio animæ .

VER. 15. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus , & Deus , & pater noster] id est , is qui est Deus & pater noster : unam enim eandemque personam Dei Patris , non duas significat .

Qui

Qui dilexit nos] ut pater filios, quos constituit
per adoptionem suos heredes, ac filij sui natura-
lis coheredes.

Et dedit consolationem eternam (in spe & prægu-
stu æternæ gloriae & lætitiae) & spem bonam in gra-
tia] id est, per gratiam, per quam habemus spem
vitæ æternæ: per gratiam enim quasi per semen
speramus nos messueros fructum vitæ æternæ.

Exhortetur corda vestra (consoletur) & confirmet
in omni opere & sermone bono] Sensus est: Et
stabilit vos ac perseverare faciat in omni bo-
nia doctrina, atque in omni genere bonorum
operum.

C A P V T I I I .

S V M M A R I V M .

Rogat ut pro se orent: admonet ut inquietos
& turbulentos atque otiosè agentes vitent,
& contumaces notent: denique pacem iis
precatur.

DE cetero, fratres orate pro nobis, ut sermo Dei VERS. 1.
currat & clarificetur] id est, ut Euangelica
doctrina per nostram prædicationem feliciter ac
sine impedimento propagetur ac proficiat.

Sicut & apud vos] subaudi, glorificatus est ser-
mo Domini.

Et ut liberemur ab importunitatibus & malis homini- VERS. 2.
bus] Significantur homines absurdii, improbi,
insolentes, quales tunc erant iudaizantes & si-
miles,

miles, qui vbiq; concitabant plebem contra Paulum & Apostolos, & quales modò sunt hæretici.

Non enim omnium est fides] orate pro nobis, vt liberemur ab importunitate & malis hominibus, qui Verbi Dei cursum impediunt; quod mirandum non est eos facere, quia non omnium est fides; id est, non omnibus datur ut credant, non omnes ad propositum Dei pertinent, vocantis ad fidem efficaci sua vocatione. non omnes obediunt Euangeliu. hic igitur insinuatur, fidem esse singulare Dei donum, quod non sit omnibus à Deo concessum. quod ergo nolunt fidem Christi amplecti, causa est cur permaneant mali & importuni.

*Fides Dei
donū est.*

VERS. 3. *Fidelis autem Deus est qui confirmabit vos, & custodiet à malo]* quanquidem, inquit, sint qui fidei grauiter oppugnant, non est quod turbemini: nam fidelis est Dominus Christus, id est, verax & constans in promissis; ideoque vos confirmabit in fide, ne ab ea excidatis, & custodiet à malo, id est, ab aduersario, scilicet diabolo, ne per malos homines, velut artis suæ instrumenta fidem vestram subuertat.

VERS. 4. *Confidimus autem de vobis in Domino]* id est, per Dominum, per gratiam Domini Iesu Christi.

Quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis] id est, quod præcepimus à me vobis tradita seruat, &c.

VERS. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate
Dei, & patientia Christi]* velut exemplari vobis proposito, hoc est, ad imitandum charitatem Dei, &c. Opto vobis, ut Christus Dominus corda vestra dirigat, moueatque magis ac magis, ad dilectionem Dei, id est, ad diligendum Deum; &

ad

ad sustinentiam Christi, id est, ad expectandum VERS. 6.
patienter aduentum Christi remuneratoris.

Denunciamus (id est, præcipimus) autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi] præcipimus vobis nomine & auctoritate Christi Domini, cuius sumus vicarij, idque potestate ab eo accepta.

Vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate] id est, incomposite, turbulentè, &c. inordinate, intelligit eum, qui quod sui est ordinis atque officij, non facit, & facientes turbat.

Et non secundum traditionem quam acceperunt à nobis] Traditio est institutio tradita voce, vel, vt inquit Chrysost. opere. Tradi-
tiones.

Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos] Id est, scitis quale exemplum ipse vobis dedecrim; quod imitari debeatis. VERS. 7.

Quoniam non inquieti fuimus inter vos] q.d. Non fuimus apud vos otiosi, ac consequenter nec inquieti, nec turbulenti.

Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & in fatigione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus] Mechanicam ergo artem exercuit Paulus, puta scenofactoriam, vnde cum prædicatione Euangeli, vt patet Act. 18. artē exercit. vnde Origenes homil. 17. in Numeros, Paulus, cuit. ait, à faciendis tabernaculis terrenis ad cælestia construenda translatus est: nimis sumptu, & à vobis quasi catechumenis meis alimenta petendi.

*Non quasi non habuerimus (id est, habemus) po- VERS. 9.
testrem] grauandi vos scilicet sumptu, & à vobis quasi catechumenis meis alimenta petendi.*

*Sed ut nosmetipso formam daremus vobis adiri-
tandum*

tandum nos] id est, ut facto nostro vobis præbemus exemplum quod imitaremini.

VER. 10. *Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus, id est, præcipiebamus, vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.*

VER. 11. *Audiuiimus (id est, audimus) enim inter vos quosdam ambulare inquietè (id est, inordinate, incompositè) nihil operantes, sed curiosè agentes]* Docet hic Apostolus homines otiosos esse curiosos, garulos, dicaces, &c.

VER. 12. *Iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus (id est, præcipimus) & obsecramus in Domino Iesu Christo]* id est, per Dominum Iesum Christum.

Ut cum silentio (id est, cum quiete) operantes, suum panem manducent] Operatur ergo cum silentio & quiete, qui rerum alienarum incuriosus, suo operi incumbit.

VER. 13. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes]* horror ergo ut ita pergatis, nec deficiatis, id est, non segnescatis, non delassemini, benefaciendo, omnibusque charitatem exhibendo.

VER. 14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam q.d. Si quis non obedit præcepto meo, quod per hanc epistolam vobis significo; eum notate]* id est, signate, ut signantur boues cornupetæ, inquit Erasmus, ut vitetur ab omnibus,

Et ne commisceamini, id est, nolite conuersari & commercium habere, cum illo, ut confundatur] ut scilicet videns se ab omnibus vitari & negligi, pudefiat, pœniteat, & corrigatur.

VER. 15. *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem]* id est, admonete, & quasi mentem quam amisit, reddite ac reponite, monete consiliis.

Ipse autem Dominus pacis (Deus fons, auctor & amator pacis) *det vobis pacem sempiternam*, id est, *semper, perpetuo, in omni loco*] in omni tempore.

Dominus sit cum omnibus vobis] scilicet per gratiam suam.

Salutatio, mea manu Pauli] quasi dicat: Saluta- VER. 17.
tionem hanc qua vos saluto, ego Paulus mea ma-
nu subscrivo.

*Quod est signum in omni epistola, ita scribo] vti
nos epistolis Vale subscribimus, ita Apostolus
subscribit:*

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. amen] Hoc enim hactenus omnibus eius epistolis subscriptum inuenitur.



COMMENTARIA
IN I. EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
A D
T I M O T H E V M.

Timo-
theus
fuit mar-
tyr &
virgo.

Timotheus à Paulo creatus fuit primus Ephesi Episcopus , imò Archiepiscopus : iubet enim illi Apostolus , vt per alias vrbes Episcopos constituant & ordinet , quod est Archiepiscopi . Erat enim Timotheus zelosus pro fide , pro qua & martyr Ephesi occubuit ; fuit & virgo per omnem vitam . cum Cardinale Baronio colligimus in Macedonia hanc epistolam scriptam esse .

C A P .

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Admonet abstinentiam ab inanibus questionibus : docet legem esse bonam, non tamen iustis positam, sed iniustis. Commemorat Dei erga se misericordiam, siue vocationem ad apostolatum. Timotheo commendat fidem & bonam conscientiam.

PAULUS APOSTOLUS IESU CHRISTI secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Iesu spiritus nostrae] secundum imperium, id est delegationem, mandatum, praeceptum Dei. q. d. Per mandatum Dei apostolatum accepi. Christus ad Paulum sic ait: Ad Gentes longinquas mittam te, Act. 22.

Timotheo dilecto filio in fide] in qua fide, ipse mihi VERS. 1. sincerus, verus & germanus est filius, amulisque paternae doctrinæ & virtutis.

Gratia, misericordia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro] Hoc loco misericordiam interponit, ex quodam singulari erga Timotheum affectu coaceruans vocabula beneficentiae divinitate, tum etiam ut fontem gratiae & pacis, omniumque Dei beneficiorum quibus saluamur, apertius monstraret.

Sicut rogaui te ut remanesce Epheſi, cum irem in VERS. 3. Macedonia, ut denunciare quibusdam ne aliter docerent] Aliter docete, id est, euangelizare preter

V v id

Docere id quod euangelizatum est, & præter id quod accepérant fideles: vbi præter idem est quod contra. qui docet ea quæ dissentanea sunt & contraria doctrinæ prius acceptæ.

VERS. 4. Neque intenderent fabulis & genealogiis intermixatis (quæ finem non habent) quæ questiones præstanti magis quam edificationem Dei, que est in fide] id est, quæ scilicet fabulæ & genealogiæ magis altercationes & rixas pariunt, quām profectum in cognitione & cultu Dei, qui consistit in fide & pietate.

VERS. 5. Finis autem præcepti est charitas] quia lex per charitatem impletur, & sine ea impleri non potest. Augustinus præfatione in psal. 31. finem præcepti exponit quo perficiuntur & consummantur præcepta. ille tenet, & quod patet & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Augustin. in serm. de laud. charit. Iudei fabulis & genealogiis attendunt velut adminiculis ad legem obseruandam. at illa quæstiones & contentiones magis pariunt, quām fructum pietatis & obseruantiam legis.

Bona cōscientia est cor purum. Cor purum fons est bonæ conscientiæ bona conscientia resultat ex corde puro, sibique attestatur se purè & sanctè iuxta Dei legem viuere. Charitas de corde puro, id est, procedens à voluntate vacua prauis cupiditatibus, ita ut nihil aliud quām quod diligendum est, diligatur, inquit August. lib. 1. de doctrina christiana.

VERS. 6. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium] Euangelicæ legis & veritatis scopus est sincera fides, spes, charitas iam dicta: à qua qui aberrarunt doctores à scopo aberrarunt, & in vanilo

niloquium conuersi sunt, id est, conuerterunt se, &c
sponte defluxerunt.

*Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque
qua loquuntur, neque de quibus affirmant.]* Hinc patet
quod de Iudaeis ad Christum conuersis loquatur,
qui ambitiosi erant, cupiebantque haberi legis
Moysis periti & doctores, nec tamen scopum le-
gis attingerent, &c. non intelligunt finem & sco-
pum legis esse Christum, eiisque fidem spem &
charitatem.

*Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime
vtatur.]* Legis autem mens & finis est, homines ad
Christum ducere. qui ergo lege vtitur legitimè, id
est, quemadmodum lex ipsa iubet, hic Christum
præfert legi, inquit Chrysostomus, & non à lege,
sed à Christo iustitiam expectat.

Sciens hoc, quia lex iusto non est posita.] q. d. Lex
non est posita Christianis, iustis & sanctis, sed Iu-
dæis, qui quasi serui duri & rebelles, metu poena-
rum legis, ad legem seruandam cogendi erant;
Christianis verò pro lege datum est Euangelium,
spiritusque gratiæ & amoris, ut sua sponte faciant
id quod lex Dei iubet. *lex iusto non est posita,* id est,
lata non est ad iustos coercendos; iusti enim spon-
te sua se conformant legi, amore iustitiae & obe-
dientiae, non timore poenæ, quam lex transgressio-
ribus minatur.

*Sed iniustis, & non subditis, impiis & peccatoribus,
sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, ho-
mocidis.]* qui scilicet subdi & obsequi nolunt, sed
inobedientes & rebelles sunt.

*Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagia-
riis, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sana do-
ctrina aduersatur.]* Qui liberos aut seruos alienos

VER. 10.

abducunt & furantur, plagiarij vocantur.

VERS. 11. *Qua est secundum Euangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi]* Sanæ doctrinæ, quæ est, inquit, secundum Euangelium, id est Euangelio consentanea. vocat autem Euangelium gloria beati Dei, quia per ipsum Deus glorificatur. nam finis Euangelij, gloria Dei est.

VER. 12. *Gratias ago ei (Deo) qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro]* Sensus est: Gratias ago Deo meo, qui me confortat ad Christi gloriam: quia scilicet vires & animos mihi suppeditat, ut Christum potenter & intrepidè annunciem.

Quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio] apostolatus & prædicationis Euangelij. q.d. Gratias ago Deo hoc nomine, quod fidelem me existimauerit, id est, fidelem me existimando creditur mihi Euangelium.

VER. 13. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus]* Contumeliosus, violentum oppressorem significat, qui vim infert aliunque opprimit.

Sed misericordiam Dei consecutus sum] id est gratiam, qua &c peccata remitteret, & immensis beneficiis me cumularet.

Quia ignorans feci in incredulitate] nesciebam enim me Messiam persequi; zelo legis agebar, ac pro lege Moysis, quasi pro Dei lege pugnabam.

VERS. 14. *Superabundauit autem gratia Domini nostri]* qui me ex lupo ouem, ex Saulo Paulum, ex persecutore prædicatorem, ex blasphemero Apostolum effecit.

Cum fide & dilectione qua est in Christo Iesu] cum gratia abundè in me effusa, superabundarunt pariter

pariter in me effecta gratiae, videlicet fides & dilectio. fuit enim Paulo inspirata robustissima fides & ardentissima dilectio, qua quasi ignis totum orbem peruagatus inflammavit & accendit. Fides & dilectio in Christo, est fides & dilectio Christiana, sive quæ propria est Christianorum, Christi filiorum, quæ diuina, supernaturalis, cælestis & spiritualis est dilectio.

Fides in
Christo.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus] VER. 15
Fidele, pro vero, certo & firmo frequens est in Scripturis, maximè verbis ac promissis attributum.

Quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere] venit autem ut peccatores saluos facheret, id est, ut peccatoribus salutem adferret. Cuius salutis partes sunt conuersio, remissio peccatorum, iustificatio & glorificatio. Nam salus peccatoris in hac vita inchoatur, in futura perficitur.

Salus pec
catoris in
hac vita
inchoa-
tur.

Quorum primus ego sum] primus, id est, maximus & pessimus. nemo enim actior Paulo inter persecutores, nemo ergo peior inter peccatores. ita Augustinus serm. 9. de verb. Apost. Pauli peccatum ipsi in suo sensu videbatur esse maximum.

Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam] VERS. 16
id est, omnem longanimitatem. Illustris fuit Dei longanimitas, quæ furentem contra se Paulum tam diu sustinuit, quem vnico iectu oculi perdere poterat & fulmine afflare.

Longani-
mitas Dei
in Paulū.

Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum. Amen] VERS. 17
Deus est immortalis, incorruptibilis, immuta-

Immortalitas est causa eternitatis. bilis, ac consequenter aeternus. incorruptio enim & immortalitas est ratio, & quasi causa aeternitatis. Addit *inuisibili*, quia naturaliter nec corporis, nec mentis oculis, nec ullis naturae viribus Deus videri potest: sed ut quis videat Deum, supernaturali lumine gloriae opus habet, ut patet in Beatis. Rex ille saeculorum immortalis & inuisibilis, qui solus est Deus, honoretur & glorificetur *in saecula saeculorum*, id est, in omnem aeternitatem. amen, id est siat, adiicit Apostolus tanquam sigillum, quo confirmet & quantum in se est rata faciat ea quae proxime dixit.

VER. 18. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.]* Chrysost. Theophil. Theodor. propriè per prophetias accipiunt reuelationes.

Timotheus à Deo designatus est Episcopus. q. d. Hoc præceptum iam explicatum tibi, ô Timothee, commendo, ut, sicut Dei reuelatione & spiritu prophetiæ admonitus te Episcopum Ephesi ordinaui, ita iuxta eandem prophetiam nunc milites, illique respondeas, ostendásque veram fuisse de te prophetiam.

VER. 19. *Habens fidem & bonam conscientiam]* q. d. Milibus, ô Timothee, bonam militiam, si fidem rectam circa vera & orthodoxa dogmata, & bonam conscientiam, id est, sanctam vitam & mores sequaris & conscrues, ut fidem rectam alios docere, & bona vita exemplo subditis prælucere possis.

Quam (bonam conscientiam) quidam repellerent (id est, postquam repulerunt) circa fidem naufragauerunt] id est, fidei naufragium & iacturam fecerunt, factique sunt apostatae, schismatici, haeretici.

Ex quibus (de quorum num ero) est Hymenaeus VERS. 10.
& Alexander] Hic ille est de quo 1. ad Timoth.
4. Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, &c.

Quos tradidi Satanae] id est, quos excommuni-
caui. significat eos Satanae, quasi carnifici cru-
ciandos esse traditos. ita docet Chrys.

Vi discant non blasphemare] ut emendentur &
resipiscant à sua blasphemia & heresi. excommu-
nicatio enim non ad perditionem, sed ad emen-
dationem peccatoris ferri debet, ut notat Chry-
ostomus.

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Vult preces fundi pro omnibus hominibus, cùm
Deus omnes velit saluos fieri. De virorum &
mulierum oratione. Mulieri docere non per-
mittit, sed discere in silentio.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecratio- VERS. 1.
nes. q. d. Primo omnium, id est ante omnia,
volo fieri obsecrations, orationes, postulationes, gra-
tiarum actiones pro omnibus hominibus.] etiam infi-
delibus, inimicis, persecutoribus. Ostendit hic lo-
cus nullum hominem dum viuit, adeò perditum
esse, ut de eius salute nobis sit desperandum; nam
oratio spei professio est.

Orandum
pro omni-
bus.

Pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt] id VERS. 2.
est, in dignitate vel eminentia. ora ut orationibus
humiliis Deus præstet salutem sublimium.

Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate] in omni reuerentia Dei & puritate.

VERS. 3. *Hoc enim (vt scilicet oretur pro omnibus hominibus) bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo] Nota. non Christum, sed Deum vocat Saluatorem , quia Deus vult omnes saluos fieri, ideoque Christum Saluatorem omnibus dedit.*

VERS. 4. *Qui (Deus) omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire] quantum ex parte sua, serio , & ex animo cupit & optat Deus omnium salutem , omnésque eò vocat , & ad eam sufficientia dat media. Vult enim Deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum : non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint, inquit S.Ambrosius.*

VERS. 5. *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus] vnus est Deus, omnium hominum creator ; vnus etiam homo Christus, Dei atque omnium hominum mediator, omnium redemptor: ergo siue beneficium creationis spectetur, quod omnium commune est, siue beneficium reconciliationis ac redemptionis, quod omnibus propositum est ; vult Deus omnes homines saluos fieri. Necesse fuit in Christo hypostaticè naturam diuinam & humanam copulari, vt odia inter Deum & homines componaret. Vnus (Christus) est conciliator pacis , qui ea, quæ erant inter se disuncta & distantia, coniunxit , inquit Theodoretus. Nota. in Christo, solus Deus non est mediator , nec solus homo, sed Deus homo : hic enim exercuit opera mediatores, seu redemptionis nostræ in humanitate à se assumpta.*

Qui

Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus] redēptionem, id est, pretium redēptionis. Christus pro nostra vita suam tradidit, quasi nostrum. ita Theophylactus.

Testimonium temporibus suis] ut scilicet hæc ipsa Christi redēptio suis tēporibus esset testimoniū, tum diuinæ charitatis, fidelitatis (qua hanc redēptionem hominibus per prophetas promisit, & re ipsa præstīt) Christi enim sanguis effusus testatur, & fidem facit quantum Deus nos diligit, & quantopere cupiat omnes saluos fieri; tum æquitatis & iustitiæ diuinæ in futuro iudicio.

In quo (ad quod, scilicet testimonium & Chri- sti redēptionem promulgandam) posuit sum ego p̄dicator & Apostolus (*veritatem dico, non men-*tior) dōctor Gentium in fide & veritate] doctor Gentium instituendarum in fide & veritate; id est, ut fidem Christi recipiant & veritatem eius agnoscant.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione] hoc est, sanctas, manus scilicet seruando vacuas ira & disceptatio-ne, pugnis, rapina, auaritia, turpitudine, ac per eleēmosynas eas sanctificando. Leuare manus habitus est orantis sine ira, id est: sine iniuriarum memoria, sine vindictæ cupiditate. Ambrosius per disceptationem intelligit mentis euagatiōnem, quæ in oratione excludi debet per attentionem animi.

Similiter & mulieres in habitu ornato] id est, hon-nesto, decenti. ornato, id est, modesto ac modera-to, & qui deceat mulieres, nam quod decet, id de-mum ornat.

VERS. 9.
Quis ha-bitus or-natus in muliere.

Cum verecundia & sobrietate. id est, verecundè, sobriè, moderatè & modestè, ornantes se, & non in toris crinibus, aut auro, aut margariis, vel ueste pretiosa] id est, uestitu sumptuoso.

VER. 10. *Sed quod decet mulieres promittentes (id est, profitentes) pietatem per opera bona] q.d. Ita honestè ac modestè se uestiant, sicut uestiri decet mulieres Christianas, quæ per bona opera, id est, per bonam vitam & mores Christianos profitentur, non leuitatem, non luxum, non lasciuiam, sed pietatem ac cultum Dei.*

VER. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione,] Iubet mulicerem discere cum omni subiectione.*

VER. 12. *Docere autem mulieri non permitto] in Ecclesia &c cætu publico, vbi agitur communis oratio.*

Neque dominari (hoc est, auctoritatem usurpare) in virum, supple permitto mulieri, sed esse in silentio] id est, quiete.

VER. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eua] viro auctoritas in mulicerem competit, non contrà.*

VER. 14. *Adam non est seductus, Græcè deceptus, mulier autem seducta in prævaricacione fuit] q. d. Mulier vbi decepta fuit, prævaricata est, & transgredi cœpit præceptum Domini.*

VER. 15. *Saluabitur autem per filiorum generationem] q. d. Esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeoque saluabitur, non per librorum, sed per liberorum tractationem.*

Si permanferit in fide & dilectione] q. d. Saluabitur mater, si curerit ut filij permaneant in Christi fide & dilectione, ac sanctitate, adiuncta sobrietate,

brietate, inquit Chrysostomus. quod intelligi potest de eo tempore quo liberi sunt sub cura & educatione matris.

C A P V T III.

S V M M A R I V M.

Describit conditiones in Episcopo, diaconis & mulieribus requisitas; admonens Timotheum, ut secundum hec præcepta in Ecclesia conuerteretur.

Fidelis sermo: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.] opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. ita S. Hieron. Bonum, id est præclarum & arduum, opus desiderat. Vult docere Apostolus munus excelsum esse & arduum. Episcopatus est onus angelicis humeris formidabile: nam non tantum pro sua, sed & pro omnium sibi subditorum animabus ab Episcopo rationem exiget Deus, vt docet Concil. Trident.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse.] VERS. 2. q.d. Laudo quod quæritis, sed discite quid quæratis. tanta debet gloria virtutis excellere, vt instar solis ceteras stellas suo fulgore obscuret. Oportet Episcopum Angelum esse, nulli humanae perturbationi vitiöve subiectum, inquit Chrysostomus.

Vnius uxoris virum.] Intellige monogamum absolu

Episcopatus est opus arduum.

Episcopus debet esse instar solis & quasi Angelus.

absolutè, qui secundas non iniit nuptias, nec successuè plures habuit vxores, sed vnam tantùm.

Sobrium, tam sobrium, quām vigilem atque perspicacem, sūisque rebus attentum significat. *prudentem*, qui sana mente, iudicio ac consilio est, significat. *ornatum*, idēm est quod moribus compositum; vt etiam per corpus appareat animi moderatio & temperantia. *pudicum*, vt se pudicos seruent Episcopi & Ecclesiastici, maximè vitare debent consortia mulierum. *hospitalem*, id est, peregrinorum amantem, & erga eos hospitalem. *Doctorem*] id est, aptum ad docendum. summa enim omnium virtutum Episcopaliūm est scientia & doctrina, inquit Hilarius.

VIR. 3. *Non vinolentum, non percussorem.*] q.d. Qui manib[us] non percutiat, non leuiat, non sit asper & crudelis in domesticos & subditos. ita Theoph. & Anselm.

Sed modestum] id est, æquum, humanum, mansuetum, qui non rigidè ius suum exigit, sed quantum res patitur, aliorum se moribus & affectibus accommodat.

Non litigiosum, absque iurgio. non cupidum] id est, alienum ab argenti cupiditate.

VIR. 4. *Sed sua domui bene præpositum*, id est, qui domui bene præsit filios, si quos genuerit antequam crearetur Episcopus. vnde & Ambrosius notat, non dicit Paulus, Facientem aut gignentem, sed, *habentem subditos cum omni castitate*] id est, honestate & grauitate morum.

VIR. 5. *Si quis autem domui sua præesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit?*] id est, curant habebit.

Non neophytnum, ne in superbiam elatus, in iudi-
cium

cium incidat diaboli] nouitium, id est, recens con- Cur neoz-
uersum & baptizatum. Excluditur neophytus, phytum
ait Haymo, ne dicere possit, Indigebat Ecclesia sacerdo-
mea sapientia, ideo me ad fidem adduxit, & super tio arcet
se constituit; itaque in iudicium, id est, condem- Paulus.
nationem, incidat diaboli.

Oportet autem illum & testimonium (bonæ vitæ) VER. 7.
habere bonum ab iis qui foris sunt (ab infidelibus)
ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.]
Ipsum opprobrium vocat laqueum diaboli. q. d.
Talis eligatur Episcopus, cui etiam Gentiles pro-
bitatis testimonium perhibeant, ne alioqui, si ipsi
pristica virtus ei exprobrent, ipse incidat in la-
queum diaboli, id est, infamiam, si atque commu-
ne probrum, quo quasi laqueo diabolus multos
fideles & infideles capiat, eosque à tali Episco-
po, & consequenter à fide & religione Christi
auertat. ita Ambrosius.

Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non mul- VER. 8.
to vino deditos, non turpe lucrum sectantes] turpiter
& auare quæsitum.

Habenentes mysterium fidei in conscientia pura] ha- VER. 9.
bentes fidem mysteriorum Christianæ religionis,
hoc est fidem Christianam, coniunctam cum pu-
ra conscientia, id est, cum animo sincero ac bene
sibi conscio. nam Apostolus more suo præter
fidem exigit charitatem, & conscientiam bo-
nam.

Et hi autem probentur primum.] Probatio- VER. 10.
nem intellige constantis fidei, & vitæ inculpatæ:
præsertim quod diaconis etiam dispensatio the-
saurorum Ecclesiæ committeretur.

Et sic (ordinati ab Episcopo) ministrent, nul-
lum crimen habentes.] Sensus est: Prius probentur,
deinde

deinde ministrent postquam probati fuerint & irreprehensibles inuenti.

VER. 11. *Mulieres similiter pudicas, scilicet oportet esse. pudicas, id est, graues, modestas, castas. non detrahentes, id est, non calumniatrices. sobrias, vigilantes & prudentes esse eas oportet. fideles in omnibus] id est, veritatem & iustitiam in omni negotio sibi commisso, seruantes.*

VER. 12. *Diaconi sint unus uxorius viri: qui filiis suis bene prasint, & suis domibus.] De hoc vide dicta versu 2. vbi idem exegit ab Episcopo.*

VER. 13. *Qui enim bene ministraverint in suo diaconatu gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quae est in Christo Iesu] quod si diaconatus officio bene functi fuerint; viam sibi parabunt ad gradum maiorem & honoratiorem, nempe presbyterij, vel etiam Episcopatus. fiduciam significat libertatem ingenuè agendi, quam parere solet mens conscientia recti.*

VER. 14. *Hac tibi scribo, sperans me ad te venire cito] scilicet Ephesum, vbi Timotheus erat.*

VER. 15. *Si autem tardauerero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quae est Ecclesia Dei viui] id est, quales esse, & quomodo viuere debeant in domo Dei, qui in eius ministerio a te constituentur, scilicet Episcopi & diaconi. Ecclesia domus Dei dicitur, cuius hodie rector est Damasus, inquit Ambrosius.*

Columna & firmamentum veritatis.] Patet Ecclesia in doctrina fidei errare non posse, & proinde veritatem huiusmodi doctrinæ ab ea petendam esse. Ecclesia quasi columna veritatis, per se in veritate firma est & solida, ut possit alios in ea confirmare. Sed quæres, unde Ecclesia habeat

habeat quod sit columna, & firmamentum veritatis? Respondeo, id eam habere à Christo, per promissiones infallibles ipsi Ecclesiaz, & Petro capiti eius factas, &c. Ipsa iuxta promissiones sibi factas, in veritate firmatur à Deo, & per eandem veritatem conservatur.

Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum] VAR. 16.
quia de re magna.

Quod manifestatum est in carne. magnum hoc pietatis sacramentum est, ipsum Verbum incarnatum, siue Deus homò, nascens, patiens, crucifixus, resurgens, ascendens, &c.

Pietatis.] Dei cultus ac religionis. q.d. Mystérium incarnationis pium est, & tale quo maximè colitur Deus, & quod incitat nos ad pietatem, Dei cultum ac venerationem. En magnum pietatis sacramentum, scilicet quod Verbum aeternum inse inuisibile, in carne apparere viderique dignatum sit.

Deus in
humana
carne ab
homini-
bus vi-
sus.

Iustificatum est in spiritu] per spiritum declaratus est iustus & verax in operibus & doctrina: atque ab omnibus Iudeorum calumniis absolutus. nam in Scriptura frequentissimum est, *iustificari* pro eo quod est iustum declarari & in iudicio absolui. ita Christus iustificatus est in spiritu, multiplicitate: ut per testimonia diuinitus exhibita in eius nativitate & baptismo, & aliis; sed præcipue per innumera miracula quæ fecit virtute Spiritus sancti.

Apparuit Angelis] visus est ab Angelis in praesepio Deus infans. Deus homo ab Angelis visus fuit, quem antea non viderant.

Prædicatum est Gentibus.] Mira fuit Dei bonitas, quod omnibus Gentibus, Christus Christique iustitia

iustitia prædicata fuit.

Creditum est in mundo.] id est, per vniuersum mundum vbi cunq; fuit prædicatus. sic de Evangelio dicit Coloss. i. quod in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit.

Assumptum est in gloria.] Christus assumptus, id est, receptus est à mundo tanquam in gloria Patris existens, tanquam verus Deus, cui omnis debetur gloria, quem proinde totus mundus glorificat.

C A P V T I V .

S V M M A R I V M .

Predicit exorituras hereses : docet omnem creaturam Dei bonam esse ; pietatis exercitium ante omnia requirit : admonet Timotheum ne gratiam negligat diuinitus acceptam.

VER. I. **S**piritus autem manifeste dicit] Spiritus sanctus, inquit, futorum præscius, dicit & annunciat, siue per me, siue per alios quos inspiravit ; dicit, inquam, manifestè, id est expressè, differtè, planè, ac sine ænigmate.

Quia (quod) in nouissimis (id est, posterioribus, vel sequentibus) temporibus discedent, id est, deficient, siue desculcent quidam à fide] id est, deserent fidem Christianam semel suscep tam. id quod hæreticorum est & apostatarum.

Atten

Attendentes spiritibus erroris, id est, fallentibus, seductoribus, & in errorem ducentibus, & doctrinis demoniorum] vnde recte hic Chrysostomus assertit omnem hæresim & hæreticorum dogmata esse ex diabolo.

Omnis
haeresis
est ex dia-
bolo, ait
Chrysost.

VERS. 2.

In hypocrisi loquentium mendacium] id est, in simulatione, in fictione. cum domi & secretè viuerent turpissime & libidinosissime, foris tamen & exteriùs simulabant se castè & sanctè viuere, adeoque damnabant nuptias, etiam legitimas, ut docet Epiphan. & Augustin.

Et cauteriatam habentium suam conscientiam] cauteriatam, id est, inustam ac noratam cauterio: cum sancti haberi velint, tamen conscientiam gerunt impurissimæ vitae maculis indelebiliter notatam. Benè autem hypocrisim coniungit cum mala conscientia; nam quicunque virtutem simulat, eo ipso sibi testis est se ea carere. Cauteriatam conscientiam vocat Apostolus eam, quæ sensum peccati amisit, instar partis cauterio inustæ, quæ iam peruenit ad dedolentiam.

Cauteria
ta con-
scientia
hæretico-
rum.

Prohibentium nubere, id est, contrahere matrimonium. abstinere à cibis] Loquitur contra Simonianos, Saturninum, Ebionem, Manichæos, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, &c. non esse à Deo bono, sed malo, puta diabolo, creata, ac proinde hæc natura sua esse mala & cauenda, eorumque esu & vsu hominem infici & maculari.

Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione] scilicet Deo creatori & largitori referenda.

Fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem] Fideles enim sunt ij qui veritatem diuinitus manifestam cognoverunt.

VERS. 4.

Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur] Crede Dei seruos, quia carnibus abstinent, non tanquam immunda quae à Deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo & potu sola castigatione corporis abstinere.

VERS. 5.

Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem] id est, per verbum Dei, quod est oratio. q. d. Per verbum & orationem Dei, id est, quae fit ad Deum.

Hoc (omnia iam dicta) proponens fratribus (Christianis,) bonus eris minister Iesu Christi.

VERS. 6.

Enutritus verbis fidei & bona doctrina, quam affectus es] ita ostendes te bonum esse ministrum Christi, quippe qui fratres tanquam filios, nutrias & instituas in doctrina rectae fidei, quam es affectus, in qua ab adolescentia es versatus. q. d. Affiduè in diuinorum literatum studio es versatus & exercitatus, ô Timothee.

VERS. 7.

Inepias (id est profanas) autem & aniles fabulas deuita] id est, reiice. Verisimile est autem notari Simonianos, qui, testibus Irenæo, Epiphanio, & Augustino, longas fabulas texebant de Deo bono, & malo, de rerum creatione, de pugna Angelorum, &c. quæ partim profanæ erant & impiaæ, partim aniles & ineptaæ.

Pietas est
timor &
cultus
Dei.

Exerce autem te ipsum ad pietatem] id est, circa pietatem, vel in pietate. Pietas rectissima norma est, & conuersationis optimæ disciplina, inquit Chrysostomius. Pietas Deum respicit, & que Dei cultus, & sincerus erga eum affectus, ac studium interiore deuotionis, excitans ad spem, timorem & amorem Dei. pietas est sapientia.

VERS. 8.

Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est]

Corpo

Corporalis exercitatio, dicitur gymnastica lucta & exercitatio athletarum, qua suum corpus cursu, lucta, pugna, aliisque modis exercent, ad modicum utilis est, scilicet ad sanitatem, vel ad bracium & præmium temporale tantum.

Pietas autem ad omnia utilis est] pietas vero, id est, Dei cultus, perutilis est ad procurandam animæ sanitatem, & ad promerendum brauium vitæ æternæ.

Promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ] omnia utilis
Deus propter opera pia quasi merita promisit mercedem vitæ, non tantum præsentis, sed & futuræ.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus] Sermo, scilicet qui præcessit, puta quod pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est & futuræ. ita Chrysostomus.

In hoc enim (scilicet ob pietatem, & ut vitam eternam piis, & pro pietate decertantibus promissam asequamur) laboramus (labores magnos exantlamus) & maledicimur (id est, contumeliis & probris impetumur) quia speramus (id est, sperauimus, vel spem fiximus) in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

Præcipe hæc, & doce] hæc, omnia quæ dixi de magno pietatis sacramento, de vitandis hæresibus, & sana doctrina retinenda, deque pietate ad omnia utili. præcipe & doce, id est, præcipiens doce, cum auctoritate fidelibus trade.

Nemo adolescentiam tuam contemnat] q.d. Esto, sis iuuenis, ita tamen sancte & graviter te gere, vt non contemnaris, quasi imprudens.

Sed exemplum, id est, forma, norma, & exemplar yitæ, quod omnes intueantur, esto, fidelius in verbo,

Exercitatio corporalis quæ sit.

VERS. 9.

VERS. 10.

VERS. 11.

VERS. 12.

id est, in sermone graui & tali qualis decet Episcopum, in conuersatione] id est, in vita & viuendi consuetudine.

In charitate] ut scilicet zelum & amorem Dei te habere ostendas.

In fide] id est, in fidei rectitudine & constantia.

In castitate] id est, in vitæ totius puritate.

VERS. 13 *Sacra Scriptura est liber sacerdotalis*, ait Ambros. est substantia sacerdotij nostri, inquit S. Dionysius. Primum ei commendat assiduam lectionem Scripturæ sacræ, ut ex ea discat quod alios doceat.

VERS. 14 *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij*] gratiam, id est, donum, officium scilicet, & ordinem Episcopi, auctoritatem & munus docendi. ita Ambrosius & Chrysostomus. *Per prophetiam*, id est, reuelationem, qua Deus iussit Timotheum ordinari Episcopum.

VERS. 15 *Hac meditare, id est, hæc cura, hæc fatage, in his esto*] Chrysostomus & alij significant Apostolum respicere ad istud, Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: & Timotheum repetita admonitione hortari, ut hæc curet & agat; atque in iis totus sit.

Ut profectus tuus manifestus sit omnibus] in omnibus, non tantum in conuersatione vitæ, verum etiam in verbo doctrinæ.

VERS. 16 *Attende tibi & doctrinæ*] Græcè, tibi ipsi. Sensus est: Attende tibi ipsi, ut recte viuas: attende etiam doctrinæ, ut alios recte instituas.

Insta in illis] insiste in his duobus quæ dixi, ut

& tibi attendas, & doctrinæ. Hæc duo munia sunt Episcopi; iñd cuiusvis pastoris; vt scilicet primùm se, deinde alios doceat. qui enim seipso negligunt, & totos se in proximorum curam effundunt, euanido spiritu laborant, nec sibi nec aliis prosunt. Viue tibi, attende tibi, si vis aliis prodeesse.

Pastor
primò se;
deinde
alios dñs.
ceat.

Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt] Nota, eum qui sibi attendit, se ipsum; & qui doctrinæ intendit, alios saluos facere.

CAPVT QVINTVM.

SUMMARIVM.

Instruit Timotheum quomodo quamlibet atatem admonere debeat; quas viduas honora-re; quomodo cum iunioribus viduis agen-dum; qui presbyteri honore digni: neminem facile ordinandum.

SEniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, ea

VERS. 1.

reuerentia & lenitate, vt potius eos obsecrate quam admonete videaris. iuuenes vt fratres.

VERS. 2.

Anus ut mares, id est, mulieres natu grandio-res, iuuenulas ut sorores, in omni castitate] id est, pet omnia castè.

Viduas honorare quæ vere viduae sunt] quæ scilicet ab omnibus etiam filiis desolatae, atque omnibus curis exutæ, vnique Deo intentæ & dicatae sunt, ita Chrysost. Anselm. Theophyl.

VERS. 3.

Si quæ autem vidua filios aut nepotes habet] à qui-bus ali possit; vere vidua non erit.

VERS. 4.

Discat primum domum suam regere] id est, piè tractare, vt scilicet piè filios regat.

Et mutuam vicem reddere parentibus] vt scilicet, si parentes adhuc viuant, eis inseruiat, opituletur, ministret, eōsque alat, sicut ab eis à puerō alita & educata est.

Hoc enim acceptum est coram Deo] opus illud pietatis filiorum in parentes est Deo vehementer gratum, vnde & promissionem longæuitatis annexam habet in decalogo.

VERS. 5. *Quæ autem vere vidua est, & desolata, hoc est, quæ desolata est, speret in Deum, & instet obsecrationibus nocte ac die] speret, id est sperauit aut sperrat, quasi Apostolus describat quæ verè viduae sint, scilicet, quæ omnium hominum spe destitutæ totam spem & mentem in Deum defixerunt. ita Chrysostomus.*

VERS. 6. *Nam que in deliciis est, viuens mortua est] secundum spiritum, vt pote gratia Dei priuata, q.d. *Vita in deliciis* non viuit, sed vitam corporis, obruit animæ morte. Vita in deliciis agens; & mors est & umbra mortis, inquit Bernardus.*

VERS. 7. *Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint] præcipe viduis, scilicet, vt in Deum sperent, in orationibus assidue sint, delicias & voluptates fugiant, &c.*

VERS. 8. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet (vt tam corporis, quam animæ saluti prouideat) fidem negavit] non verbo, sed factis & opere: qui ergo suos negligit, videtur fidem & Christianismi famam negligere, &c.*

Et est infideli deterior] Infideles enim naturali instinctu & pietate suorum curam gerunt.

VERS. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum,*

quæ sit diaconissa. eligatur scilicet vna è multis,
quæ ceteris dignior iisque preponēda. quæ (vidua)
fuerit vnius viri vxor] id est, quæ non plures ha-
buerit maritos quàm vnum, nempe successiū.

In operibus bonis testimonium habens, si filios edu-
cauit, per se & ad pietatem, si hospitio recepit] id est,
si fuit hospitalis, in peregrinis scilicet & pauperi-
bus hospitio excipiendis.

Si sanctorum pedes lauit, id est, Christianorum
peregrè venientium, si tribulationem patientibus
subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

Adolescentiores autem viduas deuita] id est, reiice,
ne admittas in numerum viduarum ab Ecclesia
alendarum, non enim vitari eas vult, sed non
assumi.

Cum enim luxuria & fuerint in Christo nubere vo-
lunt] luxuriari, id est, lasciuire, deliciari, in Chri-
sto, id est, in Christi iniuriam. vox ergo luxuriari,
non libidinum, sed luxū deliciarum hīc significat.

Habentes damnationem, quia primam fidem irri-
tam fecerunt] Habere damnationem, non aliud est,
quàm obnoxium esse damnationi, etiamsi illa
nondum præsens sit. Apostolus fidem hic intelligit
Deo daram, sive promissionem Deo factam per
votum continentia, hæc enim tam irritatur & in-
fringitur nubendo, quàm fornicando. Augustinus
ait: In iis qui voverunt castitatem, non tantum
capellere nuptias, sed nubere velle damnabile
est. Concilium Carthaginense, per primam fidem
intelligit votum castitatis.

Simul autem & otiosa discunt circuire domos, non
solum otiosa, sed & verboſa (id est, nugaces, inc-
ptæ, loquaces, garrulæ) & curiosa, id est, re-
rum alienarum & ad se non pertinentium inda-

Fidē ir-
ritā fa-
cere, eft
votum
infringe-
re.

gatrices.loquentes quæ non oportet] quia verba proferunt interdum parum honesta & pudica; quod prouenit ex lasciuia.

VERS. 14 *Volo ergo iuniores nubere,filios procreare,matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia]* Volo, inquit, id est concedo, tales nubere, antequam promittant quod non valent implere. Patet Apostolum loqui tantum de viduis eisque liberis, nec voto astricatis, quibus non praecipit, sed indulget. *maledicti gratia*, id est, ad Ecclesiæ maledicendum.

VERS. 15 *Iam enim quadam conuersa sunt (deerrauerunt) retro Satanam] id est, post Satanam. Sensus est: eas à Christo auertas, Satanam, id est diabolum, secutas esse.*

VERS. 16 *Si quis fidelis habet viduas , subministret illis, & non grauetur Ecclesia ; ut iis, quæ vere viduae sunt, sufficiat] subministret , id est, sufficiat illis non ad lasciuiam , sed ad vitæ necessitatem & sufficiemtiam.*

VERS. 17. *Qui bene presunt presbyteri , duplici honore digni habeantur,maxime qui laborant in verbo & doctrina]* Duplici, id est, multiplici. q.d. Presbyteri multo, liberali, & abundanti honore, id est, subsidio sustentationis præmientur. Dicit autem, *Qui laborant , quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parui laboris est.*

VER. 18. *Dicit enim Scriptura : Non alligabis os boui tritamenti, Deut. 25. &, Dignus est operarius mercede sua.*

VERS. 19 *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

VER. 20. *Peccantes coram omnibus argue , id est , palam & in publico conuentu Ecclesiæ, grauiter ac severe sunt increpandi. Peccantes autem intellige , aut*

per se manifestos , aut publico iudicio conuictos , &c. vt & ceteri timorem habeant] id est , vt ceteri timeant similem obiurgationem , hoc est , publicam , & cum publico pudore coniunctam , &c.

Tetstor (id est , obtestor te) coram Deo & Christo Iesu & electis Angelis . Angelos electos vocat Apostolus Angelos sanctos , ut hac custodias sine prauidicio , nihil faciens in alteram partem declinando] personam non respiciens , cum æqua balance .

*Manus cito nemini imposueris , neque communica-
ueris peccatis alienis .] Per manus impositionem
intelligit ordinationem . q. d. Vide , ô Timothee
Episcopœ , ne quem temerè ordines , sed vnum-
quemque priùs proba & examina , an probata sit
vitæ & doctrinæ , talique gradu dignus : alio-
qui particeps fies peccatorum , & scandalorum , &c.*

*Teipsum castum custodi .] Propriè castum si-
gnificat purum , & immaculatum ab omni cul-
pa . Admonet Timotheum castitatis , id est , pu-
dicitiae diligenter , & omni studio conseruan-
dæ . Vnde Syrus vertit , Temet ipsum serua , id
est , in puritate , innocentia . qui enim seipsum ca-
ustum custodit , non communicat peccatis alic-
nis , &c.*

*Noli adhuc aquam bibere , sed modico vino utere
propriet stomachum tuum , & frequentes tuas infirmi-
tates .] Præcipit Paulus Timotheo ægro usum
vini ; quia , vt ait Ambrosius , vult Deus pru-
denter sibi seruiri , ne nimietate (laboris vel ab-
stinentiae) debiles efficiamur , & postea medico-
rum suffragia requiramus .*

VER. 21.

VER. 22.

Manuū
impositio
quid si-
gnificet .

Castitas
seruana-
da .

VER. 23.

VER. 24. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur.] q.d. Præcepit tibi, ô Timothee, manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. tu mihi obiicies, Quomodo aliena*

*Alios pec-
cata præ-
cedunt ad
iudicium,
alius se-
quuntur,
quo sen-
su.*

*peccata deprehendam? respondeo, peccata quo-
rundam esse manifesta, aliorum verò occulta. si
manifesta sint, non laborabis, quia facilè cognos-
ces eos, qui illis obnoxij sunt, indignos esse or-
dinatione, & dignos esse condemnatione ac pœ-
na. natūrā eos qui apertè mali sunt, iam constat es-
se reiiciendos, etiam antequam de iis iudicium
examinis habeatur; quia peccata eorum ita ma-
nifesta sunt, ut iudicium hoc præcurrant. si oc-
ulta sint, tibi laborandum erit ut ea detegas: sed
ne despera, exspecta, scrutare, explora, tandem ea
deprehendes, quia peccata peccatorem subse-
quentur quasi à tergo, &c.*

VER. 25. *Similiter & facta bona manifesta sunt, & de
his non laborabis: sed cognosces eos ordine es-
se dignos. & quæ aliter se habent, scilicet bona
acta aliorum quæ occulta sunt, abs condi non pos-
sunt] quin, si ea diligenter perscruteris, sis
cognitus, & facilè animaduersu-
rus, an ordinandi sint nec ne. ita
S.Hieron.Anselmus,Ga-
gnicius, & alij.*

* *

C A P V T VI.

S U M M A R I V M.

Seruos sui officij admonet. Cauendas docet pugnas verborum. in quo periculo versentur qui dinites fieri volunt. Timotheum ad officia pietatis hortatur. quid ab eo dissitibus precipiendum sit. Denique ipsum monet ut depositum custodiat.

Qvicunque sunt sub iugo serui. Dominos suos omni honore dignos arbitrentur. ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.] Vult seruos per omnia officiosos esse erga dominos. non solum. ne male audiat religio. & doctrina Christiana; verum etiam ut bene audiat. vtque domini. qui non credunt verbo. considerantes bonam & sanctam seruorum suorum conuersationem. sine verbo lucrifiant. & haec quidem de seruis dominorum infidelium. nam de seruis fidelium nūc sequitur.

Qui autem fideles habent Dominos. non contemnant. quia fratres (id est Christiani) sunt. ad dominos referenda est. non ad seruos. sed magis seruiant. quia fideles sunt & dilecti. qui beneficij participes sunt. q. d. Dilectione & honore digni sunt domini fideles. tanquam fratres scilicet. & domestici fidei. hac doce nescientes. & exhortare] scientes. ut quod sciunt faciant & opere implant.

Si quis aliter docet. & non acquiescit sanis sermoni

V E R . 1 .

V E R . 2 .

V E R . 3 .

sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrina] id est, ei doctrinæ quæ pietati consentanea est, quæque pietatem promouet. hæc enim est doctrina sana. Pietatem intellige verum Dei cultum, qua nimurum rectè & sincerè Deus colitur.

VERS. 4.

Superbus est, inflatus est, nihil sciens] quia reuerba nihil habet solidæ scientiæ pertinentis ad pietatem, Iudaizantes potissimum hic notantur, censentur Apostolo nihil scire, quia carebant scientia gratiæ Christi, sine qua omnis alia fides & scientia nihil omnino prodesse poterat ad salutem. Nihil sciens eorum, quæ præ aliis iactat se sciens hereticus dicitur Nihil sciens, quia licet multa sciat de Deo, &c. tamen sua hæresi fidem diuinam sibi abstulit, ut ne vel unum articulum fide diuina credit.

Fides docet credere quæ non vides.

Sed languens circa questiones & pugnas verborum] Cuiusmodi sunt qui sine fide querunt ac disceptant de iis, quorum ante omnia à nobis fides exigitur. Fides est oculus qui non habet oculos, nihil videt, nihil inuenit, sed tantummodo querit. Sola fides est quæ mentem in veritate stabilis, & quæstiones omnes excludit: fides enim docet credere quæ non vides, quæ non capis, quæ non intelligis, fides docet Deum esse omnipotentem, &c.

Ex quibus oriuntur inuidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones male] coniuicia & probra, quibus se mutuo impetunt contentiosi disputationes, &c.

VERS. 5.

Conflictationes hominum mente corruptorum] id est, inanes ac prauæ exercitationes hominum, quorum mens ambitione, vel auaritia, aliisque affecti

affectibus occupata & corrupta est.

Et qui veritate priuati sunt, qui scilicet in pœnam hæresis excæcati sunt, ut veritatem intueri non possint. existimantium questum esse pietatem.] Hodie Nouantes existimant pietatem quæstum esse, quod ecclesiæ vel monasteria desplicant.

Est autem questus magnus pietas cum sufficientia.] ipsa pietas magnus est questus: quia pietas multò plus valet, quam quicquid ab homine auaro desiderari potest. Dico magnum quæstum esse pietatem in seipso cum sufficientia, id est, si coniuncta sit sufficientia, siue animo sibi sufficienti, id est, sua sorte contento; quem parit & gignit ipsa pietas.

Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud du- VER. 7.
bium quod nec auferre quid possumus.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his VERS. 8.
contenti sumus.

Nam qui volunt diuities fieri, incident in tentatio- VERS. 9.
nem & in laqueū diaboli, & desideria multa inutilia
& nocua, quæ mergunt homines in interitum & per-
ditionem.] id est, demergunt in profundum, interi-
tum scilicet & damnationem.

Radix enim omnium malorum est cupiditas.] Au- VERS. 10.
aro nihil est scelestius, hic enim & animam suam Cupidi-
venalem habet. Eccli. 10. Extirpa ergo cupiditas
& nocua, quæ mergunt homines in interitum & per-
ditionem. sicut radix omnium malorum est cupiditas, ita
radix omnium bonorum est charitas.

Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & in-
seruerunt se doloribus multis.] Sic hodie multi vel
metu amittendarum, vel spe acquirendarum
opum, à fide Catholica ad hæresim desciscunt.

VER. 11.

Auari-
tiar radix
omnium
malorū.

Tu autem, ô homo Dei, hac fuge, tu inquam, qui es homo Dei, & proinde in ea quæ Dei sunt, totus intendere debes; ista quæ dixi, fuge; scilicet auaritiam & peccata quæ ex illa radice procedunt. *seclare vero iustitiam*, id est perseguere, ut venator persegitur feram; ita tu iustitiam. *pietatem*, qua Deus ex animo & pura intentione colitur. *fidem*, cælestia bona querentem; à qua aberauerunt quidam per auaritiam. *charitatem*, non querentem quæ sua sunt, sed quæ aliorum. *paientiam*, qua non solum superfluis, verum etiam necessariis æquo animo caremus. *mansuetudinem*] pro qua Ambrosius legit, tranquillitatem animi, dum scilicet non commouemur aduersus eos, qui nos iniuriis afficiunt, ea quæ nostra sunt auferentes, iuxta illud: *Qui auferit quæ tua sunt, ne repetas.*

VER. 12.

Certa bonum certamen fidei.] Vocatur autem certamen fidei, vel quia non nisi per fidem vincit, qui in hoc certamine versatur. vel quia certamen hoc pro fide Christi propaganda ac defendenda suscepimus erat.

Apprehende, viriliter certando tanquam palmam victoriae vitam æternam, in qua, vel ad quam, vocatus es] à Deo.

Et confessus bonam confessionem coram multis testibus] tanquam dicat Apostolus: Ita certa in cursu ministerij tui, ut apprehendas palmam vitae æternæ, ad quam vocatus es, & cuius gratia, multis presentibus, hanc optimam fecisti professionem, te fideliter ac strenue executurum opus Episcopi & Evangelistæ. Cuius professionis te semper memorem esse volo.

VER. 13.

Principio tibi coram Deo] præcipio tibi, inquit, in con-

conspicere & præsentia Dei , qui testis esse potest me hæc præcepisse; & vindicta, si ea non seruens. quid præcipiat, postea subiungit ubi dicit: *Vt seruens mandatum sine macula.*

Qui viuificat omnia.] Non dicit, *Qui videt omnia*, sed, *Qui viuificat*; quia plus est viuificare, quam videre. viuificat autem omnia quæcumque viuunt, quia omnis vita à Deo est. q. d. Ne metuas mortem: nam seruus es Dei, qui potest etiam mortuos ad vitam reuocare.

Et Christo Iesu.] Quanquam non ideo tantum Christi meminit Apostolus, quod is omnium actionum nostrarum inspector sit, ac iudex futurus; verum etiam ut eum Timotheo proponat tanquam exemplar confessionis, quod imitetur.

Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem.] Sensus est: Qui cum saepè veritatem, cuius causa missus erat à Patre, palam confessus apud homines fuisset; tandem, praeside ac iudice Pontio Pilato, eiusdem veritatis confessionem testatus est, siue testamat fecit, id est, martyrio compleuit & consignauit; quando pro ea veritate crucem & mortem sustinuit.

*Christi
corā prae-
fide con-
fessio.*

Ut seruens mandatum sine macula, irreprehensibile] V. E. R. 14. q.d. Seruia mandata mea integrè, ita ut neque in dogmatibus, neque in moribus maculam contrahas, ob quam meritò reprehendaris.

Visque in aduentum Domini nostri Iesu Christi] id est, usque ad apparitionem seu manifestationem Domini nostri Iesu Christi. Dum ergo Timotheo præcipit ut seruet mandatum, usque in aduentum Christi; intelligendus est præcipere ut seruet usque ad exitum vitæ. nam, ut ait

*Aduentus
Domini
unicuiq;
qualis
erit.*

Aug.

August. Augustinus: Tunc vnicuique veniet dies aduentus Domini, cùm venerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die.

in epist. 20. ad Hesychium. *Quem suis temporibus ostendet.*] *Quem,* non Christum refert, sed aduentum, sive apparitionem; ut ex Græco liquet: Tametsi id ad sensum non multum interest. Quod enim ad rem attinet, non aliud est, apparitionem Christi ostendere, quām Christum apparentem seu manifestum exhibere. dicit autem *temporibus suis*, seu *propriis*, id est, ad eam rem à Deo præordinatis, ipsique notis.

Christus Rex regum. *Beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium.*] Beatum Deum vocat, ne dubitemus ab eo qui per essentiam beatus est, ac solus omne bonum possidet, communicandam nobis beatitudinem promissam. *Rex regum,* id est, Rex regnantium, qui proinde ei, tanquam Regi & Domino, omnes subiecti sunt. Christi regnum atque dominium quod habet super omnes alios reges ac dominos, à Patre ei datum est.

VER. 16. *Solus Deus est immortalis, id est immutabilitas.* *Qui solus habet immortalitatem.*] Perfecta immortalitas est omnimoda immutabilitas. Solus Deus omnino immutabilis est: qui solus ex se & per naturam immortalis est; ut qui sit essentialiter vita, nam intellectuales creaturæ, ut Angeli & animæ rationales, participatiè tantum, &c (ut Patres loquuntur) per gratiam, immortales sunt. Vnde qua ratione solus Deus bonus est; eadem solus est immortalis, scilicet per essentiam.

Et lucem inhabitat inaccessibilem.] Loquitur de luce increata, quæ est ipse Deus. Deus lux est. Dicitur *inhabitare lucem*, sicut est & habitat & perma-

permanet in seipso , secundum illud Ambrosij:
Immotus in te permanens. Maximè enim quisque
ibi dicitur habitare vbi semper est , & vnde nun-
quam recedit. Hæc lux est ipse splendor , & glo- Lux est
ria maiestatis diuinæ increata , immensa & ine- spsa glo-
narrabilis , quæ est fons omnis luminis , claritatis , maestas.
cognitionis , gloriæ. Hæc lux nobis est inaccessa: Lux hec
vnde nobis non lux , sed caligo est. caligo diuina est calis
est inaccessibilis , in qua inhabitare dicitur Deus: go in qua
hæc est inuisibilis propter eximiam claritatem , & Deus.
inaccessibilis propter immensam luminis copiam.

Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest]
nemo potest videre Deum , scilicet per se & suas
naturæ vires , sua acie mentis , suo naturali acu-
mine , suo ingenio : sed necesse est ut homo visu-
rus Deum super hominem eleuetur , ac per gra-
tiam naturam transcendat , & super seipsum at-
tollatur , atque quasi supernaturalem vim visi-
uum , oculumque accipiat puta lumen gloriæ ,
quo Deum videre possit. Deum vocat inuisibilem , Quomo-
& ita quidem ut eum nec viderit , nec videre do nemo
possit quisquam hominum ; cum Dei visionem posse
eamque perfectam , omnes Christiani certa spe
exspectare iubeamur.

Cui honor & imperium sempiternum amen.] cui
ab omnibus impendatur honor ; & cuius impe-
rium sit per omnium confessionem sempiternum.
amen , id est fiat.

Divitiis huius saeculi præcipue, non sublime sapere] VER. 171
superbè sapere,id est,elato esse animo , superbire.
Competit in eos qui sibi placent , & magni seipso
faciunt , aliòsq; præ se contemnunt: quales maxi-
mè sunt huius saeculi diuites.

Neque sperare in incerto divitiarum] Nam
Yy sicut

vermis diuitia-
sicut vermis pomo , ita diuitiis superbia innasci-
rum su-
tur , inquit Anselmus.

perbia.
Sed (sperare) in Deo viuo] potius , inquit , spem
suam ac fiduciam reponant in Deo , totique ab eo
pendeant , etiam in mediis opibus ; quas ille dat
& aufert quibus & quando voluerit.

Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum] id
est , ad percipiendum cum lætitia . Vult autem
Deus homines donis suis læticare , sed ita ut
non in illis , sed in ipso finem & felicitatem
suam constituant.

VER. 18. *Bene agere . q.d. Bona operari dinites fieri in bonis
operibus sicut , abundant opibus , ita abundare
debent bonis operibus . facile tribuere , id est , faci-
les ac prompti esse ad tribuendum . communicare]*
id est , habere diuitias sicut communes , ait A-
quinas.

VER. 19. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum]*
puta virtutes & virtutum pietatisque opera . has
enim opes quasi fundamentum solidum opponit
incerto diuitiarū huius sæculi . ita Chrysostomus .

Ut apprehendant veram vitam] scilicet beatam
& æternam . vera vita dicitur illa quæ Beatorum
est in cælis .

VER. 20. *O Timothee depositum custodi]* Nomine depositi
metaphorice significatur doctrina successori cre-
dita , ac per manus tradita : quomodo depositum
pecuniarum tradi & credi solet amico . Episcopi
constituti sunt doctrinæ custodes , ac velut de-
positarij . manifestum est enim Apostolum de de-
posito doctrinæ loqui , quæ quasi per manus trans-
mittenda sit ad successores .

*Sana do-
ctrina vo-
catur de-
positum.*

Deuitans profanas vocum nonitates] id est , vani-
tates siue inanitates vocum . notat quorundam
futilem ,

futilem, inanem & clamosam loquacitatem, eāmque profanam, id est, impuram & pietati noxiā. Si vitanda est nouitas, retinenda est antiquitas; si profana est nouitas, sacrata est vetustas. Sana doctrina cana est & prisca, à Christi & Apostolorum temporibus ad nos illibatè deriuata.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ] Dicuntur obiectiones quas contra fidei doctrinam adferunt quidam specioso scientiæ titulo, sed falso. Non enim vera scientia esse potest, quæ veritati contraria est. Talis erat philosophia illa, quam reprehendit Col. 2. &c. Non est vera scientia, ubi vera fides non est.

Quam (scientiam) quidam promittentes (profidentes) circa fidem exciderunt] id est aberrarunt. cuiusmodi scientiam, inquit, dum profitentur, ac docti sapientésque videri student; ab integritate & sinceritate fidei, velut à scopo, aberrarunt.

Gratiatecum. amen] Gratiam Dei, omnium bonorum fontem, more suo, precatur in fine epistolæ.



COMMENTARIA
IN II. EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
AD TIMOTHEVM.

C A P V T P R I M V M.
S V M M A R I V M.

*Laudat in Timotheo fidem non fictam; admodum
nens eum ut gratiam Dei in se resuscitet;
confidenter Euangelium annunciet, prout
ab ipso erat institutus. Notat quosdam qui à
se defecerant: Onesiphori autem fidem com-
mendat, ac bene ei precatur.*

VERS. I.



A V L V S Apostolus Iesu Christi per
voluntatem Dei] Apostolatum suum
voluntati & electioni Dei ascribit,
non suis meritis.

Secundum promissionem vita, que
est

est in Christo Iesu, subaudi, scribit, & bene precat-
tur, dicens: Timotheo charissimo filio (sit) gratia,
misericordia, pax à Deo patre & Christo Iesu Domi-
no nostro] Dicit se legatum esse ad promissionem
vitæ, ut scilicet promittat vitam æternam creden-
tibus Christo, illique obedientibus.

VERS. 2.

Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus in
conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui
memoriam in orationibus meis] Sensus: Gratias ago
Deo meo, quod quoties ad eum preces fundo,
toties tui sum memor, ac pro te oro. hoc enim
me facere, diuini muneris est, ideoque dignum de
quo gratias agam. ita Ambrosius.

VERS. 3.

Nocte ac die] in orationibus meis.

Desiderans te videre] Significat se cupere Ti-
motheum habere præsentem. vnde & infrà iubet
semel & iterum ut ad se festinatò veniat,

VERS. 4.

Memor lacrymarum tuarum] quem in discessu
lacrymis testatus fuerat, Paulum mouet ut eum
apud se esse velit.

Vt gaudio implear] id est, ut in his vinculis tua
præsentia fruens, expleam me gaudio & conso-
latione.

Recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non
ficta] Fidem non fictam, id est, fidem sinceram,
vocat eam, qua ex animo & sine hypocrisi credi-
tur in Christum.

VERS. 5.

Fides nō
ficta que
sit.

Quæ & habitauit primum in Auia tua Loide]
Auia intelligit maternam, patre enim Gentili
natus erat Timotheus.

Et matre tua Eunice] Fuit autem mulier Chri-
stiana. nam Act. 16. vocatur fidelis, quod Christia-
norum vocabulum est.

Certus sum autem quod & in te] Scilicet habitet

Y y 3 eadem

eadem fides non ficta.

VERS. 6. Propter quam causam admoneo ut resuscites gratiam Dei. vocatur autem gratia seu donum Dei, quia gratis a Deo donatum. quæ est in te per impositionem manuum mearum] q.d. Zelus, charitas & gratia quam in ordinatione mea accepisti, o Timothee, vide ut eam suscites, & charitatis flammarum reaccendas, eiisque ardorem continuo foueas & adaugeas.

VERS. 7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis] spiritum timoris, id est, timiditatis & ignavie, qualis est eorum qui animo sunt imbecilli, paido, contracto & abieto; sed virtutis, id est, fortitudinis & robotis; ut fortiter fidem, non tantum teneamus, sed & predicemus in persecutione inter medios hostes; nec timeamus, sed ambiamus pro ea mori. S. August.

Conti-
nētia est
virtus ge-
neralis.

pro sobrietatis legit continentia, quæ virtus est generalis, cohibens & continens mentem in officio, ne timore, amore, odio, aliō affectu immoderato & vitioso imbuatur, dissoluatur, aut eneruetur; sed tota sana sit, integra & perfecta.

VERS. 8. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri] q. d. Noli erubescere doctrinam quam docuit & testatus est Christus, noli etiam erubescere crux & martyrium, ac vincula Christi, quibus suam doctrinam obsignavit & confirmavit.

Neque me vinclum eius] id est, neque te mei pudeat aut vinculorum meorum.

Sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei] id est, esto particeps afflictionum quas Euangelium patitur secundum virtutem, id est, potentiam Dei. iubetur in Deo confidere, & in potentia virtutis eius.

Qui (Deus) nos liberavit & vocavit vocatione sua
sancta] liberavit, id est, qui nos saluavit, aut serua-
uit, scilicet à peccato & morte æterna. vocavit nos,
&c. dum nos ab infidelitate & peccatis vocavit ad
suam fidem & sanctitatem, vitamque sanctam &
diuinam.

VERS. 3.

Non secundum opera nostra, id est merita nostra,
sed secundum propositum suum & gratiam] Proposi-
tum intelligit liberale & gratuitum Dei decre-
tum sive beneplacitum. Porro *gratiam* non in-
telligit creatam, quæ in nobis est, sed *gratiam* in-
creatam, id est, *gratuitam* Dei beneficentiæ, quam
mox dicit manifestatam per aduentum Christi.

Proposi-
tū quid
sit apud
Paulum.

*Quæ (gratia) data est nobis in Christo Iesu ante
tempora secularia*] ante tempora secularia, æternita-
tem notauit; vt sensus sit: *Quæ* gratia seu miseri-
cordia, quoad effectus suos, nobis per Christum
data, id est, intuitu meritorum Christi præparata,
est ab æterno. Cùm dicitur hic gratia ab æterno
data, intellige in Dei decreto, & prædestinatione,
vt idem sit, ita, quod dati decreta & prædestina-
ta. Deus ab æterno nos adiunxit, & hanc gra-
tiam firmiter & irreuocabiliter nobis dare decre-
uit. Hæc gratia data est nobis in Christo Iesu, id
est, per Christum, puta per Christi merita præuisa
ab æterno, data est nobis à patre hæc gratia. *Ante
tempora secularia*, idem est, quod ante mundi con-
stitutionem, ante temporis & mundi originem,
puta ab æterno. ita Theophylactus, Anselmus, &
alij. Notat Chrysostomus hic significari immensi-
tatem amoris diuini, vtpore qui nos ante mun-
dum, ante omnia tempora ab æterno in mente sua
habuerit, de quoque nostrum in particulari stu-
diosè & sollicitè cogitarit, vnumque inque ada-

Quomodo
do data
sit nobis
gratia ab
æterno.Amoris
diuini er
ga nos im
mestas.

mauerit , cuīque per Christum suam gratiæ men-
suram decreuerit & prædestinauerit.

VER. 10. *Manifestata est autem (gratia illa à Deo ab æ-
terno data , sed in Deo abscondita) nunc per illu-
minationem Saluatoris nostri Iesu Christi] Ad hoc
Christus apparuit & aduenit , vt omnes illustra-
ret & illuminaret luce sapientiæ diuinæ , qua
Deum , salutem , viāmque salutis homines agnosc-
cerent & caperent.*

*Qui (Christus) destruxit quidem mortem] videli-
cet morte sua. Sensus est , Christum passione &
morte sua promeruisse nobis apud Deum perfe-
ctam nostræ mortis abolitionem mortem à Christo
destructam , etiam peccatum intellige destructum
& abolitum , quod est vtriusque mortis causa .*

*Illuminavit autem vitam & incorruptionem per
Euangelium] Sensus est : Viram incorruptibilem
& immortalem produxit in lucem , manifestauit ,
ac certam eius spem nobis attulit per Euangelium
quod prædicari voluit. Christus vitam dedit ipsi
vitæ , suscitauit à morte & viuere fecit ipsam vi-
tam , vitam produxit , & in lucem prodire fecit.*

VER. 11. *In quo positus sum ego præparator , & Apostolus ,
& magister gentium] ad quod Euangelium pro-
mulgandum ego præco constitutus sum à Chri-
sto , ipsius Christi ad eam rē Apostolus seu legatus .*

VER. 12. *Ob quam causam etiam hæc paixor] id est , quia
præconis Euangelici fungor officio ; ideo accusa-
tus sum à Iudeis , & in hæc vincula coniectus .*

*Sed non confundor] id est , non erubesco , non pu-
dore suffundor , non me pudet vel officij mei
vel vinculorum .*

*Scio enim cui credidi] noui enim , inquit , cui cre-
diderim ; quām ille magnus sit Dominus ,
quām*

quām potens, & quām verax in promissis. Noui
eum cui credidi atque commisi depositum meum
seruandum.

*Et certus sum quia potens est depositum meum ser-
nare in illum diem] Depositum, puta thesaurum la-
borum & passionum pro Euangelio à se obita-
rum, quem à se collectum Paulus patiens & mo-
riens apud Deum quasi deposuit, ut in illo die
magno, iudicij scilicet, illum, id est, illius merce-
dem & gloriam, recipiat. ita Theophyl. & An-
selm. Idem depositum Apostolus vocat repositam
iustitiae coronam. 2. Tim. 4.*

Depositū
Pauli.

*Formam habe sanorum verborū, quæ à me audisti,
sanæ, integræ, & incorruptæ doctrinæ, in fide & in
dilectione in Christo Iesu] habeto formam sanæ do-
ctrinæ quæ versatur circa fidem & dilectionem
Christianam. q.d. O Timothee, tuum est retine-
re viuum exemplar, viuam ideam, & repræsen-
tationem doctrinæ, quam tibi tradidi, ut scilicet
verba mea semper tibi ob oculos ponas eadém-
que viuè & efficaciter aliis proponas*

*Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum VER. 14.
qui habitat in nobis] Chrysost. Ambros. depositum
hoc interpretantur thesaurum doctrinæ Christiana-
næ, quam vocavit, *sana verba*. Hunc enim thesau-
rum quasi depositum, studiosè commendat Ti-
motheo Episcopo, ut eum integrum inuiolatūm-
que conseruet.*

Depositū
sana do-
ctrina.

*Scis hoc, quod auersi sunt (id est, auersati sunt me, VER. 15.
me reiecerunt) à me omnes qui in Asia sunt, ex qui-
bus est Phigellus & Hermogenes] Chrysost. cum suis
censem Paulum loqui de omnibus Asianis, qui
Romæ erant. ut omnes qui in Asia, idem sit quod,
omnes ex Asia, omnes Afiani, scilicet Romæ*

agentes. Scribit enim Paulus ad Timothenm Roma , ea quæ gerebantur Romæ , non autem quæ in Asia.

VER. 16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, id est, vniuersæ familie Onesiphori. quia sepe me refrigerauit] id est, refocillauit, & recreauit in hoc aestu mearum afflictionum. Solatio & subsidio mihi fuit in his vinculis.*

Et carnam meam non erubuit] id est, non pudit illum vinculorum meorum, sicut cæteros Asianos. nec periculum metuit nec infamiam ut me iuuaret.

VER. 17. *Sed cum Romanam venisset, sollicite me quæsiuit & inuenit] Quæsitum se dicit, quamvis captiuum: quia non unus erat cancer eorum qui sistendi essent ad tribunal Cæsaris, sed complures; &, ut dicitur Act. vlt. permisum fuit Paulo ut maneret solus cum custodiente se milite.*

VER. 18. *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die] tanquam dicat: Sicut ille me sollicite quæsiuit & inuenit, ut misericordiam exhiberet: ita det ei Dominus misericordiam quam optauit ab ipso vicissim inuenire. scilicet illi optans quod Christiani solent optare fidelibus defunctis, requiem & misericordiam. huc accedit quod in fine epistolæ iubet salutari Onesiphori domum, non Onesiphorum ; quasi is iam non superesset.*

Et quanta Ephesi ministrauit tu melius nosti] non solum mihi nunc Romæ , sed & antea. Ephesi fidelibus Euangeliū ministris multa impendit officia charitatis : quemadmodum tu melius nosti, qui Ephesiorum Episcopus es, & partem obsequiorum eius percepisti.

C A P V T I I .

S U M M A R I V M .

Hortatur Timotheum ut diligenter laboret in
Euangelio, ut contentiones vitet. In magna
Dei domo esse diuersi generis vasa. De-
inde quæ fugere debeat, & quæ sectari.

Tu ergo fili mi confortare (Ambrosius legit fortitudinem cape) in gratia quæ est in Christo Iesu] id est, in gratia Christi annuncienda & prædicanda, inquit Ambrosius.

Et que audisti à me per multos testes, non quæ scripto tradidi, aut literis consignau. vt intelligamus sanam doctrinam verbo magis quam scripto tradi solitam ab Apostolis. Hac commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere] Multos testes vocat multos suæ prædicationis auditores. ita Chrysostomus.

Labora sicut bonus (id est, egregius) miles Christi Iesu] labora, id est, mala perfet, dura tolera.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus: vt ei placeat, cui se probauit] Negotia secularia, sunt occupationes & negotiations, quibus vita seculum, vestitum, & reliqua ad vitam tuendam opportuna comparamus & conquirimus, quales sunt mercatura, &c.

Nam & qui certat in agone, non coronatur, id est, non coronabitur, nisi legitimè certauerti] legitimè, id est, iuxta legem, scilicet stadij & ago-

nis.

nis. nisi enim legitimè, id est, secundùm leges à Deo præscriptas, & à me dudum tibi propositas, eo certamine perfunctus fueris, coronam immortalitatis adipisci non poteris.

VERS. 6. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere] si videlicet strenue in agro laboret, oportet primis agri fructibus frui. ita te, ô Timothee, excitet tum fructus præsentis alimoniae à catechumenis, quos doces, accipiendæ, tum potius plena merces futuræ & æternæ gloriæ. excitet, inquam, ad certandum & laborandum, totumque te impendendum Euangeliō. ita Chrysostom.*

VERS. 7. *Intellige que dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum] q.d. Proposuit tibi tres parabolas, militis, athletæ, agricultorū: non est necesse ut easti bi explicem & applicem, tu eis intende: quod si feceris, Deus dabit tibi intellectum, ut facile eas intelligere & applicare possis, &c. Dabit, id est, dicit, quod est precantis.*

VERS. 8. *Memor esto, 'Dominū Iesum Christū resurrexisse à mortuis ex semine David, secundūm Euangeliū meum] ex semine David, supple incarnatum & natum. q.d. Memento sicut Christus pro Euangeliō suo passus gloriosè resurrexit: ita pariter te, si pro Euangeliō patiaris, gloriosè resurrecturum. Patere ergo & labora cum Christo, ut cum Christo ad gloriam resurgas. ita Theodor. Chrysost. & alij. Secundūm Euangeliū meum, id est, secundūm Euangeliū quod prædico.*

VERS. 9. *In quo labore usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum] labore, id est, affligor, mala perfero, adeoque vincula sustineo, quasi male operans, id est, quasi malefactor, quasi sceleratus.*

ratus. alligatum, id est, vinculis: q.d. Ego sum vincitus, sed verbum Dei non est vincitum: quia tam ego in carcere partim verbo, partim scriptis epistolis, quam alij, intrepidè verbum Dei prædicamus. Si ego vincitus ita strenue prædico Euangeliū, quanto magis idem te facere decet, o Timothee, cùm sis liber?

Ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur. q.d. Omnia sustineo, non solum meæ seu nostræ salutis causa qui iam fideles sumus; sed & aliorum electorum, nominatim eorum qui adhuc adducendi sunt ad ouile Christi, non sine nostris laboribus ac periculis; ut & ipsi nobiscum salui fiant. quæ est in Christo Iesu, id est, quæ salus est per Christum Iesum. cum gloria cœlesti] q.d. Ut salutem consequantur non qualemcunque, sed quæ coniuncta est cum æterna ac cœlesti gloria beatæ immortalitatis, cuius vna cum Christo participes erunt.

Fidelis sermo. nam si commortui sumus, & conuiuemus] fidelis, verus & certus est sermo: quod si hic pro Christo & cum Christo patiamur & moriamur, simul etiam cum Christo resurgemus & viuemus in regno cœlesti.

Si sustinebimus, & conregnabimus] id est, si sustinemus. non enim satis est semel pati, aut mori, sed quotidie patiendum & moriendum est. Diebus singulis beatus ille (Paulus) moriebatur, inquit Chrysostomus.

Sine gauerimus, Christum & Christi fidem in tenui hostium, tyrannorum, aut tormentorum. & ille (Christus) negabit nos.

Si non credimus, ille fidelis permanet. negare seipsum non potest] id est, siue credimus, siue non

VER. 10.

VER. II.

VER. 11.

VER. 13.

non credimus , veritas non mutatur , Deus falli aut fallere non potest : incredulitas aut perfidia nostra Dei fidem conuellere nequit. q. d. Si diffidimus , ille tamen fidus permanet.

VER. 14. *Hac commone*, id est, de his quæ iam dixi, frequenter admone fideles tibi commissos. *testificans coram Domino*] de his admone fratres , cum obtestatione quam facias coram Domino ; hoc est, declarans te hæc eos commonefacere coram Christo Domino.

Contētio verborū fugienda. *Noli contendere verbis*] Verbis contendere est non curare quomodo error veritate conuincatur; sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius, inquit Augustinus : scilicet in disputādo non veritatem querere , sed velle ostentare suam scientiam , velleque videri doctiorem , vincere & præualere , &c.

Ad nihil enim utile est , nisi ad subuersionem audientium] ex quibus , inquit , oriuntur inuidiae , contentiones , blasphemiae , &c.

VER. 15. *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo , operarium inconfusibilem . qui liberè & profitearis & prædices crucem Christi , recte tractantem verbum veritatis*] Loquitur de vera fidei doctrina verbo tradenda. Episcopus ergo , doctor & concionator debet doctrinam suam & verbum Dei , quasi nucem rectè aperire , enucleare & exponere , ut videlicet verum sensum à falso & contorto secernat.

VER. 16. *Profana autem & vaniloquia deuita , inanem & clamorosam loquacitatem doctori Euāgelico vitandam & profligandam esse ; maximè quæ profanos & à vera pietate remotos sensus habeat admixtos , multum enim proficiunt ad impietatem*] quia nimurum

mirum seductores illi ac peruerterorum dogma-
tum magistri , semper ad vltiorem proficient
impietatem , tam in se quam in auditoribus.

Et sermo eorum ut cancer serpit] eorum scili- VER. 17.
cet hæreticorum , qui docent profana vaniloquia.

Ex quibus est Hymenaeus & Philetus.

Qui à veritate exciderunt , dcentes resurrectio- VER. 18.
nem esse iam factam , & subuerterunt , id est subuer-
tunt , quorundam fidem.

Sed firmum fundamentum Dei stat , habens signa- VER. 19.
culum hoc : Cognovit Dominus qui sunt eius , & disce-
dat ab iniuitate omnis , qui nominat nomen Domini] Firmum hoc fundamentum Dei est Dei con-
silium , decretum & prædestinatio : quia statuit
vocare fideles primò ad fidem , deinde ad gra-
tiam & perseverantiam , ac demum ad gloriam.

*Quid hic
fir-
mam
funda-
mentum
Dei?*

Firmitas huius fundamenti partim in nobis , par-
tim in Deo est . Ideo enim in Deo firma est hæc
prædestinatio , quia firmi erunt prædestinati in
fide & gratia : hi enim sunt firmæ prædestina-
tionis obiectum . & vicissim firmi erunt præ-
destinati , quia firma est Dei prædestinatio . par-
tim ab ipso fidelium libero arbitrio , quod li-
berè & constanter fidem & gratiam retine-
bit , &c.

*Duo si-
gnacula ,
Dei præ-
scientia
& liberi
arbitrij
coopera-
tio.*

*Cognovit Dominus qui sunt eius , en Dei præ-
scientia . & discedat ab iniuitate omnis qui inuocat
nomen Domini] en nostri liberi arbitrij coopera-
tio , que est præscientiæ obiectū . Ponit hīc Aposto-
lus fundamenti iam dicti binā signacula , prius est
præscientia Dei ; posterius fuga peccati . fuga om-
nis iniuitatis est signaculum firmi fundamenti ,
id est , fidei ; qui enim fugit iniuitatem , nun-
quam incidet in hæresim .*

VER. 20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam] Domus est Ecclesia; vasa sunt fideles; aurea & argentea sunt firmi & illustres in fide & iustitia; lignea verò & fictilia, vel, ut Græcè est, testacea, sunt vulgares, fragiles, infirmi in fide & charitate: nam *Hæretici* hæretici nec vasa aurea, nec fictilia sunt, sed posunt *vasa* tñs vasa fracta & ex domo proiecta & eiecta. *sa fracta* Vas in honorem, id est, vas honorificum; vas in contumeliam, id est, vas vile & inglorium: vti sunt ollæ & matulæ.

VER. 21. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem] Sensus est: Quicunque purum sese præstiterit à profanis hæreticorum doctrinis cæterisque vitiis, idque perseveranter fecerit, erit vas in honorem, id est, assumetur ad usum honorificum, quia consequetur honorem gloriae cælestis, ad quam erat prædestinatus. Emundauerit, id est, omnino expurgarit se, vt anima tota sit munda & pura. ita se emundauit S. Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum, de qua canit Ecclesia: Post fluxæ carnis scandala, fit ex lebete phiala, in vas translata gloriae de vase contumeliæ.

Sanctificatum & uile Domino, ad omne opus bonum paratum] Sanctificatum Domino, quia expurgatum à sordibus vitiorum, & per hoc Deo consecratum. Utile autem Domino, vñibus Domini sit accommodum. Videtur Christum intelligere. is enim est Dominus, ac herus huius magnæ domus; cuius omnia vasa vñibus eius seruunt. utiles per gratiam Dei nos ad omne opus bonum præparantis.

Iuuenilia autem desideria fuge] Directè respexit VERS. 22.

Apostolus ad curiositatem, ambitionem & inanem gloriam, quam iuuenes ambiunt, præsertim docti, ut velint videri subtile, sapientes, cæteris. *Vitia adolecentū.* que doctiores, &c. q. d. Noli ut iuuenis, ambire sapientis & doctoris nomen, sed ambi vitæ integritatem, ac præsertim charitatem & pacem, ut in iis excellas.

Sectare vero iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro] tu virtutes istas sectare, cum iis qui sincerè Deum inuocant.

Stultas autem & sine disciplina questiones deuita: sciens quia generant lites] sine disciplina, id est, ineruditas, infensatas, quæ scilicet nihil habent sensus, nihil ad veram disciplinam & sapientiam conferunt, quales sunt questiones futilis Iudæorum de suis genealogiis. *Questiones iudeorum futilis fugienda.* deuita, id est reiice & respue. lites non sunt aliud quam pugnæ verborum.

Seruum autem Domini non oportet litigare] id est, VERS. 24 pugnare & digladiari, scilicet verbis.

Sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, id est, aptum & paratum ad docendum. patientem, intellige morum & infirmitatum proximi.

Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati] modestè corrigen tem eos qui diuersa sentiunt. ita Ambrosius. quasi dicat, Episcopus & doctor leniter corripiat eos qui sibi docenti contradicunt.

Nequando Deus det illis pœnitentiam. si quando, vel, si fortè det iis Deus. pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem] Pœnitentiam intellige de errore & infidelitate qua detinebantur.

VERS. 15

*Et resipiscant à diaboli laqueis , à quo captivi te-
nentur ad ipsius voluntatem] Homo, diuinæ gratiæ
auxilio perditio per peccatum , non quod vult
ipse, sed quod diabolus vult, agit & operatur, in-
quit Chrysostomus. Sensus est, illos veritatis ad-
uersarios à diabolo teneri captiuos , ad Dei vo-
luntatem, id est , quamdiu Deus voluerit ; cuius
voluntati nec diabolus resistere potest : ideoque
cum modestia corripiendos esse, si fortè Deus mi-
seretur, & pœnitentiam illis inspiret, ac vincu-
lum duræ captiuitatis soluat.*

CAPVT III.

SVMMARIVM.

*Predicit exorituros falsos & impios docto-
res ; à quibus admonet cauendum. Hortat-
tur Timotheum ut quam ipse ei tradiderat
doctrinam seruet , & ut sacris Literis det
operam.*

VERS. 1.

Hoc autem scito quod in nouissimis diebus insta-
bunt tempora periculosa] in nouissimis, id est, in
sequentibus, atque adeò iam incipientibus tem-
poribus erunt periculosi dies. Nouissima ergo
tempora híc vocat ea, quæ à suo tempore decur-
sura & secutura erant usque ad finem mundi.

VERS. 2.

*Erunt homines seipso amantes , id est, sui aman-
tes, suæ gloriæ, lucris, commodis studentes. amor
sui omnium malorum est origo. cupidi , id est,
amantes pecuniarum, auari, elati, id est, fastuosi,
arrogantes, iactabundi. superbi blasphemii, maledici-
seu*

seu contumeliosi. parentibus non obedientes , in-
grati , scelesti] id est profani , nefarij , siue impij.

Sine affectione , sine visceribus compassionis , si-
ne pietate . sine pace , id est , sine fœdere , vbique
pacem turbantes . criminatores , id est calumniato-
res . incontinentes , id est intemperantes , scilicet gu-
loosi & luxuriosi . inimici , inhumani & feri
stiarum more . sine benignitate] quasi dicat . Non
amicci bonis , bonorum inimici , id est , non aman-
tes bonos .

Prodiiores , amicitiae desertores . proterui , id est VERS. 4.
leues & instabiles . tumidi] id est , inflati præ super-
bia , qui sibi placent , & alios despiciunt .

Et voluptatum amatores magis quam Dei] No-
tat Theophylact . eos qui amant corporis volunta-
tes , non posse affici Deo & rebus diuinis . Volu-
ptatem viciisse voluptas est maxima : nec vlla ma-
ior est victoria , quæ ea quæ de cupiditatibus re-
fertur . Qui enim hostem vicit , fortior fuit , sed al-
tero ; qui verò libidinem repressit , seipso fortior
fuit ait Cyprianus .

Habentes speciem quidem pietatis , virtutem au-
tem eius abnegantes] Sensus est : Verbis & cul-
tu præ se ferunt pietatem , quam in veritate non
habent , imò à qua sunt usque ad eō alieni , vt
abnegasse eam & abiurasse videantur . Speciem pie-
tatis , hoc est , formam & speciem religionis , vt
videantur eius velle inducere reformationem ,
séque vocent Reformatæ religionis , &c. Virtu-
tem , id est , vim & rem , puta pietatem ipsam ,
quam simulant , non habent , nec operibus ostendunt ,
sed abnegant , profitentur se Christianos ,
cùm sint & nequissimi opere , & sensu peruersi ,
inquit Ambrosius .

VER. 3.

Volupta-
tem vin-
cere volu-
ptas ma-
xima .

VERS. 5.

Speciem
pietatis
quinam
habeant .

*Heretici**vitandi.*

VER. 6.

Et hos deuita] id est, auerstare.

Ex his enim sunt qui penetrant (id est, subeunt & irrepunt) domos. notatur eorum impudentia, qui callidè sese insinuant & ingerunt in alienas familias, ventris causa. & captiuas ducunt mulierculas] id est, doctrinis suis faciunt eas sibi tam obnoxias, ut velut captiuas quolibet duce-re videantur.

*Mulieres**facilè ad**varia**peccata**inducun-**tur.*

VER. 7.

Oneratas peccatis, hoc est, magno peccatorum aceruo grauatas ac depressas. qua ducuntur variis desideriis.] Oneratas, id est accumulatas & cumulo peccatorum obrutas, quæ quasi bruta aguntur variis desideriis curiositatis, nouitatis, gloriæ, deliciarum, ornatus, luxuriae.

Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes] id est, peruenire valentes; quia hoc demum discebant quod docebantur, magistri verò earum non vera docebant, sed falsa, superstitionis & impia. quare ipsæ eorum discipulæ non veritatem hauriebant, sed errores.

VERS. 8.

Quemadmodum autem Iannes & Mambres restituunt Moysi:ita & hi resistunt veritati.] Nota. hæc sunt nomina duorum magorum Pharaonis, qui in Exodo narrantur Moysi restitisse, & cum eo in miraculis & portentis edendis certasse.

*Corrupti**mente**sunt eu-**pidinarij.*

Homines corrupti mente] id est, qui mentis iudicium vitiosis affectibus corruptum habent ac depravatum.

Reprobi circa fidem] vt nimis fidem pariter abiicerent, reprobarent, corrumperent, fierentque hæretici, imò hæresiarchæ.

VERS. 9.

Sed ultra non proficiunt] in sua videlicet hypocriti & ficta pietatis specie ac latua; quin ea detegatur,

tegatur, deprehendatur & prodatur eorum fraus
& falsitas.

In insipientia, id est amentia, enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit] scilicet magorum Iannæ & Mambræ. Omnis error non diu constit, quin tandem eius fallacia & falsitas pateat, & instar fumi euanescat.

Tu autem asecurus es meam doctrinam, institutio-
nem, propositum] id est, ita mibi fuisti perpetuus
comes, & actionum socius, ut omnia mea tibi per-
specta sint: ac proinde in me habeas quod sequa-
ris & imitandum sumas. nosti quæ mea fuerit do-
ctrina, quæm integra & syncera. nosti meam institu-
tionem, id est, viuendi modum ac rationem. nosti
etiam propositum meum, id est, finem & scopum
quem mibi meæque euangelizationi proposui;
scilicet ut Christi fidem & gloriam toto orbe per
omnes gentes propagarem.

Fidem longanimitatem, dilectionem, patientiam]
nosti insuper, inquit, fidem meam, id est, animi
constantiam ac fiduciam in rebus agendis. item
longanimitatem seu lenitatem erga persecutores
& veritatis aduersarios. dilectionem erga quoscun-
que. patientiam in tolerandis aduersis.

Persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt An-
tiochæ, Icorij, & Lystris, quales persecutiones sustinui,
& ex omnibus eripuit me Dominus.

Et omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, per-
secutionem patientur] ab hominibus siue Christia-
nis, cognatis & amicis, siue ab infidelibus & hære-
ticis, siue ab inuidis aliisque peruersis & impro-
bis, pie viuunt in Christo, qui Deo seruiunt in fide
Christi.

Mali autem homines & seductores proficient in

peius errantes, & in errorem mitten tes] id est, in errorem seducentes, & errore seducti, ita duplice nomine pœnas dabunt; & quod ipsi non acquieuerunt veritati, & quod alios ab ea retraherent.

VERS. 14 *Tu vero permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris] credita, id est, commissa sunt tibi quasi Episcopo conseruanda & promulganda.*

VERS. 15 *Et quia ab infantia sacras literas nostri, quæ te posse sunt instruere ad salutem, per fidem quam est in Christo Iesu] id est, per fidem quam in Christum creditur. q. d. Sacræ Literæ instruunt te ad salutem hoc ipso quo docent credendum esse in Christum, & per fidem Christi, eiisque Sacra menta & præcepta à Christo, & ad id instituta nos iustitiam & salutem consequi debere.*

VERS. 16 *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia] S. Scriptura utilis est, ad docendum scilicet, sanam doctrinam, ad arguendum hæreticos, ad corripiendum, id est, ad correctionem, ad erudiendum in iustitia, id est, ad omnem morum honestatem, sanctimoniam, & perfectionem.*

VERS. 17 *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instruclus] Sentit Apostolus hominem Dei, id est Episcopum, studio Scripturæ sacrae id sequi, ut ad omne opus bonum, id est, ad omnem partem officij sui probè comparatus sit atque instructus. Instruclus, id est, adornatus, compositus, apparatus. Innuit Apostolus, ut rectè notauit Chrysostomus, neminem sine Scriptura posse esse perfectum in fide & vita Christiana ac diuina.*

na. Ad hanc enim utilitatem & usum à Deo data est Scriptura. S. Paula in omni re & tentatione, S. Scriptura se armabat, & ad perfectionem instruebat, teste S. Hieronymo in eius Epitaphio.

C A P V T I V .

S V M M A R I V M .

Hortatur ut in verbi prædicatione sit assiduus, propter emergentes falsos magistros. Obitum suum prædictit, & coronam sibi repositam apud fidem iudicem. Rogat Timotheum ut ad se veniat. In prima defensione solum Dominum sibi constituisse. Denique adiicit salutationes.

Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos per aduentum ipsius & regnum eius] Viuos intelligit ad literam homines, scilicet qui in die iudicij inuenientur viui; mortuos, qui ante illum diem erunt defuncti.

VER. 1.

Quomo-
do iudi-
cādi vi-
ui & mor-
tui.

VERS. 2.

Prædicta verbum, insta (prædicationi) oportune, importune, id est, tempestiuè & intempestiuè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina] Argue, id est, argumentis conuince. argue coquales, obsecra seniores, increpa iuniores, cum omni patientia, cum doctrina, qua scilicet solidè alium errasse doceas, eique viam veritatis ostendas.

Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebūt, VERS. 3.
sed ad sua desideria coaceruabūt sibi magistros, pruriētes auribus] q.d. Hi homines desideriis vanis & car-

Z z 4 nalibus

nalibus pleni , eò quod pruriant auribus , id est , eò quod ament audire noua , curiosa , mollia , voluptuaria , hinc querunt sibi magistros , qui sibi & vitiis suis ad blandiantur .

VERS. 4. *Et à veritate quidem auditum auercent , ad fabulas auem conuertentur]* id est , ab integritate sanæ doctrinæ , quæ voluptates & carnalia desideria castigat , aures auertent . *ad fabulas autem audiendas , insana quadam curiositate fese conuertent . Fabulas intellige Iudaicas , & fabulas hæreticorum , vt Simonis Magi atque aliorum eiusdem farinæ .*

VERS. 5. *Tu vero vigila , in omnibus labora]* tu aduersus hæc vigila in omnibus .

Opus fac Euangelista] Euangelista est euangeli-
zare verbum Dei , tum voce , tum vita sancta , in-
quit Anselmus .

Ministerium tuum imple] in munere ac ministerio tuo ita versare , vt nihil omittas eorum quæ à bono & fideli ministro Euangelij iure exi-
guntur .

Sobrius esto] Hoc loco magis congruit ver-
bum *vigiliæ* , quod proprium est Episcopi & pa-
storis .

VERS. 6. *Ego enim iam delibor , & tempus resolutionis mee insta]* id est , magis ac magis appropinquat . *De- libor , id est , pro libamento offeror & immolo , sanguinem meum quasi libamen Deo profundo , consecro & sacrifico per martyrium . Tempus refo-*

lutionis vocat tempus mortis . Mors enim non est interitus , sed resolutio hominis , qua scilicet corpus terræ quasi matri , anima Deo quasi patri redit , qui in resurrectione illa coniungeret , & in æternum colligabit ac glorificabit . Cyprianus

eò

*Mors
quomodo
resolu-
tio .*

legit: Tempus assumptionis meæ instat. Sunt hæc verba Pauli, inquit August. exultantis magis ad mortis præsentiam, & ad coronam anhelantis, quām timentis, & seipsum cruciantis.

Bonum certamen certavi, quo pro fide Christi
diuulganda plurimos labores & afflictiones su-
perau. cursum consummaui] non cursum vitæ,
sed certaminis, qualis scilicet est eorum qui in
stadio currunt. Ita cucurrit Paulus quasi igneas
alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias,
ærumnas, & omnia Euangelij impedimenta per-
uolaret, ait Chrysost. Cursus ergo hic Pauli pro-
gressum eiusdem, tum in virtutibus, tum in labo-
ribus, tum denique cursum & peregrinationes
eius per terras & maria ad Euangelium toto or-
be propagandum significat.

Cursus
Pauli
qualis &
quantus.

Fidem seruavi.] Fidem intelligit eam quam
minister ac dispensator domino suo debet, id est
fidelitatem. Commissum erat ei munus Euange-
licæ prædicationis in Gentibus; de eo fideliter &
perseueranter, inter tot aduersitates administra-
to, gloriabatur dicens: Fidem seruavi.] q.d. Fidelis
fui athleta, perseueraui alacris in contenta hac
pugna & cursu ad finem usque vitæ.

Fides pro
fidelita-
te.

In reliquo reposita est mihi corona iustitiae.] Præ-
mium certaminis feliciter absoluti vocat coronam.
Corona certaminis, præmium laboris. Coronam
intelligit vitam æternam, id est eam, quam Iaco-
bus Apostolus vitæ coronam appellat, cap. 1. Coro-
na iustitiae, id est, iusta, quam iuste merui, quæque
iusta iudicis sententia mihi adiudicabitur. Chry-
sostom. Cyprian. Fulgentius dicunt Deum debi-
torem nobis fieri dum bona operamur. Deus
soluit operariis denarium promissum, quasi pre-

Corona
iustitiae.

*Merces
bonorum
operum.*

tium diurni laboris. Hanc coronam *sibi reposi-*
tam dicit Paulus, non alibi quām apud Deum;
quia à Deo sibi reddendam certissimè expecta-
bat. Iusti in perpetuum viuent, & apud Domini-
num est merces eorum, Sap. 5. In Scriptura vita
æterna aliquando merces, aliquando gratia voca-
tur. Merces, quia datur pro meritis bonorum

*Merita
nostræ,
Dei dona
sunt.*

operum: gratia, quoniam hæc ipsa merita sunt Dei
dona.

*Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus in-
dex.*] Non dixit; dabit, sed reddet, veluti debitum
quoddam & creditum, siue depositum, quod iure
reddendum sit. *Iustus iudex.* hæc iustitia Christi
iudicis in eo consistit, quod redditurus sit vni-
cuique secundum opera sua, Matth. 16. Est enim
Catholicorum doctrina, tantam erga nos esse Dei
bonitatem, ut nostra velit esse merita, quæ sunt
ipsius dona: & pro his, quæ ipse largitus est æter-
na præmia sit donatus. ut habet decretalis epi-
stola Cælestini Pontificis, ad Episcopos Galliæ,
cap. 12. unde & à Concilio Trident. verba repe-
tuntur, sess. 6. cap. 16.

*Quinam
diligant
aduentū
iudicis.*

*Non solum animi mihi, sed & iis qui diligunt ad-
uentum eius.*] id est, apparitionem & illustratio-
nem eius, cùm scilicet illustris apparebit veniens
ad iudicium. Aduentum enim iudicis non dilin-
gunt, nisi qui in causa sua habere se iustitiae meri-
tum sciunt, inquit Anselmus. Amat Domini ad-
uentum, qui illius leges sequitur, & ex illis vitam
instituit, inquit Theodoretus.

Festina ad me venire cito.] id est, stude, da ope-
ram, ut venias ad me cito. *Cito, id est (ut infra de-
clarat) ante hiemem, ne scilicet in alterum an-
num differas profecitionem.* Ex consequentibus
coniice

In Epist. II. ad Timoth. Cap. IV. 721

coniicere licet, eius ministerio ut ipsum voluisse
ad promouendum Christi negotium, et quod
aliis adiutoribus esset pene destitutus.

Demas enim me reliquit, diligens hoc saeculum] VER. 9.
id est, huius vitae commodorum amore du-
ctus, ita ut tam Pauli quam Euangelij curam
priuatis commodis postpoeret. ubi tamen non
est significatum quod a fide Christi defecerit.
imò postea ad eum reuersus, iterum sese illi ad-
iutorem exhibuit. Quod manifestè probant epi-
stolæ posteriùs scriptæ ad Coloss. & ad Phile-
monem, in quibus Demas inter salutantes no-
minatur, & ita quidem, ut in altera connumeretur
adiutoribus Pauli, cui sententia subscripta etiam
Hieron. in fine commentarij epist. ad Philemonem.

Demas
panien-
tia du-
ctus ad
Pauli ob-
sequium
redit.

Et abiit Thessalonicanam] siue ut rebus suis pri-
uatis illic vacaret, siue ut procul abesset a pericu-
lo, ac forte Thessalonica erat illi patria.

Crescens in Galatiam] suppte, abiit missus a me,
ad prædicandum ibi Euangelium, Galatiam, non
Galliam hinc intellige, cum secundum fidem Mar-
tyrologiorum, Crescens a Paulo in Galatiam mis-
sus, quae est Asiae minoris regio, transitum inde
fecerit in Gallias; ac rursum ad Galatas reuersus,
quibus specialiter datus erat Episcopus, tandem
apud eos martyrio vitam finierit, &c.

Galatia
Asia mi-
noris re-
gio.

Titus in Dalmatiam] haec regio est Illyrici.

Lucas est tecum solus.] Hunc Apostoli Pauli se-
ctatorem, & omnis eius peregrinationis indiui-
duum comitem appellat Hieronymus in Cata-
logo.

Mercum assume, & adduc tecum.] Loquitur de
Ioanne consobrino Barnabæ, cui cognomen erat
Marco; sicut Act. 12. & 15. dicitur.

Marcus
consobri-
mus Bar-
naba.

Eft

Est enim mihi utilis in ministerium. Euangelium scilicet, ut hic alibi prædicet. Hic Marcus timore periculorum & laborum deseruerat Paulum peregrinantem. Actor. 15. postea vero eum in gratiam recepit Paulus, &c.

VER. 12. *Tychicum autem misi Ephesum] ut scilicet vi-ces Timothei Ephesini Episcopi, Romam à me euocati, Ephesi suppletat.*

VER. 13. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, Penula veniens affer tecum.] Penula significat vestem aptam imbribus ac frigori depellendo: qua potissimum iter agentes vti solent.*

Et libros, maxime autem membranas] in quibus scripta erat S. Scriptura, sive libri veteris testamenti. Scripta sit à Paulo haec epistola breui post ipsius in Vrbem aduentum; & proinde multis annis ante mortem. non enim reposceret vestem, aut libros ab annis fermè decem Troade relictos, si diem obitus iamiam sibi instare sentiebat. quorūm requirat ista, sibi iam nulli usui futura?

VER. 14. *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit] fecit, exhibuit, intulit. Hunc Alexandrum tanquam hæreticum, Paulus excommunicauerat, ut ipse testatur 1. Tim. 1.*

VER. 15. *Quem & tu deuita, id est obserua, & caue tibi ab illo. valde enim restiuit verbis nostris.*

VER. 16. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit] id est, auxilium aut patrocinium præstítit. Primam defensionem hic intelligunt Beda, Anselmus, eam quam fecit Paulus in primis vinculis. Scribit Paulus è secundis vinculis, quod sibi in primis euenerat.*

VER. 17. *Dominus autem mihi asstitit & confortauit me.] Necesse*

Necessè est enim adesse diuinum, vbi humanum
cessat auxilium, inquit Philo, ibique plus est au-
xilij, vbi plus est periculi; teste S. Ambrosio lib. de
Ioseph.

*Vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes
gentes: & liberatus sum de ore leonis.]* Seruatus ergo
fuit à Deo in vita, vt in Hispaniis & alibi prædi-
caret, propagaret, & completeret Euangelij prædi-
cationem, eamque omnes gentes audirent. Paulus
seruatus est è primis vinculis vt prædicaret in
Hispaniis. Chrysost. Theodor. per *leonem* intelli-
gunt Neronem, qui crudelis erat vt leo.

Liberauit me Dominus ab omni opere malo] id est, VER. 18.
ab omni peccato: non patiatur me superari à ten-
tatione, sed datus sit constantiam usque ad
mortem. *Liberauit,* id est liberabit.

Et saluum faciet in regnum suum cælestē.] q. d.
Saluabit me hoc fine, vt scilicet regnum cælorum
assequar. ita Theophyl.

Saluta Priscam & Aquilam & Onesiphori do- VERS. 19
mum.

Eraustus remansit Corinthi.] Hic unus erat eo-
rum qui Paulo ministrabant, vt habetur Act. 19. VER. 20.

Trophimum autem reliqui infirmum Milei] id
est Maltæ. fuit & hic è comitibus Pauli. Etiam in
Creta fuisse urbem cui nomen esset Miletus,
Grammatici probant ex Homero, & Strabone
lib. 12. in hac potuit relinquere Trophimus ægro-
tus cum Cretam ad nauigaret Paulus captius,
Act. 27.

Festina ante hiemem venire, salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.] Pudens vir erat
apud Romanos clarissimus, senatorij ordinis, pa-
ter sanctorum Praxedis & Pudentianæ virginum,
de

de quo vide Martyrologium ad 14. Cal. Iunij. & *Claudia*, quæ h̄ic nominatur, ipsius uxoris. *Linus* verò, idem qui Petro proximus in Episcopatu Romano postea succedit, & antea Paulo ministrauit, Ignatio teste in epistola ad Trallianos.

Et fratres omnes.] Qui Romæ erant fideles complectitur.

VER. 22. *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo] id est,* tecum sit per gratiam suam.

Gratia vobiscum. amen.] Vobiscum, id est, te- cum, & cum vniuersa Ecclesia tibi commissa.

COM



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. PAVLI
APOSTOLI
AD TITVM.

Hic Titus à Paulo conuersus ad Christum & baptizatus , eidem adhæsit : ac in prædicatione fuit insignis adiutor & interpres. vnde 2. Cor. 2. Paulus Titum fratrem suum vocat. Fuit enim Titus insigni morum innocentia ac sanctimoniam prædictus, adeoque tota vita virginitatem coluit & seruauit, vt docet S. Ignatius epistola ad Philadelph. Hinc à Paulo creatus est Archiepiscopus Cretæ , aliarumque vicinorum insularum , quin & in Dalmatiam a Paulo missus , ibidem prædicavit , ac tandem multis Ecclesiis erectis & fundatis, in

*Titus.
Archie-
piscopus
Cretæ.*

*M. 73
eius.
Cretam.*

Cretam reuersus, sanctè mortuus est, anno ætatis 94. ibidemque sepultus. Sicut Timotheum duabus epistolis, ita Titum hac vna instruit. Scriptam esse Nicopoli in Epiro docent S.Hieron. Theodoret. Chrysost. Nicopoli, inquam, id est, in vrbe, aut loco propinquo & subiecto Nicopoli, cum scilicet eò pergeret Apostolus, & vicinus esset Nicopoli. hoc enim significat cum ait cap. 3. *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim (non dicit Hic, sed, Ibi, scilicet quod iam proximè tendo) statui hiemare.* Scriptam esse anno Christi 58. ac consequenter ante prima vincula, docet Baronius, & alij passim.

CAPVT PRIMVM.

S V M M A R I V M.

Scribit de constituendis per ciuitates presbyteris; & quales ij esse debeant: per eos redargui debere errorum magistros Iudaicis fabulis deditos.

VERS. I.



A V L V S seruus Dei.] Seruum Dei Paulus se nominat, quod in familia & regno Dei certum ministerium atque officium sibi iniunctum habeat.

Apostolus autem Iesu Christi, secundum fidem eleto

electorum Dei] Seruus Dei & Apostolus , seu legatus Christi , in hoc missus, vt iis , qui sunt à Deo electi, fidem qua saluentur annunciem, vt scilicet omnes fideles, maximè sanctos & electos, doceam veram , sinceram & sanctam fidem , qua cognoscant veritatem.

Et agnitionem veritatis , qua secundum pietatem est, in spem vite æterna] quæ veritas circa pietatem, verùmque Dei cultum versatur; ex quo speranda nobis offertur vita æterna ; idque iuxta Dei promissionem.

Quam promisit qui non mentitur , Deus , ante tempora secularia] quam (vitam æternam) promisit , id est , gratuita sua liberalitate , seu sponte, gratis & ultrò promisit. Chrysostom. Promisit, inquit, id est, dare decreuit proposuit, prædestinavit apud se in sua mente diuina dare fidelibus suis vitam æternam. Ante tempora secularia, ante mundi constitutionem , priusquam mundus esset , puta ab omni æternitate. vt sit sensus , Deum ab æterno præordinasse , & constituisse dare electis vitam æternam. quæ dari decreta siue prædestinata est. quod enim nobis dari decreatum est, id ipsum nobis quasi promissum est. Deus promisit se nobis per Christum daturum esse vitam æternam.

*Que ven-
centur in
tempora secu-
laria.*

*Manifestauit autem temporibus verbum suum VERS. 3.
in predicatione (id est , per prædicationem) qua credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei] id est . per delegationem mihi factam à Deo Salvatore nostro. Verbum suum , puta Dei, hic vocat Dei promissionem iam dictam de vita æterna. Verbum illud suum, vel promissionem illam suam , olim scilicet in Deo occultam*

& reconditam, iam per prædicationem meam manifestauit.

VERS. 4. *Tuo dilecto filio secundum communem] Communem fidem, dicit suam, & Titi, ut benè exponit Hieronymus. eandem tecum habes fidem; fides mea, fides tua est, tibique communis.*

Gratia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Salvatore nostro.

VERS. 5. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, (id est, in Creta, scilicet insula) ut ea quæ desunt corrigas] id est, ut quæ reliqua sunt, scilicet quæ adhuc corrigenda restant, nec à me tam citò corrigi potuerunt, pergas corrigere.*

Et constitutas per ciuitates presbyteros] id est, per singulas ciuitates. De solis iis loquitur ciuitatibus in quibus erant iusto numero fideles, quibus Episcopus attribueretur.

Sicut & ego disposui tibi] sicut ego tibi ordinaueram siue præceperam. q.d. Tales constitue Episcopos, quales præcepi.

VERS. 6. *Si quis sine crimine est] qui sic vixerit, ut nullus eum meritò possit in crimen vocare, quique sit boni nominis & famæ.*

Vnius vxoris vir, qui, si vxorem habeat, aut habuerit, non tamen acceperit secundam, sed una contentus vixerit, filios habens fideles] id est, Christi fidem professos.

Non in accusatione luxuria, id est, qui de luxu non possunt acculari. aut non subditos] qui subiici non lunt, qui in ordinem cogi non possunt.

VERS. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, id est, sine grauiori scelere, sicut Dei dispensatorem] hoc est, tanquam Dei vicarium ac ministrum in dispensatione Euangeli & Sacramentorum.*

Non

Non superbū, id est, sui sensus ac iudicij tenacem, non iracundū, non vinolentū, non percussōrem, non turpis lucrī cupidū] qui lucrum capet vnde cunque, etiam repugnante honesti ratione.

*Sed hospitalem, benignū, sobrium, iustum, qui VERS. 8.
innocenter inter homines versetur. sanctū, qui Episcopos
purē & incontaminatē Deum colat. continentem, tutes.
qui cupiditates refrānet, eas potissimum, quæ
sunt à libidine & gula.*

*Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, si- VERS. 9.
delem sermonem] Doctrinam vult intelligi pietatis
Christianæ Fidelem sermonem suo more vocat Fidelis
eum, qui est certæ & exploratæ veritatis. sermo
qui sit.*

*Vt potens sit exhortari in doctrina sana] hoc est,
sufficiens & idoneus sit qui exhortetur ad pie-
tatem, & ad omne genus virtutis ; idque per
sanam, integrā & incorruptam Euangelij do-
ctrinam.*

*Et eos qui contradicunt arguere] id est, eos qui
sanæ doctrinæ resistunt & obloquuntur, tum
Scripturæ testimoniis, tum firmis rationibus re-
uincere.*

*Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & VERS. 10.
seductores] hoc est, mentium deceptores, id est, qui
prauis opinionibus mentes hominum inficiunt,
qui errore seminant inter fideles.*

*Maxime qui de circumcisione sunt] id est Iudæi.
Nam & Creta multos habebat ex dispersione
Iudæos.*

*Quos oportet redargui] id est, obturare il- VERS. 11.
lis os.*

*Qui uniuersas domos subvertunt, docentes que
non oportet] docentes falsa & noxia, quæ fa-*

ciunt ad subuersionem fidei.

Turpis lucri gratia] Significat eos avaritia exæcatos falsa docere; dum quæstum existimant pietatem, vt ait 1.Tim.6.

VER. 12. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, male bestiae, venires pigri] mēdaces.* Propheta, id est, doctor & ethicus, qui vitia gentis nativa describit, quod perinde est atque mores posterorum prædicere: quia vitia nativa parentum ferè in posteros deriuantur. *male bestiae* vocantur, quòd essent ad nocendum prompti more bestiarum earum quæ iictu morsuue venenum relinquent.

VER. 13. *Testimonium hoc verum est*] Nouerat hoc Paulus experientia doctus, & fama publica.

Quam ob causam increpa illos dure, vt sani sint in fide] id est, vt integratatem doctrinæ Christianæ conseruent, ac quidquid ei contrarium suggestatur, respuant.

VERS. 14. *Non intendentes Iudaicis fabulis, ne seductoriis illis Iudeis, fabulas suas Iudaicas venditantiibus autem præbeant. & mandatis hominum, auersantium se à veritate*] id est, *auersantium veritatem*, qui auersantur veritatem, & pro veritate fabulas substituunt, maximè Iudaicas, puta de seruandis legi cæremoniis, ac præsertim de seruando ciborum delectu, ne quis carne suilla, leporina, aliæque quam lex Leuit. 11. quasi immundam veat, vescatur.

VERS. 15. *Omnia munda mundis*] q.d. Christianis, qui sanguine Christi in baptismo mundati sunt, nullus cibus, nullum animal, nulla res, vel natura sua, vel propter legem Moysi, habenda est immunda, sed omnia eis sunt munda, *vt omnibus vesci &*

vti, sine scrupulo possint. *Omnia munda mundis:* Omnia
munda
mundis. quia serui Dei, in eo quod carnibus & vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitae instituta sectantur, inquit Aug. lib. 31. contra Faust. cap. 4.

Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia] Infidelis, siue comedat siue abstineat, non sanctè vel iuste comedit vel abstinet, quia prava opinione vtrumque facit, inquit Augustinus.

Confitentur (id est profitentur) se nosse Deum, VER. 18. factis autem negant] quia facta professioni nequam respondent, vt pote preceptis Dei, cuius notitiam iactant, omnino contraria. Manifestè notatur Iudeorum hypocrisia.

Cum sint abominati & incredibiles, propter vitæ morumque imputitatem, & ad omne opus bonum reprobi] id est, improbi, auersi, inepti : idque ob suam malitiam erant reprobi, propterea quod doctrinæ lanae pertinaciter resisterent.

C A P V T II.

S V M M A R I V M.

Senes, anus, iuniores, serui quomodo instituendi fint, docet : & ipse Titus quomodo se gerere debeat. Et hac omnia confirmat ex scopo seu fine propter quem gratia Dei nobis apparuit.

Tu autem loquere qua decent sanam doctrinam] VERS. 1.
q.d. Noli intendere fabulis Iudaicis, vti fa-

ciunt Iudaizantes, sed sanæ doctrinæ Christi, nimis
mitum docendo primò.

VERS. 2. *Senes ut sobrij sint, pudici, prudentes, id est, in
Senes
quanam
doceri,
debeant.* *Sani in fide, id est, integri, firmi & robusti. in di-
lectione, in patientia]* Sani dilectione, quando non
simulata, sed sincera est dilectio, & in Deum di-
rigitur. Sani patientia, quando dura & aduersa
tolerantur.

VERS. 3. *Anus similiter in habitu sancto]* ut sint in habi-
tu, qui sanctimoniam seu religionem deceat.

*Non criminatrices, non detrahentes. non multo
1. Tim. 3. vino seruientes.* Vbi de diaconis agebat, dixit, De-
diros. ut alterum sit alterius interpretatio. *bene do-
centes]* bona docentes. q.d. Anus doceant iuuen-
culas non leuia, anilia aut turpia, sed bona & ho-
nesta, scilicet, prudentiam, charitatem, castita-
tem, &c.

VERS. 4. *Ut prudentiam doceant adolescentulas]* Loquitur
Anus de autem de iuuenulis tam nuptis quam innu-
guibus ptis.

*admonē-
de.* *Ut viros suos ament, filios suos diligant]* ita de-
bent viros suos amare, ut etiam timeant; ita time-
re, ut ament.

VARS. 5. *Prudentes, castas, sobrias esse, domus curam haben-
tes:* hoc est, quæ assiduè sint domi, remque curent
domesticam. *benignas]* id est, placidas ac mites ex-
ga domesticos.

Subditas viris suis] quandoquidem vir caput est
mulieris, 1. Cor. 11. & Ephes. 5.

Ut non blasphemetur verbum Dei] hoc est,
ne doctrina Christiana male audiat apud infi-
deles.

VERS. 6. *Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint]* Sobrietas
enim

enim adolescentiae summo est ornamento , quia cupiditatis vitium cum ea acrius bellum gerit,
inquit Theodoretus.

*In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum
operum , in doctrina , in integritate , in grauitate]*
sit doctrina & exemplar virtutis tuæ speculum
vitæ , quod omnibus proponitur ad imitandum ,
inquit Chrysost.

*Verbum sanum , irreprehensibile : ut is , qui ex
aduerso est , vereatur , nihil habens malum dicere de
nobis] Qui ex aduerso est , id est aduersarius , puta
Gentilis , Iudæus , vel hæreticus . Vereatur , id est ,
pudefiat , confundatur .*

*Seruos (supple hortare) Dominis suis subditos
esse , in omnibus placentes] In omnibus , quæ cum
voluntate Dei , qui supremus est Dominus , non
pugnant .*

*Non contradicentes] non obloquantur , non
obmurmurent .*

*Non fraudantes (non suffurantes) sed in omni-
bus fidem bonam ostendentes , in omnibus integrum
præstantes fidelitatem . ut doctrinam Saluatoris no-
stri Dei ornent in omnibus] id est , ut obedientia ,
fide , & morum integritate , doctrinam Chris-
tianam apud heros suos commendatam red-
dant : quo plures ad eam amplectendam alli-
ciantur .*

*Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri om- VERSUS
nibus hominibus] Nomine gratie Dei , ipsa bene- Christus
ficiencia Dei intelligitur , quam benignitatem &
humanitatem Dei appellat . Saluatoris nostri , id est ,
illa salutatis gratia , quæ omnibus salutem af- omnes
fert , apparuit . Gratia ergo hæc est miseri- homines
cordia & benevolentia Dei omnibus hominibus vocat .
Gratia
Saluato-
ri que ?*

exhibita in incarnatione Christi : siue gratia haec est ipsa incarnatio Verbi gratuita , aut ipse Deus Saluator gratuitè incarnatus , afferens nobis reconciliationem , remissionem peccatorum , omnemque gratiam , sapientiam , doctrinam & salutem . ita Hieronymus .

VERS. 12. *Erudiens nos, ut abnegantes, impietatem & secularia desideria] Impietatem, id est, incredulitatem, qua Deum nec credebamus, nec colebamus, inquit Bernardus. Secularia desideria. id est, mundanas concupiscentias, hoc est, cupiditates omnes carnis, opum, honoris, & gloriae.*

Sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo] Sobrietate seu temperantia , qua quisque bene fit ordinatus erga seipsum ; iustitia, qua erga proximos , pietate , qua erga Deum . Quisquis ergo vult ad regnum peruenire cælorum , viuat sobrius in semetipso , iustitiam seruet in proximo , plus perseveret in Deo . Fulgentius lib. 1. de remiss. pecc. cap. 28.

VERS. 13. *Expectantes beatam spem]* dum interim spe expectamus promissam beatitudinem , tanquam præmium bonarum actionum huius vitæ .

Et aduentum gloriae magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi] id est, illustrationem, siue illuminem aduentum & apparitionem. Aduentum gloriae, id est, gloriosum, splendidum. Expectantes manifestationem gloriae magni Dei, qua scilicet eius maiestas & magnitudo tunc omnibus innotescet; nec non manifestationem gloriae Salvatoris nostri Iesu Christi, &c. cum filius magna luce & maiestate venturus sit ad iudicium , ut fideles suos præmiet & remuneretur.

VERS. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis]* Hoc est , qui in

in assumpta carne semetipsum sponte tradidit in passionem & mortem pro nobis.

Vt nos redimere ab omni iniquitate] q.d. Ideo seipsum tradidit in mortem, vt eo pretio nos redimeret ab omni peccato, quo mortem merebamur.

Et mundaret sibi populum acceptabilem.] Sic vocat peculiariter electum & dilectum à Deo, vt nos ab omni iniquitate redemptos & emundatos, possideret tanquam populum peculiarem.

Sectatorem bonorum operum] id est, zelatorem, æmulatorem, bonorum operum. Vides, inquit, Chrysost. vt non simpliciter opera virtutis à nobis exigantur, ait enim sectatorem, hoc est, magna cum alacritate, & ingenti studio & animo, virtutis opera capessentem.

Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio] hæc quæ dixi de redemptionis Christi fine & scopo, vt scilicet sectemur bona opera, sobriè, iustè & piè viuendo, hæc inquam, exhortare: & si qui hortationi suaii non pareant, vti sunt tui duri Cretenses, argue eos cum omni imperio, plena potestate & auctoritate.

Nemo te contemnatur] q.d. Ita te gere in officio tuo, ita sanctè viue, ô Tite, vt nemo te contemnere audeat.

C A P V T III.

S U M M A R I U M.

Potestatibus subditos esse admonet, & ab omni opere malo abstinere, cum per gratiam Christi renouati sint & iustificati. Contentiosas questiones vitari iubet; hereticum hominem post admonitionem reiici, quod subuersus sit. Postremo salutem precanur & gratiam.

VER. 1. **A**dmonere illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire] id est, obedire principibus seu magistratibus.

Ad omne opus bonum paratos esse.

VER. 2. **N**eminem blasphemare] id est, neminem male dicere aut mala imprecari, neminem conuiciari.

Non litigiosos esse, id est, non pugnaces. sed modestos] placidos, mites, humanos, &c.

Omnen ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

VER. 3. **E**ramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes.] Dicit ergo nos, qui nunc Dei beneficio Christiani sumus, quondam eramus insipientes sive stulti, quia vera sapientia destituti, eramus errantes, tam in via morum quam doctrinæ.

Seruientes desideriis & voluptatibus variis. hinc enim omnis peccator seruus peccati vocatur, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuidem.]

*uicem.] Malitia est nocendi cupido. odibiles, vt sci-
licet inuicem odio prosequantur.*

*Cum autem benignitas & humanitas apparuit
Saluatoris nostri Dei.] Benignitas, id est, bonitas,
benevolentia & beneficentia. Humanitas, id est,
singularis ille Dei Patris erga homines amor,
studium, dilectio, & clementia. Nota Dei amo-
rem in nos, quod ab æterno nos amat ille qui
est Deus, id est, qui est summa maiestas & felici-
tas, qui in se omne bonum habet. Deus diligit
nos propter se, quia summè bonus est, adeoque
bonitate abundat, vt bonitatem & liberalitatem
suum in nos omni dilectione indignos effundere
velit. Infinita ergo Dei bonitas radix est & ratio
amandi homines, eisque se & sua bona commu-
nicandi.*

*Non ex operibus iustitiae, id est, non merito ope-
rum iustorum, qua fecimus nos, sed secundum, id est
propter, suam misericordiam, id est, gratis ex mera
Dei misericordia, saluos nos fecit] id est, per gra-
tuitam beneficentiam, qua nostri misertus est, in
quibus nihil boni reperit ad quod respiceret,
saluos nos fecit.*

*Per lauacrum regenerationis] quia qui baptismi
Sacramento foris abluuntur, intus regenerantur
in filios Dei per gratiam adoptionis, idque ex in-
stitutione Christi.*

*Et renouationis Spiritus sancti] quo scilicet per
gratiam Spiritus sancti renouamur, & noui ho-
mines, puta sancti, iusti, Dei amici & filii, effici-
musr. Qui baptizatur, deposita vetustate peccati,
in nouam transit creaturam.*

*Quem (scilicet Spiritum sanctum, id est, Spiriti-
cus sancti gratiam & dona) effudit in nos abunde per
Iesum*

VER. 4.
Benigni-
tas quid
sit.
Huma-
nitas
quid sit.
Amoris
duini
erga nos
immen-
tia.

VERS. 5.

VER. 6.

Iesum Christum Salvatorem nostrum] Abundè, id est, opulenter, largè, copiosè: idque hoc fine.

VER. 7. *Vt iustificari, id est, à peccatis expurgari, & iustitia donati, non nostro merito, sed gratia ipsius heredes simus secundum spem vita aeternæ] id est, heredes nos fore speremus in cælo vitæ aeternæ.*
Heredes nostræ qualiter.

VER. 8. *Fidelis sermo est.] Hæc quæ iam dixi de beneficio gratuitæ iustificationis & saluationis nostræ, certa sunt, & fide dignissima.*

E: de his volo te confirmare] affirmare, assuecare, asserere & prædicare. Sensus est: Et volo ut sermonem habeas, hæc affirmes, & cum assueratione doceas.

Vt carent bonis operibus praesse qui credunt Deo] curam habeant bonorum operum, ac solliciti sint, ut ea non solum exerceant, sed etiam omni studio promoueant tanquam operum exactores & præfecti.

Hac sunt bona & utilia hominibus] hæc, inquit, quæ dixi, & in sece recta atque honesta sunt, & hominum societati utilitatem adferunt.

VERS. 9. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ.] Genealogias intelligit Iudæorum & Iudaizantium, qui à puero ita hisce student, &c. Pugnas legis, intelligit futilles quæstiones & rixas, quæ circa legem mouentur, &c. quas omnes inutiles, & vanas, atque superuacaneas pronunciat; præsertim lege iam abrogata per Christum, quia fructu pietatis carent, qui solus in omni disputatione spectandus est.*
Quæstiones inutiles fugienda.

VER. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem deuita.] Correctionem, id est, comminationem, quæ scilicet leuiter fit, docendo & monendo*

nendo suauiter absque grauiori increpatione,
deuita, id est, reuise, auersare, refuta.

Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est] id est, VER. 11.
qui semel & iterum monitus adhuc in errore
persistit; noueris euersum aut subuersum esse, vi-
delicet dissipato fidei fundamento, utpote plane
in haeresi & sua obstinatione peruersus & im-
mersus.

Et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.]
Delinquit, id est, peccat, supple sciens, prudens & Heresi-
obstinatus in sua haeresi, malitia & delicto. cum ctes quo
sit per se, & a semetipso condemnatus, quia scili- sensu sit
cet sponte & pertinaciter se ab omnibus fidelis proprio Heresi-
bus, & a tota Ecclesia separat, extra quam non est iudicio ctes quo
salus, sed certa condemnatio. ita Hieronymus, condem-
Anselmus, & alii. natus.

Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, ut sci- VER. 12.
licet tui absentiam Cretæ suppleant, & pro te
Cretenses instruant & pascant. festina ad me veni-
re Nicopolim.] Nicopolis, Hieronymo teste, ea ci- uitas est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi
Antonium Cleopatrāmque superarit, nomen ac- ceptit. hæc sita est in Epiro, contermina Græciae.

Ibi enim statui hiemare] id est, hiemem transi- gere.

Zenam legis peritum, & Apollo sollicite praemittit, VER. 13.
ut nihil illis defit.] Hos ad se mitti iubet, ut in pra- dicatione Euangeliū eos habeat socios & adiuto- res. Apollo enim erat eloquens, & potens in Scrip- tura. Act. 28. Zenas vero fuit legis peritus, puta Moysaicæ doctōr, ideoque magnæ auctoritatis & opinionis. Hoc ergo Tito comittit, ut eos ad se destinet, ut per Cretam iter facturis viaticum subministrari curet, ne quid iis desit.

Discant

VER. 14.

Discant autem & nostri bonis operibus praesesse ad usus necessarios.] Discant, inquit, te hortante, nostri, id est Christiani, qui apud te sunt, bonis operibus praesesse atque intendere, ubique postulat necessitas.

VER. 15.

Vi non sint infruituosi] si bonis operibus studiosè propter Deum incumbant, per haec enim ipsis æterna vita comparatur.

Salutant te qui mecum sunt, omnes] salutem, inquit, tibi precantur omnes qui mecum sunt, id est, familiares ac adiutores mei.

Saluta eos qui nos amant in fide] ut innuat qualis omnium Christianorum amor esse debeat, scilicet profectus & directus à fide.

Graia Dei cum omnibus vobis. amen] id est, fidelibus qui apud te sunt.

C O M.



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. P A V L I
A P O S T O L I
A D
PHILEMONEM.

M.
Philemon ciuis erat Colossensis , inter
suos nobilis, vita ac moribus æquè ac fide
& professione Christiana conspicuus. Cu-
ius domus Colossis tempore Pauli cœpit
esse Ecclesia, ut in ea Paulus ageret Syna-
xes fidelium , ideoque in ea habitaret Ar-
chippus Colossenium Episcopus. Hic er-
go Philemon habuit seruum nomine
Onesimum, qui ob furtum, compilatis sci-
licet quibusdam heri sui rebus , Colossis
Romam transfugerat, vbi in Paulum inci-
dit, qui eum ad Christum conuertit, insti-
tuit & baptizauit , & iam fidelem tam
Christo

Christo quām hero suo effectum cum hac epistola commendatitia ad herum Philemonem scilicet remittit, qua rogit illum, ut eum in gratiam recipiat. Scripsit hanc epistolam Roma ē vinculis prioribus, anno Christi 60. cūm iam speraret se breuiis liberandum. Hic Onesimus pœnitens facti, in gratiam cum hero suo Philemone rediit, factusque est vir & doctor egregius, atque post Timotheum creatus est secundus Episcopus Ephesi, quem valde laudat S. Ignatius epistola ad Ephesios, vnde & hic idem Onesimus postea Romæ sub Traiano martyrio consumptus & laureatus est.

Onesimus conuersus à S. Paulo factus est Episcopus Ephesi & mar- tyris.

S V M M A R I V M.

Laudans Philemonem de beneficentia in Christianos, commendat ei Onesimum seruum fugitium, quem ipse captiuus Christo genuerat, ac rogit ut eum iam planè alium in gratiam recipiat.

VER. 1.



A V L V S vinctus Christi Iesu, ac si tacite diceret, Per hæc vincula quæ pro Christo patior, te obsecro. & Timotheum frater, Philemoni dilectio & adiutori nostro.

VER. 2.

Et Appia sorori charissima, & Archippo cōmilitoni nostro,

nostro, & Ecclesia, quæ in domo tua est.] Hæc Appia
vxor erat Philemonis, ut docet Chrysostomus.
hanc sororem suam vocat, scilicet in Christo. hic
Archippus Episcopus & prædicator erat Colos-
sensium, inquit Ambrosius.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Do- VERS. 3.
mino Iesu Christo.

Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens VERS. 4.
in orationibus meis] id est, qui nunquam oro quin
tui meminerim, tuámque salutem Deo commen-
dem; eidem Deo meo gratiás ago!

Audens charitatem tuam, & fidem] Subnecten- VERS. 5.
do fidem charitati, significat se loqui non de qua-
cunque charitate seu dilectione; sed de ea cuius
opera ex fide procedant, sine qua nequeunt esse
Deo accepta.

Quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos]
Sensus: Gratias ago Deo meo, de his quæ fama re-
ferente de te audio, scilicet de fide tua quam ha-
bes in Dominum Iesum, & de charitate quam
passim erga omnes sanctos, id est, Christianos, ipsis
operibus exerces.

Ut communicatio fidei tuae, euidentia fiat in agnitione VERS. 6.
omnis operis boni] adeò sanè ut illa tua in sanctos
beneficentia ex fide profecta, neutiquam latere
possit, sed omnibus euidentia manifesta fiat, agno-
scientibus & prædicantibus opera tua bona, quæ
plutima facis.

Quod est in vobis in Christo Iesu] Non dicit, in
te, sed in vobis. Per hoc autem significat domesti-
cam Philemonis Ecclesiam, bonorum eius adiu-
tricem.

Gaudium enim magnum habui & consolationem in VERS. 7.
charitate tua, quia viscera sanctorum requieuerunt

B b b per

per te, frater] Requieuerunt, id est, recreata & refocillata sunt. Sensus est, Philemonem suam charitatem in eo declarasse, quod sanctos, id est fidèles, inopia aut miseria corporali pressos misericorditer refocillasset.

VERS. 8. Propter quod multam fiduciam (id est, libertatem) habens in Christo Iesu (per Christum Iesum) imperandi tibi quod ad rem pertinet.] id est, quod decens, conueniens, & officij tui est, ut scilicet solitam tuam charitatem in seruum tuum pénitentem ostendas, tamen

VERS. 9. Propter charitatem magis obsecro] quamuis, inquit, imperare possim; charitas tamen qua te ut fratrem amo, facit ut malim rogare.

Cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinculus Iesu Christi] obsecro te ego talis, nimirum Paulus Christi Apostolus, idemque senex, quem parum alioqui deceat rogare addit Paulus senio sua vincula, ut efficacior sit obsecratio; quasi dicat: Da hoc senio meo, si non, da saltem hoc vinculis meis.

VER. 10. Obsecro (inquam) te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo] id est, quem in carcere constitutus, in fide institui & Christianum feci. q.d. Non iam seruo tuo, sed filio meo parces, ac veniam dabis, non abiicies me precantem pro meo ipsius filio.

VER. 11. Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi utilis] quia talis nunc est, ut utilitatem ab eo meritò expectes, tanquam à Christiano, & proinde liberaliter seruituro; mihi autem utilis, per obsequium quod in carcere detento præstítit. hinc eundem Onesimum recens à se conuersum vocat carissimum & fidelicem fratrem, Coloss. 4.

Quem

*Quem remisi ibi, tu autem illum, ut mea viscera, VER. 12.
fusce] Viscera sua vocat filium suum, quem genuit in Christo. tu eum, hoc est, meipsum, suscipe.*

*Quoniam ego volueram tecum detinere, ut pro te VER. 13.
michi ministraret in vinculis Euangelij.*

*Sine consilio autem tuo nihil volui facere] sed te VER. 14.
inconsulto, ac praeter voluntatem tuam nihil huius rei facere volui, scilicet ut seruum tuum apud me retinerem mihi ministraturum.*

Vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium] bonum, id est beneficium tuum.

*Forsan enim ideo discessit ad horam (id est, ad VER. 15.
breue tempus) a te, ut aeternum illum reciperes] id est, nullo unquam tempore, ac ne morte quidem, abs te discessurum, reciperes autem non ut seruum, sed ut fratrem, nam seruitus omnis hac vita finitur: at fraternitas Christiana manet in eternum.*

Iam non ut seruum, sed pro seruo carissimum fratrem, maxime mihi] Obserua insigniter Christianos in Apostolo affectus; qui Ovesimum modum suum, modum fratrem vocat.

Quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino] In carne, id est, in rebus carnalibus, hoc est temporalibus, & in Domino, id est, in rebus diuinis, spiritualibus, & aeternis.

*Si ergo habes me sicutum, id est, amicum, si inter VER. 17.
amicos me numeras, suscipe illum sicut me] Amico-
rum omnia sunt communia.*

*Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi VER. 18.
imputa] q.d. Furtum & debitum eius in me transcribe, & si repetendum est, a me repete; me
pro illo sponsorem accipe.*

VER. 19. *Ego Paulus scripsi mea manu, accipe chirographum meum; has literas mea manu scriptas, quibus me fideiussorem interpono, ego reddam] id est, dependam siue rependam, resoluam.*

Vi non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes] id est, insuper debes, q.d. Ut omittam & taceam, quod te, id est, tuam conuersionem ad Christum & salutem mihi debes; itaque si tu & tua mea sunt, ergo & Onesimus, qui tuus est, meus est. ita

Philemon quomodo scripsum Paulus de bebat. Epaphras Colossemis Apol. *Ita frater.* q.d. Quæso, obsecro te frater, preces meas pro Onesimo exaudi, ita enim illi veniam eblanditur. vnde subdit: *ego te fruar in Domino]* q.d. Ego voluntatem miram capiam ex te, cùm hanc rem tam piam & iustum in Domino, id est, in re Dominica & Christiana, mihi concederis. q.d. Ego ex te fructum consolationis capiam, si Onesimum, id est, fructuosum & utilem, in gratiam recipias.

VER. 20. *Refice viscera mea in Domino]* q.d. Me intimè refice, & recrea hoc beneficio, quo nullum mihi accidet iucundius. si hoc mihi præstiteris, cor meum mulcabis, & miro gaudio delinies.

VER. 21. *Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies]* tantam, inquit, noui tuam erga me obedientiam, vt non dubitem quin plus etiam quam peto, sis præstitus.

VER. 22. *Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis]* vt scilicet liberatus

beratus è vinculis, vobis restituar.

*Salutem te Epaphras concaptus meus in Christo VER. 23.
Iesu] id est propter Christum Iesum.*

Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adiutores VER. 24
mes] cooperarij mei, scilicet in negotio Euangeli-
co. Demas hic est, ait Theoph. qui postea à Paulo
defecit, de quo 2. Timoth. 4. v. 10. eum postea du-
ctum p̄c̄nitentia redisse ad obsequium Pauli
quem reliquerat.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. amen] cum spiritu vestro id est, vobiscum.

Gratia Iesu Christi] Quo nomine omne bonum salutare comprehendi sepe dictum est alibi.

СА ГОДЯВЕН



COMMENTARIA
IN EPISTOLAM
B. PAULI
APOSTOLI
AD
HEBRAEOS.

De fide est Epistolam ad Hebraeos esse Scripturam Canonicam. ita definit Concilium Florentinum & Tridentinum : estque hic Patrum & prisci Ecclesiae sensus & consensus. Scripta est haec epistola ad Hebraeos, hoc fine & scopo , ut nimirum eis ostendat & demonstret dignitatem Christi & Euangeliij , cui cedere debeat Moyses & lex vetus , ut scilicet eos à iudaismo omnino,integre & perfecte transferat ad christianismum, in eoque confirmet. Scripsit hanc epistolam , vt ait c. vlt. ex Italia , scilicet Roma , cum in primis vincu

vinculis causam suam feliciter apud Neronem perorasset, ciusque liberandi spes optima affulgeret, ut colligitur cap. vlt. anno scilicet Neronis quarto, qui fuit Christi sexagesimus ita cum Chrysostomo, Galeno & aliis Baronius.

C A P V T P R I M V M.

MVLTIFARTIAM multisque modis olim VERS. 1.
Deus loquens (id est, locutus) patribus
in prophetis] Multifariam, id est, mul-
tipartite, quasi partibus mysteriorum
distributis, alia aliis inspirata: aliis plura, aliis pauci-
ora. Quod additur, multis modis, id est, multifor-
miter; ut significetur varia fuisse visionum gene-
ra, modos ac formas, quibus illuminati prophetæ
ventura prædicerent: velut per somnia, per exsta-
ses, per enigmata, &c.

Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio] VERS. 2.
per Filium suum Iesum Christum. mirificè valet
ad benevolentiam prouocandam; quasi diceret:
O quanto nos patribus feliciores! quam beati
oculi nostri, qui viderunt, & aures nostræ, quæ au-
dierunt, ea quæ videre & audire patribus nostris
non est datum.

Quem constituit heredem vniuersorum] dominum
totius mundi. B. Thomas vniuersalem hanc Chri-
sti hereditatem esse dicit dominationem quam ac-
cepit in totam creaturam.

Per quem fecit & sacerula] Ab humana Christi
natura ad diuinam progrederitur: non solùm, in-

Christus
heres u-
niuerso-
rum.

*Seculum
quid si-
gnificet.*

quit, eum constituit omnium heredem; verum etiam (quod est multo maius) per eum ipsum saecula condidit, id est, tempora & temporaria omnia, scilicet mundum & quidquid in eo continetur.

VERS. 3.

Qui cū sit splendor gloria, & figura substantia eius.]

Pro splendore, græce est *refulgentia*: quomodo radius à sole resplendet. Vocatur ergo Filius *splendor glorie seu claritatis paternæ*: quia lumen est de lumine, hinc colligit Damascenus Filium à Patre esse inseparabilem, sic enim lux & radius à sole inseparabilis est. Filius est figura & expressa imago substantiæ Patris, quia sic Patrem representat, ut essentia seu natura Patris in ipso perfectissimè reluceat. Figura, id est expressa, & quasi exsculpta imago, signum, & similitudo, ex qua archetypum, sive exemplar, id est Deum Patrem, agnoscamus & intueamur; sicut ex imagine in cera expressa agnoscimus & intuemur sigillum, quod illam expressit, &c.

*Filius
Dei quo
sensu fi-
gura Pa-
tris.*

Portansque omnia verbo virtutis sue] Sentit Apostolus filium Dei, per quem dixerat à Patre facta esse saecula, omnia quæ facta sunt, sustinere & conseruare verbo & imperio suæ potestatis, id est, omnipotenti sua voluntate; quod nisi faceret, omnia relaberentur in nihilum. q. d. Filius suo verbo & iussu potenti omnia portat, id est, sua subsistentia, nutu & potentia sustentat & baiulat totum pondus creaturarum, inquit Theophylactus, quasi Atlas mundi. Deus enim Deique filius, qui est splendor & virtus gloriæ Dei, quasi summus Rex & moderator omnium, tam portat & sustentat, quam agit & mouet totum hoc uniuersum, verbo virtutis sue, id est, nutu potentiae

sue,

sue, sive potenti suo iussu & imperio quasi potentissimus princeps.

Purgationem peccatorum faciens] In Græco sic habetur, Per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorum. hic iam à diuina, Christi natura ad humanam Apostolus redit. Christus enim, ut homo, passione sua remissionem & abolitionem omnium peccatorum nostrorum promeruit, ac pro iis plenissimè satis fecit, offerendo semetipsum Deo Patri pro nobis in sacrificium.

Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis] Sentic Paulus, Christum consedisse, atque etiamnum sedere ad dexteram maiestatis seu magnitudinis in excelsis, id est, ad dexteram Dei, in eo loco vbi magnitudinem suam & gloriam Deus ostendit, hoc est, in cælo. Christi sessio quietam felicitatis & regni, quod adeptus est, possessionem designat. Ad dexteram Dei sedere dicitur, quia secundum naturam assumptam quietus iam possidet summam illam dignitatem & gloriam regni, quam habet supra omnem creaturam, proximus Deo.

Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius
præ illis nomen hereditavit] q. d. Filius Dei est? ergo multo maior Angelis. Respicit Apostolus ad glorificationem Christi, quam sua passione promeruit; qua nimirum ut verus Dei filius ubique fuit prædicatus & agnitus. eodem Apostolo testante, Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.

Cui enim dixit aliquando Angelorum? id est, cui Angelorum legitur Deus vñquam dixisse hoc quod sequitur?

Filius meus es tu, ego hodie genui te] Ad æter-

Christus
ut homo
sedet ad
dexterā
Patris,
quo sēsūr

VERS. 4.

VARS. 5.

nam filij Dei generationem pertinere plerique existimant, Augustinum secuti. nam æternitas Hodie, optimè denotatur aduerbio *hodie*, quo præsens *quid in scriptis signif.* dies significatur; quia æternitas vnum dies est, idémq; totus semper præsens, in quo non est aliud ficeret. post aliud, sicut in nostro tempore. *Hodie ergo, id est in & ab æternitate,* in qua vnum est hodie, vnum instans, vnum nunc, scilicet vnum stabile & perenne præsens ego gigno, & genui, & semper lignam te, quasi Verbum & filium meum. Alij contendunt intelligi oportere de resurrectione Christi ex mortuis. *Filius meus es tu,* quem nouo quodam modo rursus hodie genui, quando te mortuum, & ab hominibus reprobatum ad vitam immortalem suscitaui, & ad tantam gloriam extuli, ut te filium meum esse, cæli terræque Dominum, & Regem super Sion montem sanctum meum, id est, super Ecclesiam constitutum omnes agnoscant.

Ez rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium] Item de quo Angelorum legitur aliquando Deus Pater dixisse; Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius; de nullo Angelorum hoc dictum est, ergo Christus est maior Angelis.

VERS. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terra, dicit: Et adorem eum omnes Angeli Dei]* Primò inductus est Christus homo in orbé per incarnationem, passibilis & mortalis; iterum vero, siue secundò per resurrectionem à morte gloriosus & impassibilis inductus fuit. vel potius iterum inducit, id est, inducit, Deus pater Christum in die iudicij tanquam iudicem, ut iudicet orbem: tuncque Angeli omnes, qui primò eum adorauerunt in nativitate, iterum, siue secundò eundem

eundem publicè adorabunt in gloria, venturum
cum potestate magna & maiestate, stipatum ag-
minibus Angelorum ac virtutum cælestium.

Et ad Angelos quidem dicit, id est, de Angelis VERS. 7.
dicit, vel Deus vel Scriptura, Qui, scilicet Deus
facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam
ignis] qui quos decreuerat esse suos nuncios ac
ministros, eosdem fecit substâtias penitus imma-
teriales seu planè spirituales, eosdem fecit quasi
ignem vrentem, lucidos nimurum cognitione, ni cōpa-
& charitate ardentes. Discrimen inter Christum rentur.
& Angelos ex eo potissimum statuit Paulus,
quod ille sit Dei filius; hi ministri, &c.

Ad Filium autem] hoc est, de Filio dicit Scriptura. VERS. 8.
nam verba quaæ hîc adducuntur, non ex persona
Dei, sed Prophetæ dicta sunt.

Thronus tuus, Deus, in seculū seculi] Est hic sensus:
O Deus, id est, Christe sponse Ecclesie, qui es
Deus & Dei filius, solium regni tui permanebit
in seculum seculi, in æternum & ultra. Regnum
eius regnum æternum quod non dissipabitur,
Dan. 2. Regni eius non erit finis, Luc. 1.

*Virga equitatis, virga regni tui] id est, virga re- Virga see
stitudinis, iustitiae, æquitatis, De virga regia ser- pture si-
mo est, quaæ sceptrum vocatur, & regiæ potestatis gnificat.*
est insigne. Sceptrum regni tui, ô Christe, æquissimum est: rectissimè & æquissimè iudicas, iu-
stos promouens & præmians, impios verò puni-
niens & condemnans: quod maximè patefacies in
die iudicij. ita Euseb. Cyril. Basil.

*Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem] quia sci- VERS. 9.
licet Christus in regimine suo diligit iustitiam
& iustos, odit verò puniisque iniquitatem &
iniquos.*

Christus spiritua- li vng- etus. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exulta- tione pra participibus tuis] sive pra confortibus tuis, quoniam dilexisti iustitiam, & odisti iniqui- tatem; ideo te Deus vnxit ea vunctione, qua iam stola gloriae & immortalitatis indutus, ac regio diadema te coronatus, in regni possessionem ve- nires.

Oleum ex- zultatio- nis cur- dicatur? Oleum exultationis, seu letitiae, id est, vnguentum laetificans atque exhilarans, q.d. Gloriam cor- poris, & famae nominisque tui celebritatem, ut ab omnibus agnoscaris & colaris quasi Salvator mundi, meruisti, ô Christe, ex eo, quia scilicet dilexisti iustitiam, vtque iustitiae diuinæ satisfa- ceres, humiliasti te obediens factus usque ad mor- tem crucis. ita Hieron. quia agit tam Psaltes quam Paulus de throno regni: hunc enim ade- pthus est Christus in resurrectione, quando vnc- etus est oleo gloriae. quia oleum gloriae propriè est oleum exultationis, quod accepit Christus propter meritum iustitiae suæ. hoc enim propriè significat vox propria.

Pra participibus tuis] id est, pra sociis, amicis tuis. Socios & amicos Christi vocat Apostolos, omnesque Sanctos, qui vti filiationem & gratiam, ita & regnum & gloriam Christi, à Christo ipso participant, dum ab eo in filios, imò in fratres ad- optantur, ac regni sui caelestis heredes efficiuntur. hinc quoque gratia Christi nobis infusa vocatur vnguento.

**Gratia infusa
vocatur
unguento.
VER. 10.**

Et, Tu in principio Domine terram fundasti] id est, terræ fundamenta posuisti, terram fecisti fir- mam, stabilem atque immobilem: idque in princi- pio, hoc est, omnium primò, cum scilicet ante eam nihil factum esset.

Et opera manuum tuarum sunt celi] Per manus Dei,

Dei, virtus eius ac potentia significatur. Et cæli,
inquit, tuæ virtutis sunt opera.

Ipsi peribunt] non quoad essentiam & formam VER. II.
substantialem, sed quoad formam externam & ac-
cidentalem, quia nimirum quasi vestimentum
immutabuntur.

Tu autem permanebis] idem æternus, & immu-
tabilis. In Hebræo, & iustabis, id est, nunquam mu-
taberis. quod enim aliquo modo mutatur, non
omnino stat aut permanet.

Et omnes (cæli) ut vestimentum veterascen-] suo Cali quo
motu & continua agitatione ac mutatione, qua-
si consenescerent, ut videantur veterascere, sicut moto pe-
ribunt cū
vestimentum nouum quod deteritur & vete-
rascit. sint ater.

Et velut amiculum mutabis eos, & mutabuntur] VER. 12.
Sensus: Sicut amiculum vetus facile novo com-
mutari solet; ita tu cælos summa facilitate mu-
tabis ac renouabis. statim enim ut volueris, fieri.

Tu autem idem ipse es] id est, idem semper, & im-
mutabilis.

Et anni tui non deficient] Significatur ergo Dei
stabilis & immutabilis æternitas. Afferit autem
manifestè hic locus Christi diuinitatem: Deo
namque proprium est, semper esse, & non muta-
ri; iuxta id quod ait Malach. 3. Ego Dominus, &
non mutor.

Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede VER. 13.
à dexteris meis] Psal. 109. dixit Dominus, scilicet
Deus Pater, Domino meo, Christo scilicet, cum
triumpho ascendi in cælum, *Sedē à dextris*
meis, id est, sede mihi proximus, consors esto ho-
noris & regni mei, in summa mea gloria tecum
regna. Is enim sedet à dextris Dei, qui Deo pro-
ximus Christus
est omniū
Dominus

Eximus assidet; hoc est, qui supra omnem creaturam eleuatus, quietā felicitatis ac regni cum Deo possessionem obtinet, honoratissimo post eum loco. i. Cor. 15. pro sedere ad dexteram Dēi, regnandi, vocabulum posuit, dicens: Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius, &c.

Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum] id est, usque ad finem saeculi, & iudicium generale, in quo omnes tam dæmones quam tyrannos & homines impios, qui te, Christe, usque Christianos vexant hic & laceant, planè tibi subiiciam.

VER. 14. *Nōnne omnes (Angeli) sunt administratorij spiritus?] quorum officium sit, non assidere, sed ministrare. q. d. Quis enim fidelium ignorat, omnes Angelos esse spiritus ad ministerium deputatos?*

In ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis] Semper enim mittuntur in ministerium; nunc hi, nunc alij. mittuntur autem à Deo & à Christo eius, ad procurandam hominum electorum salutem. Dionys. Gregor. Anselmus, Thomas docent Angelos alios esse assistentes, qui scilicet semper Deo assistunt, & nunquam mittuntur: alios esse ministrantes, qui scilicet mittuntur ad omne ministerium, &c. verum probabilior est contraria sententia, scilicet omnes

*Omnēs
Angelos
mitti ve-
rius est.*

*Sera-
phim mis-
sus est
Isa. 6.*

Ifaiam. Gen. 3. missus est Cherubim , qui secundi est ordinis , ad custodiendum paradisum. quin Daniel. 10. missus fuit Michaël. Raphaël quoque, qui missus fuit ad Tobiam , dicit se esse vnum ex septem qui astant ante Deum , Tob. 12. Sic & Gabriel missus ad Zachariam : Ego , inquit , sum Gabriel qui asto ante Deum , & missus sum loqui ad te, Luc. 1. Fatemur ergo , quod Apostoli verba disertè sonant , omnes Angelos emitti ad ministeria. neque enim tali vteretur interrogatione, nonne omnes , &c. nulla deinceps addita probatio-ne ; nisi significaret eam esse velut notionem fidelium animis impressam , omnes Angelos in ministeria mitti.

C A P V T II.

Propterea abundantius (id est , magis , diligenter & vehementius) oportet obseruare (id est , attendere , & mentem applicare) nos ea quae audiimus , ostensa dignitate & præcellentia Christi , nunc hortatur & virget Apostolus Hebreos , vt Christi doctrinam & legem attentiùs quam antea tota mente excipiant . ne forte perefluamus] Duo enim significat , primum aquam è vase , & sermonem è mente perfluere & clabi. Secundo , aquam è vase , sermonem è mente elapsum dilabi , difluere & perire , vt amplius recipi non possit. vnde Chrysostom. Theophylact. sic explicant , ne perefluamus , id est , ne excidamus à via salutis , & perecamus.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo (id est , quae per Angelos dictata est lex , Exodi 19. & 20.)

& 20.) factus est firmas] Deo legem confirmante signis illis terribilibus, quæ in ea ferenda edidit.

Et omnis preuaricatio & inobedientia accepit iustum mercedis retribucionem] Iustum ergo retributionem vocat, lege decretam; qua scilicet rigori legis satisfiat.

VERS. 3. *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?] Intelligit enim doctrinam Christi, quæ tanta, id est, longè maioris, salutis ac felicitatis promissiones continet, quam lex vetus continebat.*

Quæ (scilicet salus, id est, salutis Euangelium & annuntiatio) cum initium accepisset enarrari per Dominum (Christum in terris agentem) ab eis qui audierunt (id est, Apostolis) in nos (id est, usque ad nostra hæc tempora) confirmata est.

VERS. 4. *Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus (id est, potentibus miraculis) & Spiritus sancti distributionibus, id est, donis linguarum, prophetiarum, & aliis quæ Spiritus sanctus cuique distribuit, secundum suam voluntatem.*

VERS. 5. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.] Theodor. S. Thom. accipiunt orbem futurum post resurrectionem & iudicium generale, quem Deus Pater in suo decreto & prædestinatione subiecit, & actu re ipsa subiicit Christo in fine mundi.*

VERS. 6. *Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: q.d. Ille quem nostis & quotidie legitis ac teritis, scilicet David, dicit: Quid est homo, quod memor es eius? ut tu Domine eius recordari digneris, itaq; recordari, ut eum lapsum erigere, adeoq; Christo Deo vnire, & per Christum saluare & glorificare cogi*

cogites & destinetis? Celebrat ergo Psaltes hoc
Psal. 8. exaltationem hominis & humanitatis no-
stræ factam in Christo, & per Christum, tan-
quam naturæ nostræ ducent, principem & repa-
ratorem, &c.

Aut filius hominis, quoniām visitas eum?] quid,
inquam, est filius hominis, id est, homo, ex ho-
mīne natus, mortalis ex mortali, miser ex misero,
quod eum beneficentia tuæ donis, quæ multa &
magna in eum contulisti, dignatus es inuisere?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis?] Natura VERS. 7.
humana in Christo in parvitate, & parvo tempo-
re, minor fuit Angelis, quia in hac vita, ac præ-
sertim in morte & cruce habuit corpus mortale
& passibile, cum Angeli sint immortales & glorio-
si: quia Christus passionem mortis sustinuit (sub Christus
qua tota eius mortalitas intelligenda est) eum qua ra-
paulo minūs ab Angelis minoratum significat, tione
adeò ut ipse dicat in psal. 21. Ego autem sum ver- paulo mi-
mis, & non homo; opprobrium hominum & ab- nus ab
iectio plebis. ut de eo dicat Propheta: Vidimus Angelis
eum despectum & nouissimum virorum, Isa. 53. minora-
ita nimis exigente negotio procurandæ no-
stræ salutis: sed tempus illud resurrectione fi- tus.
natum est; & ex eo iam cœpit impleri quod hīc se-
quitur.

Gloria & honore coronasti eum?] Honor est testi-
monium excellentiæ, gloria & honore Christum
cumulatè & affluenter ornasti: gloria quidem,
qua sit ut eius nomen ubique prædicetur atque
laudetur; honore autem, ut ab omnibus adoretur.

Et constituisti eum super opera manuum tuarum?]
id est, dominari fecisti, vel dominum eum consti-
tuisti operum tuorum, &c.

VERS. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius] Quod ait, sub pedibus eius, perfectam declarat subiectionem.*

In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei] Intellige, præter ipsum Deum ei omnia subiicientem.

Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei] sed suo tempore subiicienda, necdum futurus orbis (de quo dixi) ad quem suspiramus, apparuit, sed modicum exspectate, donec finiatur hoc sæculum, nimis in fine mundi cuncta Christus obtinebit, eruntque omnia ei subiecta, &c.

VERS. 9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum] gloria & honore undequaque cinctum & coopertum, meruit autem Christus & sibi gloriam & nobis salutem, per mortis passionem: quatenus eam ex immensa charitate, humilitate, obedientia, patientia subiuit.*

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem] ut per gratuitam Dei Patris bonitatem seu beneficentiam, qua ille genus humanum dilexit, mortem pro omnibus gustaret. ita Chrysostomus.

VERS. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare] Auctorem, id est, principem & ducem. q.d. Decebat Deum Patrem, qui multos homines per Christum decreuerat adducere ad cælestem suam gloriam, vt Christum ipsum, quasi auctorem & ducem omnium, passione & morte consummaret, id est, ad consummatam gloriam perduceret. Consummare idem est, quod gloria & honore coronare, siue facere, vt Christus resurgens, gloriosus sit in cælo, sedens ad dexteram Patris, & in terra ab hominibus*

*Consum
mare, est
gloriosū
facere.*

bus colatur & adoretur, quasi mundi Saluator & Dominus.

Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnibus] ex uno, id est, ex una stirpe, ex una & eadem natura, scilicet, humana sunt & constant. Loquitur Apostolus de Christo qui nos sanctificat, quasi pontifex, mediator & redemptor noster.

Propter quam causam non confunditur (non erubescit Christus) fratres eos(homines ex uno patre Adamo secum natos)vocare dicens:

Nunciabo nomen tuum (ô Pater) fratribus meis] VER. 12. Apostolis aliisque quos fideles & Christianos praedicando efficiam.

In medio Ecclesie (Christianæ à me congregandæ) laudabo te.

Et iterum: Ego ero fidens in eum] VER. 13. Omnibus enim commune est, tam ei qui sanctificat, quam iis qui sanctificantur, in Deo fidere. Ex quibus patet Apostolum hac citatione & testimonio, non tam probare Christum esse eiusdem nobiscum naturæ passibilis(vt probauit testimonio præcedenti) quam quod omnes gentes per Christum sanctificantur, itaque in filios & fratres adoptentur, & ad gloriam adducantur.

Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus] mihi scilicet homini, iuxta illud quod ait ad Patrem: Tui erant, & mihi eos dedisti, Ioan. 17. Id est filij, quos scilicet naturæ meæ passibilis & mortalis consortes, tanquam pontifex spiritualiter gigno facioque Christianos, cum quibus factus sum ludibrium & portentum Israël.

Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem] Christus

habet filios sibi datos à Deo ; atqui filij eius
participes sunt carnis & sanguinis , id est , ho-
mines sunt mortales ac miseri , igitur & ipse
carnis & sanguinis particeps factus est , id est ,
humanam assumptis naturam morti ac miseriis
obnoxiam.

*Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis
imperium , id est diabolum]* qui per peccatum nos
trahebat in mortem corporis & animæ , tam præ-
**Christus
destruxit
diabolū.** sentem quam æternam . Dicitur Christus destru-
xisse diabolum quia eius regnum & imperium de-
struxit , dum sua morte , homines à morte præsenti
& æterna ac consequenter à potestate dæmonis
liberavit , effecitque ut homines à morte ad vitam
resurgerent immortalem & æternam .

VERS. 15 *Et liberaret eos , qui timore mortis per totam vitam
obnoxij erant seruituti]* Seruitutem vocat metum
& horrorem mortis , quotidie oculis & menti ob-
uersantis . hic metus & horror omnes homines
quasi seruos opprimebat , & quasi vinctos sub se
detinebat , mirisque angoribus cruciabat . q. d.
Christus liberavit homines ab horrore & angore
mortis , effecitque ut homines fidentes & alacres
**Mors a-
rumnarū
terminus** accedant ad mortem , tanquam ad ærumnarum
terminum , & melioris vitæ exordium , ut dicant ,
Vita mihi est in tædio , mors in desiderio : cupio
dissolui & esse cum Christo , mihi viuere Christus
est , & mori lucrum .

VERS. 16 *Nusquam enim Angelos apprehendit , sed semen
Abraha apprehendit]* Apprehendit , metaphoram
habet sumptam ab eo , qui magno studio sequi-
tur aliquem , omniaque facit , ut fugientem oc-
cupet & apprehendat : nos fugiebamus à Deo ,
ipse nos insecurus est , & velut iniecta manu ap-
prehendit .

prehendit nos, nec passus est perire. Apprehendit,
ergo idem est quod insequitur, & insequendo ap-
prehendit.

Vnde debuit per omnia fratribus similari, ut mi- VERS. 17
sericors fieret & fidelis ponifex ad Deum] id est, ut
misericordia nostri disceret Christus per experien-
tiam misericordiae nostrae, eiisque sensu tangeretur. Fi-
delis, id est, talis ob experientiam & condolentiam
misericordiae nostrae, cui meritò fideremus & credere-
mus nos, omniaque nostra. Ad Deum, id est, se-
cundum ea quæ spectant ad Deum.

Ut repropitiaret delicta populi] ad propi-
tiandum, id est ad expiandum peccata po-
puli.

In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, id est, VERS. 18
ideò quod passus est, vel quia passus est. tentatus,
idem est quod vexatus & afflictus. potens est & eis
qui tentantur, auxiliari] Potens, id est aptus & facilis
& proclivis est, ut tentatorum misereatur, iisque
auxilietur. Vnde & Theophylact. Potens, inquit,
id est pronus, promptus & paratus est ad auxi-
liandum.

CAPVT III.

VNde fratres sancti, vocationis cœlestis participes] VERS. 1.
Dicit autem cœlestis vocationis participes,
quod ad hereditatem regni cœlestis à Deo vocati
sint, non quomodounque, sed vocatione efficaci
per fidem in Christum.

Considerate Apostolum, & pontificem confessionis
nostra Iesum] Apostolum, id est, legatum Dei, quem
scilicet Deus legavit ad homines, maximè He-

bræos, vt eos doceret & Deo reconciliaret. *Apostolum & pontificem nostræ confessionis*, id est, fidei, seu doctrinæ, quam nos profitemur.

VERS. 1. *Qui (Iesus Christus) fidelis est ei, qui fecit illum*] scilicet Apostolum & pontificem. Christus ergo fidelis Deo fuit Apostolus, quia fideliter nunciavit hominibus Dei voluntatem & leges: fuit fidelis pontifex, quia fideliter redemptionem & expiationem nostrorum peccatorum, etiam cum vita sua dispendio peregit.

Sicut & Moyses in omni domo eius] id est, in populo Iudaico, qui est domus, id est, Ecclesia, in qua habitat & colitur Deus creator.

VERS. 3. *Amplioris enim gloria iste præ Moysi dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam*] Christus est fabricator domus, id est, Ecclesiæ Dei, Moyses autem in ea tantum fuit famulus & minister Dei.

VERS. 4. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est*] qui omnia quæ sunt in rerum natura fabricauit & creauit, Deus est, ac proinde Christus quasi creator & Deus, longè nobilior est Moysè, qui cum aliis est Christi creatura. ita Theophyl.

VERS. 5. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant*] Moyses testimonium perhibuit verbis Dei, siue iis quæ ex parte Dei dicenda erant populo, quæque Deus Moysem populo dicere & denunciare volebat.

VERS. 6. *Christus vero tanquam filius in domo sua*] Christus tanquam filius præst domui eius, scilicet Dei patris, eamque ut Dominus administrat, cùm Moy-
ses in ea tantum fuerit famulus.

Quæ

In Epist. ad Hebreos. Cap. III. 765

Quæ domus sumus nos] id est, quæ domus, pura
Ecclesia Dei, sumus nos.

Si fiduciam & gloriā spei usque ad finem firmam
retineamus] fiduciam, id est, libertatem, per quam
intelligit liberam & intrepidam fidei professio-
nem, ut nec minis, nec pœnis, à fide Christi auel-
lamur. gloriā, id est, gloriationem spei, gloria-
tionem qua in spe nostra firmi & animosi de ea-
dem gloriāmur, inquit Chryost.

Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si VERS. 7.
vocem eius audieritis] eius, scilicet Christi.

Nolite obdurare corda vestra, sed molli corde VERS. 8.
excipite dicta illius, illi obedite, nec vlo pacto ab
eo desciscite. sicut in exacerbatione secundum diem
tentationis in deserto] per quadraginta annos mur-
murantes & rebellantes, tam contra Mosen, quam
contra me.

Vbi tentauerunt me patres vestri; probauerunt, & VERS. 9.
viderunt opera mea.

Quadraginta annis: propter quod infensus fui ge- VERS. 10.
nerationi huic, q.d. Proximus fui, scilicet ut hostis
ad vlciscendum & puniendum duros & rebelles
Iudeos, hoc enim idem est, quod infensus fui; &
dixi: Semper errant corde, ipsi autem non cognoverunt
vias meas] id est, vecordes sunt & dementes, &
insaniunt, ut non cognoscant vias meas, id est,
mandata mea, quibus quasi viis ad me & ad salu-
tem suam insistant & contendant.

Sicut iuraui in ira mea, id est, quibus iuraui; si VERS. 11.
introibunt in requiem meam] Per requiem intelli-
ge terram promissam, scilicet Chanaan, in quam
induxit eos Iosue. Requies æterna in cælis
adumbrata per Chanaan, in quam inducit nos
Iesus.

VERS. 12. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum timor incredulitatis, discedendi a Deo viuo.*

VERS. 13. *Sed adhortamini vosmetipos per singulos dies, ad perseuerandum in fide, in spe, & in persecutionum tolerantia, quasi generosi milites & athletæ Christi. donec hodie cognominatur]* id est, donec viuitis. *Hodie significat tempus præsens vitæ gratiæ, & pœnitentiæ, quod cuique datur. quamdiu enim spiramus & viuimus, est hodie. quamdiu licet audire, credere & conuerti, est hodie.*

Ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati] id est, ne illecebris peccatorum fallacibus capti obdurescatis ad vocem Dei,

VERS. 14. *Participes enim Christi effecti sumus]* q.d. Christo tāquam corpori & capiti nos quasi partes & membra insiti sumus, per fidē, baptismum, & gratiam, commixti sumus cum Christo, Christo concorporati, ac consequenter vitæ, gratiæ, gloriæ & hereditatis Christi participes facti sumus.

Si tamen initium substantiæ eius usque ad finem Fides in i firmum retineamus] si tamen suscepitam semel fīstæ spī stetia spī ritualis. dem, per quam in via hac spirituali subsistimus (aut quæ est substantia, id est basis & fundamen- tum, salutis ac spei nostræ) firmam & inconcus- sam retineamus usque ad exitum vitæ.

VERS. 15. *Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodū in illa exacerbatione]* Hortor vos ut fidem constanter retineatis usque ad finem, hoc est, dum dicitur, seu, quamdiu dicitur nobis, *hodie si vocem, &c. donec Hodie cognominatur, id est, hac vita durante.*

VERS. 16. *Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non uniuersi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen]* id est, ductore Moysè, quia non Iosue, non Caleb, non

non paruuli, non mulieres, non Leuitæ: hi enim non murmurauerunt contra Moysen, nec exacerbarunt Deum, ideoque uti culpæ, ita & pœnæ expertes fuerunt, saluique & incolumes ingressi sunt terram promissam Chanaan, Numer. 14.

Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccauerunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto?

VER. 17.

Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?] Sensus est: Nisi iis, qui post tot & tanta potentia diuinæ signa exhibita, nondum sibi in animum induxerunt, ut promissis Dei crederent?

VER. 18.

Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem] q. d. Ut iurauit & comminatus est Deus, ita re ipsa executus est, &c. q. d. Idem nobis euueniet, ut, nisi Deo minanti obtemperemus, ipsique credamus & fidamus, re ipsa excludamus cælo.

VER. 19.

C A P V T I V .

Tameamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse.] Monet Apostolus Christianos ne excludantur à requie cæli, ut Iudæi exclusi sunt à requie Chanaan. Deesse tam deficere & descisere, quam priuari significat.

VER. 1.

Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis] id est, etenim sumus euangelizati, id est, Euangeliū siue lœtum nuncium accepimus æquè ut illi. Hebræi enim acceperunt Euāgelium de possidenda terra Chanaan, nos vero Christiani accepimus Euangelium de possidendo regno cælorum.

VER. 2.

Sed non profuit illis sermo auditus , non admissus fidei ex iis que audierunt] sermo diuinæ promissionis quem audierunt , nihil ipsis profuit ; propterea quod non esset contemporatus fidei conceptæ ex iis quæ audierant : non enim ex iis fidem conceperunt ; sed audita respuerunt per infidelitatem.

VER. 3. *Ingrediemur enim in requiem , qui credidimus : quemadmodum dixit : Sicut iurauit in irâmea , si introibunt in requiem meam] nos igitur in requiem nobis promissam ingrediemur , si crediderimus . Nam si infidelitas excludit ; ergo fides introducit.*

Gen. 2. *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis] id est factis . Est occupatio , per quam ascendit Apostolus ad explicandum anagogen sabbati , restare Christianis tertiam requiem in cælo . q. d. Duplex requies olim promissa fuit à Deo patribus nostris , prima requies fuit sabbati , qua Deus in honorem & memoriam suæ creationis & quietis iussit homines quiescere ab operibus die septimo . Secunda requies fuit in Chanaan . atqui Dauid Psalm. 94 . loquitur de tertiâ requie in cælo , eamque promittit fidelibus & Christianis , si in fide Christi persistent .*

VER. 4. *Dixit enim in quodam loco (Genes. 2.) 'de die septima sic : Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis .] Iussit Deus homines quiescere in sabbato , quia ipse eodem die quieuit ab operibus suis .*

VERS. 5. *Et in isto rursum : Si introibunt in requiem meam] ac rursum , inquit , in hoc psalmi loco idque post tot saecula ab orbe condito , dicit Scriptura ex Dei persona : Si introibunt in requiem meam , Nota rursum . q. d. Præter requiem sabbati habet Deus aliam requiem , quam hominibus præparauit , & à qua*

qua incredulos exclusit.

Quoniam ergo supereft introire quosdam in (re- VER. 6.
quiem) illam , itaque relinquitur sabbatismus. &
ij, quibus prioribus annunciatum est , non introierunt
proprie incredulitatem.

Iterum terminat diem quendam , Hodie , in David VER. 7.
dicendo , post tantum temporis , sicut supra dictum est:
Hodie si vocem eius audieritis , nolite obdurare corda
vestra .] Terminat , id est , prae finit & determinat ,
hoc est , signat quoddam spatium temporis , scili-
cet , hodie , puta tempus vita nostrae , quo possumus
intrare in hanc Dei requiem , ut auscultemus Deo
ducenti nos in requiem suam , puta in caelo aeternam ,
quam nobis praefstat Iesus Christus , per Io-
sue adumbratus .

Nam si eis Iesu (Iosue) requiem praefuisse , nun- VER. 8.
quam de alia loqueretur posthac , die .

Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei] id VER. 9.
est , ex dictis sequitur , aliud sabbatum , id est aliam
requiem , relinqu & restare populo fidei , &
Christianu , puta requiem , gaudium & solemnni-
tatem caelestem , figuratam per quietem & fe-
stum sabbati veteris & Iudaici .
Sabbati
Mosaicu
typus
quietis
eterne.

Qui enim ingressus est in requiem eius , etiam ipse VER. 10.
requieuit ab operibus suis , sicut & suis Deus] reuera illa
est requies ubi fugit dolor , tristitia , gemitus , &c.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem .] q. d. VER. 11.
Dum in vita huius deserto , instar Hebreorum ,
peregrinamur & tendimus ad requiem & terram
promissam in celis , non consistamus , non respe-
ctemus , non lassemus , non cadamus animo ob
labores , & hostium incursum ac persecutio-nes , sed
forti & constanti animo pergamus , imo festine-
mus ingredi in illam requiem .
Requies
mystica
eterna
salutis.

Vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum] id est, ne quis fiat simile incredulitatis exemplum, quale scilicet fuerunt Hebrei: ne quis ob incredulitatem corruat, vti illi corruerunt & prostrati sunt in deserto.

VER. 12.

Sermo

Dei quo

sensu pe-

netrabi-

lior quo

uis gla-

dioanci-

piti.

Vnius est enim sermo Dei & efficax] id est, non est otiosus, aut actionis expers, vt ea quæ mortua sunt; non est irritus, non frustratur effectu suo, quemadmodum nostris verbis sœpè contingit; sed viuit, ac vim suam exerit, in reddendis tam præmissis promissis, quam suppliciis comminatis.

Et penetrabilior omni gladio ancipi.] Est igitur sermo Dei quois ancipi gladio penetrantior, quia Deus qui nobis loquitur, oculis suæ cognitionis omnia penetrat, & ad intima quæque peruidit, multò magis quam gladius anceps acie sua penetrare queat usque ad abstrusa viscera; tum verò ob id etiam, quia transgressiones quantumvis occultaς acerrimè puniet. In hac ergo similitudine duo quædam attenduntur. vt enim gladius penetrat & laedit; ita sermo Dei intuetur & punit. itaque significatur cognitio non nuda, sed qualis est iudicis, examinantis & cognoscentis, vt puniat.

Et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum] q.d. Verbum hoc, siue sermo Dei, puta Filius, examinat & discernit motus, & cogitationes tam animales quam spirituales. compages quoque & medullas, id est, intimas hominum partes. quasi dicat: Omnia omnino etiam abditissima & intima, videt, penetrat, examinat, iudicat & vindicat Christus Dei filius: nihil est tam absconditum quod non penetrant

treat oculi & manus Christi.

Et discretor cogitationum & intentionum cordis]
scit & peruidet quid quisque cogitet & velit, &
quo fine, perspicit fundum animæ nostræ, inti-
ma nostra desideria, hoc fine ut ea iudicet &
præmet, aut puniat & vindicet.

Et non est illa creatura innibilis in conspectu VER. 13.
eius.] Inibilis, quasi dicas, inapparens, id est,
quæ non sit manifesta & conspicua.

Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.]
Ostendit etiam intimas animorum cogitationes
Deo patere. hinc etiam apparet cur post *nuda* di-
xerit aperta. nam plus est *aperta* quam *nuda*. *Nu-*
dum enim dicitur quod non est vestitum aut ve-
latum : apertum vero cūius etiam interiora con-
spicua sunt.

Ad quem nobis sermo] id est, de quo Dei ser-
mone sermo nobis institutus est. Græci sic expo-
nunt: Cui sermoni Dei, id est, filio Dei, reddituri
sumus rationem omnium actionum & cogita-
tionum nostrarum.

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit VER. 14.
cælos, Iesum filium Dei: teneamus confessionem] q. d.
Agite Hebræi, persistite in fide Christi, ad re-
quiem in cælis properate, facilè eos conscende-
mus & penetrabimus, duce Christo, qui eos pe-
netrauit, eōisque nobis peruios fecit, dummodo
confessionem, id est, professionem, scilicet fidei &
spei nostræ, constanter retineamus.

Non enim habemus pontificem, qui non possit com- VER. 15.
pati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, id est,
per omnes infirmitates nostras, absque peccato] id
est, excepto peccato.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratia VER. 16.
q. d.

q. d. Cùm habeamus Christum pontificem , qui ita condoleat & compatiatur omnibus infirmitatibus nostris, non timidi, non diffidentes , sed audacter & fidenter, eum in cælesti throno ad dexteram Patris confidentem & regnante adeamus & inuocemus in omni tentatione, tribulatione & persecutione ; iam enim placabilis sedet in throno gratiæ, postea terribilis sessurus est in throno iudicij, inquit Theophylactus.

Ut misericordiam consequamur] scilicet à Dèo per Christum pontificem , & intercessorem nostrum.

Et gratiam inueniamus in auxilio oportuno] q. d. Ut si in peccatum lapsi sumus, illius veniam misericorditer à Christo consequamur. Rursum ut gratiam inueniamus, id est, vt Christi gratiam, favorem , & benevolentiam nobis conciliemus. *in auxilio oportuno*, vt scilicet oportuno tempore, puta tempore temptationis & persecutionis , cùm Christi auxilio indigebimus, illud ipse nobis conferat, ad omnes difficultates fortiter superandas.

C A P V T . V .

S V M M A R I V M .

Describit pontificis officium; Christum often- dens verum pontificem fuisse, & pro nobis interpellantem exaudiri. Obiter ruditatem carpit eorum ad quos scribit.

VER. I.

Omnis namque pontifex ex hominibus assump-
tus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt
ad

ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.]
In iis quae sunt ad Deum, id est, ut hominum causam agat apud Deum, tanquam eorum mediator, pro eisque oret & interpellet.

Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant.] VER. 2.
Possit, id est, aptus, pronus, facilis sit ad condolendum. Condolere, id est, moderatè, modestè, leniter se gerere, ut scilicet peccantes non aspernetur, non iis irascatur, non excandescat: sed ad eorum miseriā se demittat, iis se humanum & benignum exhibeat.

Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate] id est, infirmitatem etiam suam circumfert, sicut cæteri homines. vbi Christum pontificem, ut peccati expertem Apostolus opponit hominibus infirmitatem habentibus, quos lex sacerdotes constituebat.

Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso, offerre pro peccatis.] VER. 3.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron] scilicet quod debeat non se ingerere & intrudere, sed assumi & eligi à Deo ad sacerdotium, sicut electus est Aaron, eiisque posteri.

Sic & Christus non semetipsum clarificauit ut pontifex fieret] id est, glorificauit, gloriam, claritatem, & dignitatem non ambivit, non usurpauit, sed ad eam electus, & electus est à Deo Patre.

Sed qui locutus est ad eum, qui dixit ad Christum Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec] scilicet Deus Pater ad Deum Filium hominem factum

factum, cùm eum elegit & constituit sacerdotem:
Nota. Cùm dicit, Christum esse sacerdotem se-
cundùm ordinem, id est ritum, Melchisedec,
hoc ipso præfert Christum Aaroni. Melchisedec
enim dignior fuit Aarone.

Melchi-
sedec di-
gnior Aa-
rone.

VER. 7.

Qui in diebus carnis sua] qui dum in carne
hac mortali & fragili inter homines viueret.

*Preces supplicationesque ad eum, qui possit illum
saluum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis
offerens.]* Nusquam enim conuenientius Christus
pontifex noster pro sua salute preces offerre Deo
potuit, quàm vbi & semetipsum pro salute mundi
Deo sacrificauit, hoc est, in ara crucis, tanquam
destinato sacrificij loco.

*In quoq[ue] guomodo Christus exaudi-
tua.*

Exauditus est pro sua reuerentia] Christus à Deo
exauditus est, pro ea reuerentia ac pietate, quam
erga Deum habebat; qua nimurum dignus erat,
vt ab eo exaudiretur. qua orauit pro implenda
Patris voluntate circa passionem suam, eiùsque
fructum; scilicet, vt sua passione & morte mere-
retur sibi resurrectionem à morte, nobis salutem
tam corporis quàm animæ.

VER. 8.

Obedien-
tiā quo-
modo
Christus
didicerit.

VERS. 9.
Cōsum-
mare, est
gloriosū
facere.

*Et consummatus, factus est omnibus obtemperanti-
bus sibi, causa salutis aeterna.*] Consummatum di-
cit, non morte finitum, sed perfectum redditum.
est igitur fensus: Christum per passiones ad glo-
riam adductum, omnibus sibi suóque Euangeliō
obedien-

obedientibus , causam & auctorem factum esse salutis æternæ . Quæ quidem obedientia consistit in obseruatione mandatorum Christi : quorum primum est , vt in eum credatur . Nam obedientiam etiam ad fidem referri , patet ex aliis Scripturæ locis , ut Actor . 6. Roman . 1. & 16.

Obedientia profida sapè ponitur in Scripturis .
VER. 10.

Appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedec] q.d. Christus nobis est causa salutis , quia à Deo constitutus & appellatus est pontifex noster , cùm scilicet dixit ad eum Deus . psal . 109 . Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec .

De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum] quasi dicat . De Melchisedec multa & magna dicenda forent ; sed vobis , ô Hebrei , explicatu difficultia ; quia ad hæc rudes & imbecilles estis : magis enim capitilis Aarōnem vestrum quam Melchisedec . Imbecilles , id est , segnes , ignavi , negligentes facti estis ad audiendum & cognoscendum res Christianas & diuinias .

Etenim cum deberetis magistri esse propter temporis] id est , pro longitudine temporis , quo tam in lege Moysi , quam in christianismo eruditii .

Rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elemēta exordij sermonum Dei] Græcè , eloquiorum Dei , id est , doctrina quæ de Deo est . Elementa exordij sermonum Dei , vocat rudimenta , à quibus initium sumitur instituendi homines in doctrina sacra .

Et facti estis quibus lacile opus sit] id est qui indigetis

Exordij sermonū Dei quæ sint .

digetis instructione infirmæ, simplicis & puerilis doctrinæ, de Christi humanitate, de baptismo, de resurrectione, de iudicio.

Non solido cibo] id est, non altiori & perfectiori eruditione de Christi diuinitate, de Melchisedec, de perfectione Christiana.

VERS. 13

Omnis enim qui lactis est particeps, id est, qui puerili institutione & doctrina est erudiendus & fouendus, expers, id est, inexpertus, rudis, imperitus, est sermonis inservia.] id est, sermonis qui sit de perfecta iustitia & sanctitate. hic enim solis perfectis conuenit. ita Theophylact. & Anselmus.

Parvulus enim est] id est, infans, scilicet in Christo & christianismo.

VERS. 14

Perfectorum autem est solidus cibus] id est, solida & perfecta doctrina & institutio.

Eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali,] perfectos, inquit, eos voco, qui longo vsu velut habitu comparato, mentem habent exercitatam ad discernendum in unaquaque re quid bonum sit,

quid malum, verum & falsum,
quia de doctrina ad fidem
pertinente potissimum
sermo est.



CAPVT

C A P V T VI.

S V M M A R I V M.

Hortatur ad perfectam doctrinam, omisſis elementis: fieri enim non posse ut qui semel sunt illuminati, renouentur ad pœnitentiam. Excitat ad patientiam ſpe pœmij; & Deum docet indubie preſtitum, quod interpoſito iureirando Abrahæ promiſit.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi VER. 1. sermonem ad perfectiora feramur] Inchoationis Christi sermonem, id est, rudimenta christianismi, ad perfectiora feramur, vt ſcilicet perfecta dogmata proponamus, nominatim de Melchizedeo, eiusque ſacerdotio, tanquam antitypo ſacerdotij Christi.

Non rurſum iacentes fundamentum pœnitentia ab operibus mortuis] non rurſum vobis tradentes doctrinam religionis Christianæ fundamentalem, quæ eſt de pœnitentia, fide, &c. quaſi dicat. Hæc vobis ab initio tradita ſunt, tanquam fundamenta spiritualis ædificij, nec iterum tradenda; ſed ab hiſ aſurgere debetis ad altiora.

Et fidei ad Deum] vel in Deum, puta Symbolum Apostolorum, &c.

Baptismatum doctrina, impositionis quoque manuum, id eſt, Sacramentum Confirmationis, ac reſurrectionis mortuorum. & iudicij eterni.

Et hoc faciemus, hoc ſcilicet ad perfectionem

V E R S . 2 .
D d d 2 fere

feremur, si quidem permiserit Deus] si Deus con-
cesserit.

VERS. 4.

Baptis-
mus est
Sacra-
mentum
illumi-
nationis,
& cur.

Impossible est enim eos qui semel sunt illuminati]
impossibile est semel baptizatos iterum baptiza-
ri. Vocabatur baptismus antiquis Ecclesiæ tem-
poribus, Sacramentum illuminationis, quia per
illud transtulit nos Deus de tenebris in admirabi-
le lumen suum, quod est lumen gratiæ.

*Gustauerunt etiam donum cœlestē] hoc est re-
missio peccatorum, inquit Chrysost. percipitur
enim occulto quadam gustu suauitas illius doni,
remissionis, inquam peccatorum, quoties eam
conscientiæ pax & serenitas cum interna spiritus
consolatione consequitur. Nonnulli panem cœ-
lestem intelligunt, id est, Sacramentum corpo-
ris & sanguinis Domini: quod est verè donum
cœlestē, datum nobis ad gustandum ab eo qui di-
cit, Ego sum panis qui de cœlo descendit, Ioan. 6.
Meritò enim *donum cœlestē* appellatur, quoniam
corpus Domini est cœlestis; & ipse Christus cœ-
lestis, 1. Cor. 15.*

*Et participes facti sunt Spiritus sancti] charis-
matum Spiritus sancti. huiusmodi charismatum in
Ecclesia primitiva multi fiebant participes, ut
vel linguis loquerentur vel interpretarentur, vel
prophetarent, &c.*

VERS. 5.
Verba
bona qua-
dicatur.

*Gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum] qui
doctrinam cœlestia bona promittentem cum sua-
uitate & gaudio percepérunt. Dicitur enim *gu-
stari verbum Dei*, inquit S. Thomas, quando non
solum illuminat intellectum, verū etiam reficit
affectionem.*

*Virtutēsque seculi venturi] Virtutes, id est po-
tentias significare videtur immortalitatem & glo-
riam*

fiam electis promissam in regno Christi , &c.
Quæ vocantur *virtutes*, quia Dei virtus & poten-
tia per ea mirificè declaratur. *Gustasse* dicuntur
has *virtutes*, qui eas fide, amore, & magno deside-
rio percepérunt. Illum prægustum futuræ vitæ
habebat S. August. vti ipse affectuosè narrat lib.9.
Confess. cap.10.

Et prolapsi sunt] scilicet, post hæc omnia,
post tanta dona , lumina , suavitates & dul-
cedines , in apostasiam , aliave peccata prolapsi
sunt.

VERS. 6.

*Rursus renouari ad paenitentiam] id est, per pœ-
nitentiam. ita Chrysost. Ambros. Hieron. August.
Hi censem Apostolum loqui de pœnitentia ba-
ptismi , seu quæ præit baptismum , tantumque
damnare hoc loco iterationem baptismi. Huc
spectant quæ tradit Synodus Tridentina less. i 4.
cap. 2. doctrinæ, de differ. Sacram. bapt. & pœnit.
Qui locum præsentem restringunt ad apostatas,
aut ad eos qui peccauerunt in Spitem sanctum;
generaliter accipiunt pœnitentiam , & hanc vo-
lunt esse Apostoli mentem : Impossibile est, ut ta-
les ad veram adducantur pœnitentiam ; Deo vi-
delicet , aut nunquam, aut quam rarissime iis, qui
in talia peccata lapsi fuerint , salutarem pœnitен-
tiam inspirante.*

Impoffi-
bile sit
morali-
ter acci-
pitur, pro
eo quod
valde est
difficile,
& raro
aut nun-
quam fit.

*Rursum crucifigentes sibi meti ipsi filium Dei] q.d.
Prolapsi sunt, quia rursum crucifigunt Christum.
omnis qui in pristina peccata , ac præsertim qui
à fide in judaismum & hæresin aut infidelita-
tem relabitur ; iterum quasi crucifigit Chri-
stum , &c.*

*Et ostentui habentes] id est , paragigma siue
exemplum statuentes, quod ab hominibus videa-*

*Apostata
contem-
pros &
irrifico-
res
Christi
& Chri-
stianis-
mi.*

VERS. 7.

tur & rideatur; hoc est, infamantes, irrisioni & lu-
dibrio exponentes. vnde Syrus habet, Contem-
nunt, despiciunt, contumelia & ignominia affi-
ciunt. qui enim apostatat & in peccata relabitur,
hoc ipso contemnit, vilipendit & ridet Christum,
Christique crucem & redemptionem.

Terra enim sepe venientem super se bibens imbre,
& generans herbam opportunam (id est, vtilem &
accommodam) illis, à quibus colitur, accipit bene-
ditionem à Deo] Benedictionem vocat continuam
fertilitatem. Hac terræ similitudine significat
Apostolus homines, qui imbre gratia diuinæ
excipiunt, eique cooperantes fructus bonorum
operum producunt, à Deo benedici, id est, maiori
gratiæ & consolationis cœlestis influxu, virtutum
& meritorum copia cumulari.

VERS. 8.

Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, &
maledicto proxima, cuius consummatio in combustio-
nen] Spinæ, tanquam abortum, cùm per se ge-
nerare deberet herbam vtilem. reproba, id est, reij-
cienda & inculta relinquenda, vt fiat horridum
vepricetum. maledicto proxima, vt, nisi meliora
ferat germina, maledictioni, id est, sterilitati &
squalori perpetuo subiaceat.

VERS. 9.

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora &
viciniora saluti : tame si ita loquimur] id est, per-
suasimus nobis, vos scilicet non esse instar terræ,
quæ germinat spinas & tribulos, &c.

VER. 10.

Non enim iniustus Deus, vt obliniscatur operis
vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine
ipsius, qui ministrasti sanctis, & ministratis] quam
dilectionem ipso opere exhibuistis propter no-
men Dei, id est, propter Deum, quem sincerè
colitis & amatis.

Cupim

Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletione spei usque in finem] Ostentare, idem ostendere studium. Spem enim vult esse perseverantem usque ad mortem: crescente enim sancta vita, crescit & spes; & quantum illa, tantum & haec perficitur & consummatur.

Ut non segnes efficiamini] Nam qui praetorpo
& ignavia cessant a bonis operibus, expertes erunt hereditatis promissio.

Verum imitatores eorum qui fide & patientia hereditabunt promissiones] fide scilicet, qua credunt, si Deo fideles sint, se ab eo bona æterna accepturos: haec enim fides est quæ spem excitat & sustentat ad quævis ardua suscipienda & perfrenda.

Abrahæ namque promittens Deus] Abraham patrem vestrum vobis imitandum propono: ut, sicut ipse fide & patientia promissionem sibi a Deo factam & iuratam tandem consecutus est, ita & vos eandem longa fide, spe & patientia consequamini. Promissio enim Abrahæ facta, vobis quoque, omnibusque fidelibus facta est.

Quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum] Ostendit promissionem Dei esse certam & firmam, nec quemquam de ea posse dubitare, quia Deus eam iuramento confirmauit, iurans per semetipsum.

Dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te] q. d. Nisi te benedicens benedixero, id est, nisi beneficiis meis cumulatè tibi benefecero, usque abunde te cumulauero. Hoc enim significat illa geminatio, Benedicens benedicam. Iam vero cu benedicere Deo attributum

*Iuramen
tum Det
quodnam
fir.* sit idem quod benefacere; consequitur hunc esse sensum iuramenti, Per me ipsum iuro, me cumulaturum te beneficiis, & numerosam posteritatem daturum. supple & subaudi; Non habear Deus verax, fidelis. iurat enim hic Deus, vt ait Apostolus, per se metipsum, sequi quasi deuouet. idcirco promissionem hanc non de solis beneficiis terrenis ac posteritate carnali debemus accipere; sed etiam ac præcipue de beneficiis à Deo per Christum præparatis atque exhibitis.

VERS. 15. *Et sic longanimiter ferens (expectans) adeptus est repromotionem]* id est, posteaquam patienter expectasset, consecutus est rem promissam.

VERS. 16. *Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis contiouersia eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.*

VERS. 17. *In quo (in qua re, scilicet promissione sua: vel in quo, id est, propter quod) abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus (filii Abrahæ, putat fidelibus) immobilitatem (firmitatem & immutabilitatem) consilij sui, promissionis suæ, interposuit iurandum.*

VERS. 18. *Vt per duas res immobiles]* per promissionem & ius iurandum, inquit Theophyl.

Quibus impossibile est mentiri Deum] Sensus est, Deum nec simplici promissione, nec iuramento mentiri aut fallere posse, cùm sit ipsa veritas.

*Spes no
stra con-
firmatur.* *Fortissimum solarium habeamus]* id est, validam consolationem, vel validam exhortationē habeamus, scilicet ut respicientes in promissa Dei tanta tamque certa, in persecutionibus & tribulationibus animo non frangamur, sed tantorū bonorum spe excitati, alacres ad ~~res~~ duas accedamus.

Qui

Qui confugimus ad tenendam propositam spem]
qui ex quo Christi fidem sumus amplexi, relicto
fallacis saeculi amore, confugimus ad spem bo-
norum caelestium & aeternorum, quae nobis pro-
posita est, firmiter ac mordicus retinendam.

*Quam (spem) sicut anchoram habemus anima- VER. 19:
tutam ac firmam] spes verò in summo, scilicet in
caelo Deoque ipso defigitur.*

*Et incidentem usque ad interiora velaminis.] An-
chora animæ spes nostra non satis habet in vesti-
bulum peruenisse, id est, non est contenta bonis
terrenis & visibilibus ; sed penetrat usque ad ea,
quæ sunt intra velum, videlicet in ipsa Sancta
sanctorum, id est, Deum ipsum & caelestia bona
apprehendit, atque in iis figitur.*

*Ubi precursor pro nobis introiuit Iesus.] Signifi- VER. 20.
cat Christi ascensionem & introitum in regnum Christus
caeleste. Precursor noster ; quem scilicet ipsi mox precurs-
secuturi simus. Introiuit Iesus, idque non tam for.
pro se & sua gloria, quam pro nobis & nostra
gloria.*

*Secundum ordinem Melchisedec pontifex factus
in eternum] ut ibi quasi pontifex aeternus Patri
assistat, illique suam crucem & mortem repræ-
sentet, offerat, atque fidelibus suis omnem gra-
tiam, omniaque media, quibus in cælum
contendant, imperet. Quæ res quan-
tum ad spem nostram corrobor-
randam valeat, per se ma-
nifestum est.*

C A P V T VII.

S V M M A R I V M.

Docet Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, cuius sacerdotium abrogato Lewitico aeternum futurum sit : cum Christus semper viuat ad interpellandum pro populo, & necessitatem non habeat pro suis delictis offerendi.

VER. I.
Ierusalē,
vnde di-
cta.

Hic enim Melchisedec Rex Salem.] Irenaeus, Hippolytus, Pererius docent Salem hanc esse Ierusalem, vnde & Chaldaeus Genes. cap. 14. vertit: *Et Melchisedec Rex Ierusalem.* imò Ierusalem conditam esse à Melchisedec tradit Iosephus, à quo vocata est Salem: deinde ab aliis Iebus; ac denique ex Salem & Iebus, dicta est Ierusalem. Cōgruè enim in Ierusalem rex & sacerdos fuit Melchisedec, ut adumbraret Christum in eadem vrbe regnaturum à ligno, & sacrificatum seipsum in ara crucis pro redemptione totius mundi.

Sacerdos Dei summi:] id est, altissimi. citat verba Genes. 14. *Dei altissimi,* id est, Deo dicatus & consecratus: quod sacerdoti conuenit.

Qui obnianuit Abraham regesso à cæde regum, & benedixit ei.] Abraham r̄eueriens à cæde regum redibat ad conuallelm Mambre, vbi habitabat: inde autem non longè aberat à Ierusalem, ad quam licet paulò remotiorem ire voluit, tum ut gratias Deo

Deo ageret pro victoria adepta; idque Hierosolymæ, vbi colebatur verus Deus, cùm in reliqua Chanaan colerentur idola; um exigitus fama Melchisedec, qui erat rex & sacerdos Dei altissimi, illo tempore celeberrimus; Melchisedec autem audiens aduentare Abraham, ei benevolentia & honoris causa occurrit.

*Cui & decimas omrium (spoliorum quæ cæsis
quinque regibus ceperat) datus Abraham]* q. d.
Abraham licet esset sacerdos, & sæpè sacrificasset,
agnouit tamen Melchisedec esse sacerdotem &
pontificem suum: unde illi tanquam se superiori
& pontifici decimas dedit.

Primum quidem qui interpretatur rex iustitiae]
primum, inquit, Melchisedec ipso nomine magnè
cuiusdam rei figuram prætulit: idem enim valet
quod rex iustitiae, id est, rex iustus, vel iustissimus,
quod quām verè in Christum competit, in parte
sequenti exponens.

Deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis]
id est, rex pacificus. Christus est rex iustitiae, & rex
pacis, quia pacificator noster est, reconcilians nos
Deo & Angelis eius. Ephes. 2. Qui factus est no-
bis iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

Sine patre, sine matre, sine genealogia.] Iosephus, S. Dionys. Epiphan. Theodor. Melchi-
sedec aiunt fuisse aliquem ex regulis Chananeorum, scilicet regem Salem, siue Ierusalem; ex eis-
que fuisse oriundum: dicit tamen sine patre &
matre, non quasi iis caruerit, sed quia eius pater,
mater, & genealogia non describitur in Scriptu-
ris, & quia Genes. 14. repente eum inducit Scrip-
tura, non præmissa eius stirpe & genealogia,
nec nativitate aut morte eius indicata, imò nulla

Christus
rex iusti-
tie.

VER. 3.
Melchi-
sedec fuit
unus è
regulis
Chana-
neorum.

vspiam alibi, vel antè, vel pòst, eius facta mentio-
ne, idque non sine causa & mysterio. Ut hoc ip-
so significaret Christum, qui in terris, quà homo,
est sine patre, in cælis, quà Deus & Dei filius, sine
matre. ita Chrysostomus.

Neque initium dierum, neque finem vita habens]
scilicet in Scriptura. q. d. Scriptura non memi-
nit quando natus, quando mortuus sit Melchi-
sedec, vt adumbraret Christum, qui verè & real-
iter non habet initium nec finem dierum, sed
est æternus.

Affimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in
perpetuum] scilicet Melchisedec antitypus Chri-
sti : quia nimur in Scriptura nulla fit mentio
mortis, ac consequenter finis sacerdotij Melchi-
sedec, qui nullum legitur sacerdotij sui habuisse
successorem, vti Aaron habuit Eleazarum. ita
Theodor. Syrus vertit : *Sed in similitudinem Filij*
Dei permanet pontificatus eius in eternum. hoc ipso
similitudinem & typum gerit Christi, qui re ipsa
neque initium, neque finem dierum habet, sed
manet sacerdos in perpetuum. quia in Ecclesia
sua Christus per ministros suos, scilicet per sa-
cerdotes à se institutos, perpetuò offert, & offre-
ret in eternum usque ad finem mundi. Quate-
rectè Concil. Trident. ex hoc Apostoli loco pro-
bat Missam esse sacrificium. probat autem sic:
Sacerdotium Christi eius morte extinctum non
fuit, sed semper durat, vt hic dicit Apostolus : er-
go & sacrificium Christi semper durat & dura-
bit: at qui illud non potest esse sacrificium crucis,
quia hoc iam pridem transiit & desit; ergo hoc
sacrificium Christi semper durans est Euchari-
stie & Missæ ; nec enim aliud hic dari aut fangi
potest.

Christi
æterni-
tas.

Nota.

Proba-
tur ex
hoc loco
Missam
esse sa-
crificiū.

poteſt. Notandum eſt enim quod Christus in Missa ſit principalis offerens : tum quia Missæ ſacrificium iſtituit , tum quia in cœlo Patri ſuo noſtras Missas , quas celebraamus , actu & reiſla offert. Eſt enim mediator & aduocatus noſter , qui noſtram cauſam apud Deum agit , & pro no-
bis interpellat ; tum quia ſua omnipotentia in ſingulis Missis tranſubſtantiationem panis & vi-
ni, in corpus & ſanguinem ſuum, in qua conſiſtit
eſſentia ſacrificij noſtri, operatur & perficit.

Christus
in Missa
principa-
lis offe-
rens.

*Intuemini autem quanuſ ſit hic] id eſt, contem-
plamini, ſpeculamini , exponite mysteria quæ la-
tent in cortice historiæ & personæ Melchifedec.
q.d. Hic mecum expendite quanuſ ſit Melchife-
dec, videlicet in typo & ſignificatione, ut qui ipſi
etiam Abrahamo videatur prælatus. hoc enim eſt
quod ſequitur.*

VER. 4.

*Cui & decimas dedit de p̄cipuis Abraham pa-
triarcha.] Decimas ſacerdotiales dedit Abraham
Melchifedeco , tanquam ſacerdoti & pontifici.
Patriarcha, idem eſt quod princeps patrum , ſi-
ue à quo multi patres eum ſuis familiis deſcen-
dunt.*

Patriar-
cha no-
mē quid
ſit.

VERS. 5.

*Et quidem de filiis Leui ſacerdotiorum accipientes] hoc eſt, & iij quidem qui ex filiis Leui ſacerdotio funguntur. ita loquitur, quia non omnes Leuitæ ſacerdotes erant; ſed ex iis ſoli filii Aaron, eiūſque posteri: reliqui filii Leui ſiebant Leuitæ, ſer-
uiebantque ſacerdotibus, ut iam ſeruiunt diacono-
ni noſtri.*

*Mandatum habent decimas ſumere à populo ſe-
cundum legem , id eſt , à fratribus ſuis: quamquam &
ipſi (ſcilicet fratres) exierint de lumbis Abraha.] Probat eum qui dat decimas minorem eſſe illo,
qui*

qui eas accipit, scilicet Abraham esse minorem Melchisedeco, &c. Nota hebraismum; exire de lumbis alicuius, est idem, quod gigni ab eo. In lumbis enim est origo seminis, &c. In Scriptura iubemur lumbos restringere, id est, concupiscentiam edomare, ut docet S. Gregor.

VER. 6.

Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham] id est Melchisedec, cuius genus, & genealogia non attexitur Hebreis filii Abrahæ, id est, qui ex Hebreis non fuit oriundus, hic decimas sumpsit ab Abraham. ita Anselm. vtpote cui Abraham, in cuius lumbis continebatur Aaron, decimas tanquam pontifici se digniori dederit. ergo Melchisedec maior est Abrahamo. Quod Abrahão ita honorarit Melchisedec, cique decimas dederit, causa fuit quod Melchisedec typus esset Christi. mouit ergo Spiritus sanctus Abrahamum ad honorandum Melchisedec, ut Iudæi Abrahæ posteri scirent sibi præ Aarone honorandum esse Christum, cuius typum fuisse Melchisedec, sciebant ex Dauide, Psalm. 109. vbi ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Videtur autem Abraham id ipsum cognouisse, quod spiritu propheticō præuideret, illum esse typum Christi, ut non tam Melchisedec, quam Christum in Melchisedec repræsentatum honorare & colere voluisse videatur.

Et hunc qui habebat re promissiones, benedixit] q. d. Melchisedec benedixit Abrahamum, quasi se minorem, cui tamen Deus promiserat tanta bona, adeoque in ipso benedicendas esse omnes gentes, Genof. 12.

Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore

Melchi-
sedec ma-
ior Abra-
hamo.

meliore (id est , maiore , digniore , præstantiore)
benedicitur.

Et hic quidem , decimas morientes homines accipiunt : ibi autem contestatur , quia viuit .] Contestatur Scriptura . Sensus est : Ibi vero , id est , in historia Genesis , decimas accepit is , cui testimonium perhibet Scriptura , quod vivat , quatenus scilicet introducitur vivens , nulla de morte eius , aut successore , facta usquam mentione , &c .

Et , ut ita dictum sit (id est , ut ita loquar) per Abraham , & Leni (Leuiticus quilibet sacerdos) qui decimas accepit (accipere solitus est in veteri testamento) decimatus est] id est , decimas soluit .

Aduic enim in lumbis patris (Abraham) erat (Leui) quando obviauit ei (Abraham) Melchisedec] q. d. Abraham agnoscens Melchisedec esse se maiorem , & typum Christi , illi decimas dedit , & ab eo benedictionem accepit , ut profiteretur se , omnésque suos posteros , ac consequenter , & Leuitas , & sacerdotes Aaronicos ex se nascituros , minores , esse Melchisedec , Christoque subiectos : perinde enim Abraham se gessit cum Melchisedec , atque princeps , qui pro se & pro tota sua posteritate obedientiam regi præstat & offert , &c .

Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (popului enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec , alium surgere sacerdotem , & non secundum ordinem Aaron dici ?] Consummatio , id est perfectio . quasi dicas : Si vetus sacerdotium Aaronicum habebat vim perficiendi , id est , iustificandi homines , salvandi , & ad vitam æternam perducendi , qui est ultimus finis , & summa perfectio hominis , &c .

quid

VER. 8.

VER. 9.

VER. 10.
Leui de-
cimatus
antequā
natus.

VER. 11.

quid opus fuit surgere alium sacerdotem, scilicet Christum, cuius sacerdotium non est secundum ordinem Aaron, sed Melchisedec? cum enim Deus Christum promisit, Psalm. 109. dicens: Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedec, & iam re ipsa eundem exhibuit, ut succederet Aaronicis sacerdotibus; hoc ipso declarauit illis aliquid deesse, quod supplendum esset per Christum, scilicet illos non posse hominem perficere & sanctificare, sed hoc a Christo expectandum esse.

VER. 12. *Translato enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.]* D. Thomas, mutato, inquit, sacerdotio, necesse est & legem mutari, quia mutato fine, necesse est mutari & media; lex autem Moysis, vtpote diuina, ordinatur quasi medium ad regimen diuinum, tanquam ad finem suum; hoc autem regimen diuinum fit, & designatur per sacerdotium: ergo mutato sacerdotio ac regimine diuino, necesse est & legem mutari. hinc illud Ieremiæ 31. Feriam vobiscum pactum nouum.

VER. 13. *In quo (id est, de quo, vel ad quem) enim dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari presto fuit] id est, astitit, accessit, ministrauit, id est, sacerdotio functus est.*

VER. 14. *Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus noster]* scilicet: Iesus Christus. Hic docet Christum, non potuisse esse sacerdotem Leuiticum, ex eo quod ori indus esset ex Iuda.

In qua tribu nihil: de sacerdotibus Moyses locutus est.

VER. 15. *Et amplius adhuc, manifestum est]* scilicet legem transferendam atque mutandam esse.

Si secundum similitudinem Melchisedech exurgat
alius sacerdos.

Qui non secundum legem mandati carnalis factius est, sed secundum virtutem vite insolubilis] Mandum carnale, vocat legem Moysaicam, de carne circumcidenda, & lustranda, &c. Huic opponit mandatum, id est, legem Christi, quæ est secundum virtutem vite insolubilis, id est, quæ dat & tribuit vitam æternam, tum gratiæ, tum gloriæ.

Contestatur enim, subaudi. Deus, per Dauidem loquens ad Filium : Quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech] Si enim Christus est sacerdos in æternū, indissoluble habet sacerdotium. q. d. Christus est sacerdos excellentissimo quodam genere sacerdotij æterni, cuius singularis typus & similitudo fuit Melchisedech. hinc demonstratur euidenter Missam esse sacrificium : quia nullo alio loco declaravit Christus se esse sacerdotem secundum ordinem Melchise- dech (qualem eum fore prædictit & promisit Dauid, ps. 109.) nisi in cœna, in qua te obtulit sub specie panis & vini, nobisque eadem in Missa pari modo offerenda præcipit.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem] q.d. Vis scire causam abolitæ legis & sacerdotij, cur facta sit reprobatio præcedentis mandati, & abrogatio veteris legis? causa est legis illius infirmitas & inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, saluare & beare homines.

Nihil enim ad perfectum adduxit lex] Nihil, id est, nullum hominem ad perfectionem adduxit. perfectionem autem intellige veram iustitiam, quæ constituit hominem Deo gratum & acceptum

Ecc ad

ad vitam æternam.

VER. 19. *Introductio vero melioris spei (supple fit, vel facta est per Christum (per quam proximamus ad Deum)] loco præcedentis mandati, introducitur aliquid multò melius, nempe lex & sacerdotium Christi, spem nobis certissimam faciens appropinquandi ad Deum per veram iustitiam.*

VER. 20. *Et quantum est non sine iureiurando] factus est sacerdos. in tantum præstantior sacerdos, legislator & mediator est Iesus, quam fuerit Moses & Aaron.*

Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt] q. d. Aaroni & posteris, Deus dedit sacerdotium sine juramento, quasi rem minoris momenti & temporaneam, quam firmare iuramento Deus non est dignatus.

VER. 21. *Hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitabit eum: tu es sacerdos in eternum] Christus autem cum iureiurando, quasi res & negotium Christi pontificis, scilicet hominum reconciliatio & salus, magni esset momenti, &c.*

VER. 22. *In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus] Dicitur Iesus novi testamenti sponsor, seu fideiussor, id est, mediator. quia Christus, tanquam sacerdos, inter homines & Deum medius suo ipsis sanguine, quem fudit in ara crucis, fœdus hoc nouum sanxit & confirmauit.*

VER. 23. *Et alijs quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere] Demonstrat Christum præstare Aaronicis. Christus autem est immortalis: licet enim sit mortuus, mox tamē quasi viator resurrexit ad vitam gloriosam & immortalem.*

Hic

Hic (Christus) autem eo quod maneat in eternum, VER. 24
sempiternum (quod præterire, vel in alium succes-
siuè transire non potest) habet sacerdotium] q.d.
Christus non habet successorem, sicut habuit Aa-
ron, quia ipse semper viuit ut sacerdos & media-
tor noster usque in æternum. Sanctus Petrus au-
tem successit Christo, non ut par, sed ut vicarius &
minister.

Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per VER. 25
semetipsum ad Deum] Accedentes vocat fideles, qui
per fidem & obedientiam quam Christo præ-
stant, accedunt ad Deum Patrem, eiisque gratiam
& amicitiam.

Semper viuens ad interpellandum pro nobis] Est
enim sacerdos semper viuens, ut semper agat
sacerdotis officium, id est, semper pro nobis
apud Deum interpellat.

Talis enim decebat ut nobis esset pontifex] sci-
licet, qui semper viuens, semper interpellaret
pro nobis, ac proinde qui sanctus esset, in-
nocens, &c.

Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccato-
ribus hoc est, ab eorum moribus & vita lon-
gissime distans, ac nihil cum illis habens com-
mune.

Et excelsior cælis factus] hoc est, qui penetrauit
omnes cælos usque ad summum: qui secundum
naturam assumptam supremum in rebus ob-
tinet locum.

Qui non habet necessitatem quotidie, quemad- VER. 27
modum sacerdores (Leuitici) prius pro suis delictis
hostias offerre, deinde pro populi.

Hoc enim fecit semel seipsum offerendo] hoc enim
fecit semel, cum semetipsum obtulit. semel

seipsum in ara Crucis Deo Patri obtulit Christus,
semel pro peccatis mortuus est, semel tantum
vnaque oblatione, omnia omnium hominum pec-
cata expiauit.

Nota.

Missa autem sacrificium est, non redemptio-
rium & satisfactorium, sed applicatorium rede-
ptionis & satisfactionis Christi in cruce peractæ.
In Missa enim non nouum offerimus pro peccatis
premium, sed primænum crucis premium & ly-
trum nobis applicamus.

VER. 28.

Lex enim homines constituit sacerdotes [id est, pon-
tifices sacrorum & sacerdotum principes] *infir-*
mitatem habentes] id est, mortales, miseros, & pec-
catores, quique non valeant suis sacrificiis pecca-
ta expiare.

Sermo autem iurisurandi, qui post legem est, Fi-
lium in æternum perfectum] supple, constituit pon-
tificem. Nota. Sermo iurisurandi, est iuramentum
quo psal. 109. iurauit Dominus Christo: Tu es sa-
cerdos in æternum. Hoc iuramentum datum est
per Dauidem, post datam legem Moysi, & Aaro-
ni, ut significaretur vetus sacerdotium cessum
novo Christi, qui perficeret ea quæ veteri dee-
rant. *Perfectum*, id est, consummatum, idque in
æternum, &c. Opponit Apostolus has
Christi perfectiones & consum-
mationes infirmitati sa-
cerdotum ve-
terum.

GAP.

C A P V T V I I I .

S V M M A R I V M .

Ostendit Christum esse verum, non typicum pontificem, & noui testamenti mediatorem; reprobato & antiquato vetere, propter imperfectionem.

Capitulum autem super ea que dicuntur] q. d. VERS. 1.
Caput, summa & compendium eorum quæ dixi & dico de præstantia sacerdotij Christi, id est quod sequitur:

Talem habemus Pontificem, qui confedit in dextra sedis magnitudinis in celis.] Caput & summa dictorum est, inquit, quod talem, id est, tantæ dignitatis & excellentiæ pontificem habemus, qui sedeat ad dexteram solij maiestatis diuinæ in celo. Hæc enim longè sunt supra dignitatem pontificis Leuitici, ministrantis in tabernaculo.

Sanctorum minister, & tabernaculi veri] ut pontifex in celo, tanquam in sanctis locis & in tabernaculo ministret, id est, pontificis officium agat pro nobis apud Deum, videlicet interpellando, & humanitatem in qua passus est illi representando, &c. VERS. 2.

Quod fixit Dominus, & non homo] quod tabernaculum fixit ille, cui nomen est Dominus. Christus autem veri tabernaculi minister est, quod fixit manus Dei, id est, perpetuum atque immobile fecit. Quo simul innuitur, sacerdotium Christi

Eee 3 perpe

perpetuum & immobile permanere.

VERS. 3. *Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur] dona & sacrificia.*

Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat] Christus etsi in cælo regnans offert quotidie seipsum adhuc in terris, per ministros ac vicarios suos sacerdotes. Offert idem munus eucharisticum ab ortu solis usque ad occasum per vicarios suos sacerdotes. Christus in cælo offert sacrificia Missæ, quæ toto orbe quotidie celebrantur. in his enim primus & primarius sacerdos qui consecrat, offert, & transsubstantiationem peragit, est Christus.

VERS. 4. *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera] Ex hisce colligit Apostolus Christum non tantum in terra, sed & in cælo esse pontificem & Sanctorum ministrum, ut præcessit.*

VERS. 5. *Qui exemplari & umbra deseruiunt caelestium] Chrysost. & Theophyl. notant sacerdotium Leuiticum fuisse tantum obscuram & tenuem representationem sacerdotij nostri, nostrumque hic ab Apostolo vocari cælesti, quia cælestem habet hostiam, scilicet Christi corpus, ideoque Angelos habet præsentes.*

Sicut responsum est (id est, diuino oraculo dictum est) Moysi, cum consummaret tabernaculum] id est, consummaret vellet, vel cogitaret. Græcè, cum esset consummatus tabernaculum, id est, facturus.

Oide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte] quod tibi hisce quadraginta diebus, quibus mecum in Sina versatis, viua voce descripsi, & idea aliqua sensibili intuendum proposui.

Nunc autem melius sortitus est ministerium, quan- VERS. 6.
to & melioris testamenti mediator est, quod in melio-
ribus reprobationibus sanctum est] q.d. Christus me-
lius & præstantius accepit sacerdotium, quam
Leuitici & legales sacerdotes: præstantius, in-
quam, tanto, quanto nouum testamentum, cuius
Christus mediator est, antecellit veteri, maiora-
que bona suis promittit: vetus enim testamen-
tum terrena, nouum vero cælestia bona spondet,
promittit & præstat.

Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secun- VERS. 7.
di locus inquireretur] Quod subrogatur alteri de-
fectum habenti, melius esse oportet; atqui secun-
do testamento locus promittitur reiecto veteri
propter eius defectum (nisi enim aliquid ei dees-
set, secundi locus non quereretur) ergo hoc illo
melius est.

Vituperans enim eos] scilicet Iudeos. cum Iu- VERS. 8.
deos vituperat, legem eorum vituperat, quasi in-
firmam & imbecillum, quæ scilicet Iudeos sibi
obsequentes, bonos efficere non potuerit.

Dicit, Ecce dies venient, dicit Dominus: & con- Lere. 31.
summabo super domum Israel, & super domum Iuda
testamentum nouum] Consummabo, id est, percutiam
& feriam testamentum id est, fœdus nouum.

Non secundum testamentum quod feci patribus eo- VERS. 9.
rum] quasi dicat: Nouum hoc testamentum non
erit tale, quale fuit vetus cum patribus initum,
sed longè præstantius illo, quod pepigi cum
Moysi.

In die qua apprehendi manum eorum, ut educerem
illos de terra Ægypti] hoc est, quo tempore eos
velut apprehensa manu eduxi ex Ægypto, ubi
dura premebantur seruitute.

*Quoniam ipsi nō permanserunt in testamento meo,
& ego neglexi eos, dicit Dominus] & proinde eos ego
neglexi, contempti, reprobaui eos. Hac sententia
repellitur & vetus populus, & vetus lex, & ve-
tus testamentum, &c.*

VER. 10. *Quia hoc est testamentum quod disponam (pan-
gam & sanciam) domui Israël. q. d. Hoc autem est
testamentum & fœdus, scilicet nouum, quod pro
veteri inducam & statuam. post dies illos id est,
postquam neglexero & reieccero à me, meaque
Ecclesia Iudæos incredulos. hinc dicitur nou-
um; quia noua affert promissa, præcepta, Sa-
cramenta, nouam gratiam, nouam vitam, nouum
hominem.*

*Dicit Dominus, dando leges meas in mentem eo-
Testamē. rum, & in corde eorum superscribam eas] Dando, id
ti noui est, dabo. Nota. res quam nouo suo fœdere &
promis-
fio. testamento promisit nobis Deus, est Spiritus san-
ctus, siue lex gratiae & charitatis menti aspirata
& inscripta. Vnde S. Augustinus: Quæ, ait, sunt
Spiritus
sancius
est res no-
uo testa-
mēto pro-
missa. aliae leges à Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa
præsentia Spiritus sancti? contrà in fœdere veteri,
lex scripta in tabulis non erat res promissa,
sed conditio fœderis. Deus ergo iam legem &
consilia sua inscribit ipsi menti & intellectui
Christianorum; quando illi imprimunt fidem &
prudentiam agendorum, crebrásque illuminatio-
nes & illustrationes, quibus ostendit menti, quām
pulchra sit lex Christi, quām utilis, diuina, sua-
vis: quām turpe sit peccatum, quām facilis pœni-
tentia, quām iucunda sit vita pia & Christiana.*

Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum]
q. d. Ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus,
scilicet selectus, singularis & peculiariis. *Ero eis*
Deus,

Deus, id est, ero eis clementissimus pater, prouisor, protector, largitor gratiæ, gloriæ, beatitudinis & bonorum omnium; vice versa, ipsi erunt mihi populus, quia me agnoscent, credent, seruent, colent, obedient, purè ac sincerè me colendo, legésque meas obseruando. Alludit ad illud Exod. 19. Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & in regnum sacerdotale, & gens sancta.

VER. 11.

Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad maiorem eorum.] Loquitur tam Prophetæ quam Apostolus de cognitione & gratia, quam affert fidelibus nouum testamentum in hac vita. quasi dicat: Omnes per catechesin & baptismum effecti Christiani, tum in primitiva Ecclesia, tum deinceps habebunt unius veri Dei cognitionem, amorem, cultum & timorem, contemnentque omnino pristinā suā idolatriam: Deus enim ita interius sua gratia mentem illorum illuminabit, & cor voluntatēque accendet, ut sponte abiectis idolis, omnique superstitione, Deum verum agnoscant, colant, & ament. Cognosce Dominum, & cognitum cole, timē & redama. Nota. Quo quis magis cor suum purificat, Deoque per orationem coniungit, eo magis à Deo interius docetur.

*Gratia
& cogni-
tio quam
adferat
lex noua,
qualis?*

*Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccato-
rum eorum iam non memorabor] denique, ut nihil
desit ad gratiam, nihilque relinquatur impedimenti
ad vitam æternam; omnia eis peccata tām
priora quam posteriora condonabo.*

VER. 12.

*Dicendo autem nouum, veterauit prius. quod autem
antiquatur & senescit, prope interitum est] Ve-
terauit,*

VER. 13.

terauit, id est, antiquauit, antiquum & vetus esse declarauit. Hæc omnia ideò dicit Paulus, vt Hebræos à Moyse ad Christum abducatur, doceatque eos non mirari debere, quod Deus vetus testamentum à se datum abrogauerit (vt pote infirmum & insufficiens ad iustitiam & salutem) per nouum novi Messiae Saluatoris, cùm id promissum & prædictum sit ante tot sæcula à Ieremia.

C A P V T I X.

S V M M A R I V M.

Confert ritus sacerdotij veteris cum novo: ostendens vetus sanctificare non potuisse, ut mirum non sit eius sacrificia sapè fuisse iterata: Christum autem semel duntaxat oblatum deleuisse peccata.

VERS. 1.

Habuit quidem & prius iustificationes cultura, & Sanctum sæculare] Iustificationes cultura sunt mandata ad cultum Dei pertinentia: velut de sacrificiis eorumque ritibus. Iustificationes culturae, non veras, sed pro modo culturae carnalis, carnales. Per Sanctum hoc sæculare accipias totum vetus tabernaculum siue sanctuarium.

VERS. 2.

Tabernaculum enim factum est primum. q.d. Hoc Sanctum sæculare duas habuit partes, scilicet, Sanctum & Sanctum sanctorum. in quo) tabernaculo primo, id est, Sancto) erant candelabra, & mensa, & propositio panum, que dicitur Sancta] Erat autem candelabri locus in australi parte tabernaculi,

culi, & quidē ē regiōne mensæ in aquilonari par-
te collocatæ: panes hi erant duodecim, iuxta duo-
decim tribus Israël, ut quæque quasi suum panem
daret Deo.

Post velamentum autem secundum, tabernaculum, VERS. 3.
quod dicitur Sancta sanctorum] Secunda taberna-
culi pars dicebatur Sancta sanctorum, id est, san-
ctitas sanctitatum, id est, sanctissimum.

Aureum habens thuribulum, & arcā testamēti VERS. 4.
circumstetam ex omni parte auro] Dico cum Ori-
gene, Ribera & aliis, thuribulum hoc esse altare Altare
thymiamatis, nam hoc altare erat quasi magnum
quoddam thuribulum: erat enim concavum, so-
lūmque ignem continebat, quo aromata incéde-
rentur & adolerentur Domino, perinde ut sit in
thuribulo. Nota, hoc altare fuisse compactum ex
lignis setim, quæ imputribilia & incorruptibilia
sunt; dici tamen aureum, quia auro vndeque
erat vestitum & obiectum. Dicitur arca testamen- Arca &
ii, siue fœderis, quia continebat tabulas legis, quæ propitia-
erat conditio fœderis inter Deum & Hebreos: torij de-
hinc dicitur quoque arca testimonij, id est, legis, scriptio.
quæ testis est voluntatis diuinæ, siue quid Deus
velit à nobis fieri.

In qua urna aurea habens manna, & virga Aa-
ron quæ fronduerat. Fuit autem hæc virga eadem
cū virga Moyſi, Nu. 20. cōmuniter enim ad eden-
da signa & prodigia, Moyſes & Aarō hac virga pro-
instrumento vtebantur; Deo videlicet per eū ope-
rante: propter quod & virga Dei dicta est, Exod.
4. & 17. iam ex eo quod Scriptura refert flores
eius, dilatatis foliis, in amygdalas fuisse deforma-
tos; bene colligunt interpretes amygdalinum ba-
culum fuisse. & tabule testamenti] id est, legis.

Supérque

VERS. 5. *Supérque eam (arcam) erant Cherubim gloria obumbrantia propitiatoriorum] id est, Cherubim gloriosa. quod multum maiestatis ac venerationis adferrent illi loco, in quo Deus suam quodammodo præsentiam exhibebat. Dicuntur Cherubim à multitudine roboris gloriae, scientiae & sapientiae: uti docet S. Dionys. cap. 7. cælest. hierar.*

Arca testamenti erat ex lignis setim, auro obtectis: propitiatoriorum vero erat ipsum arcæ operculum, altè super arcam eleuatum, factum non ex lignis setim, sed ex solido auro. Porro propitiatoriorum erat tabula aurea, paris longitudinis & latitudinis cum arca testamenti, quam totam operiebat.

Propitiatorium. rat tabu- tegens: Dicitum est propitiatorium, ex eo quod Deus exoratus inibi se placatum & propitium exhibebat, rursum Cherubim hialis expansis obumbabant, id est, velabant propitiatorium.

VERS. 6. *His vero ita composuis, id est, his ita paratis, fabricatis & ordinatis, in priori quidem tabernaculo semper (id est, quotidie) introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes] id est, cæremonias, culturas & ritus sacros, in Sancto peragi solitos, &c.*

VERS. 7. *In secundo (tabernaculo scilicet, pura in Sancto sanctorum) autem semel in anno solus pontifex (introit) non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia] id est, quem offerret. S. Thomas, Anselm. & alij, per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum.*

VERS. 8. *Hoc significant Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum] ut per hoc significaret Spiritus sanctus, nondum patefactam esse viam & aditum in cælum, quod representabatur per Iudaica San-*

cta san-

Etiam sanctorum , illamque patefaciendam esse per Christum. Vnde Christo in cruce moriente , velum templi scissum est, Matth. 27. quare indicabatur, cælum antea nobis velatum, clausum & imperium, per mortem Christi pandi & aperiri. ita Chrysost. Theophyl.

Quæ parabola est temporis instantis? Chrysost. & Vers. 9.
Syrus per tempus instans intelligunt tempus præfens, non Ecclesiæ & Christo, sed tabernaculo & Moysi. Sic 1. Cor. 7. instantem necessitatem, vocavit Apostolus præsentem necessitatem. q.d. Fabrica illa & dispositio veteris tabernaculi primi, id est, Sancti , atque sacerdotum in illud ingressus, ministerium & occupatio, erant *parabola*, id est, typus & repræsentatio eorum, quæ toto tempore legis veteris, futura erant, &c.

Iuxta quam munera & hostia offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus? Sensus est: Quæ sacrificia non poterant coram Deo, qui conscientiam intuetur, iustificare ministrantem, hoc est, non poterant veram conferre iustitiam.

Et variis baptismatibus & iustitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis? id est, imposta. cibi & potus legales, ac reliquæ iustitiae carnis fuerunt impositæ usque ad tempus correctionis, id est, usque ad tempus aduentus Christi, qui vetera correcturus erat, nouis ac melioribus institutis.

Christus autem assistens pontifice futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis? sed per proprium corpus. Docet Christum nos sanctificasse, & in cælum introisse, per oblationem sui corpo

corporis; opponens illud hostiis veteris testamenti. Dicitur autem per corpus suum illuc introiisse, quia per passionem & oblationem sui corporis ingressum sibi parauit in gloriam cælestem; iuxta ea quæ dicta sunt cap. 2. de Iesu propter passionem mortis gloria & honore coronato.

VER. 12. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, eterna redemptione inuenta] id est, veram & solidam, sempérque mansuram gloriam. Nota inuenta. hæc enim vox significat hanc fuisse exspectatam nobis, & à Christo magno studio, dolore & labore partam, quasi gemmam in fundo maris perditam, quæ sitam & inuentam.*

VER. 13. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitula aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis] quæ proinde carnalis & externa tantum erat purificatio, &c.*

VER. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum Deo viuenti? Per Spiritum sanctum, id est, Spiritu sancto eum mouente & incitante, ad se sponte sua offerendum Patri, pro peccatis nostris. Cum dicitur Spiritus, ille est, cui vii Christi conceptio, ita & oblatio ac redemptio, omnisque sanctificatio nostra, tanquam primo omnis gratiae & sanctitatis fonti tribuenda est. Opera mortua vocat peccata. quia nimur finis & stipendium illorum mors est. Conscientiam, id est, animam, seu mentem ab operibus mortuis expurgat sanguis Christi, ut seruamus Deo viuenti. Emundabit animas nostras à peccatis mortiferis, ut Deo viuo in vera sanctitate & iustitia seruamus.*

Et ideo noui testamenti mediator est, ut morte intercedentie, ut morte facta, scilicet ipsius Christi, hoc est, ut cum prius mortuus fuerit. in redemptionem eorum praeuaricationum quae erat sub priori testamento] Ait mortem Christi factam, id est, Christum mortuum esse, ut sua morte redimeret praeuaricationes, transgressiones, sub priori testamento perpetratas; id est, ut nos ab illis redimeret, soluendo penas pro huiusmodi transgressiobibus debitas, &c.

Repromissionē accipiunt, qui vocati sunt aeternae hereditatis] Hic est finis mortis, redemptionis & mediationis Christi totiusque noui testamenti, à Christo instituti, ut scilicet adipiscamur aeternam hereditatem per Christum promissam. Nota vocatos vocat tam eos qui sub veteri erant, quam qui sub novo sunt testamento.

Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.] Ergo necesse fuit Christum mori, ut morte sua sanciret & confirmaret nouum hoc suum testamentum. ut idem ipse etiam testator sit, id est, testamenti auctor, & hereditatis promissor, iuxta quod loquitur ad discipulos, Luc. 22. Ego disponio vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.

VER. 16.
Testamē
tū morte
confirmā.
dum.

Testamentum enim in mortuis confirmatum est] vt intelligi possit mortem testatoris causam esse firmatis testamenti, idque ratum efficere.

Alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est] nondum valet, id est, robur ac firmitatem non habet, ius nullum tribuit. Nam celestem hereditatem cuique dari ante mortem & glorificationem Christi, nequaquam fuit conueniens.

Vnde nec primum quidem sine sanguine (victi- VER. 18
marum,

marum, Exod. 24.) dedicatum est] ut primum, id est vetus testamentum significaret secundum, id est, nouum testamentum, quod scilicet morte testatoris Christi confirmatum est.

VER. 19. *Le^{to} enim omni mandato legis à Moyse uniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoq^z, librum & omnem populum aspersit.*

VER. 20. *Dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.] Hyssopus verò typus erat charitatis & gratiae Christi.*

VER. 21. *Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiiter aspersit.*

VER. 22. *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non sit remissio.*

VER. 23. *Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis] Per cælestia intellige Ecclesiam, id est, fideles & filios Christi, ex quibus Ecclesia, id est, fidelium congregatio, coalescit & consurgit. Ipsi cælestia, id est, tota Ecclesia tam triumphantem quam militantem complectens, mundantur, id est, munditiam ac sanctitatem suam omnem continuò accipit ab hostia meliore, quæ est Christus in cruce oblatus.*

VER. 24. *Non enim in manufacta Sancta Iesu introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum calum, ut appareret nunc vultus Dei pro nobis] id est, ut apud Deum pro nobis interpellet, quasi pontifex, ut gratiam, virtutes, gloriam, omniaque bona cælestia nobis impetraret, ut semper reseruatæ in corpore Christi plagæ, salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant.*
Christus cur vulnera reseruauit.

VER. 25. *Neque ut sape offerat semetipsum, quemadmodum pontifex*

pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno] scilicet hircorum & vitulorum, quos immolauerat, non semel, sed singulis annis. Christus vero semel tantum se offerens, peccata omnia aboleuit, tum præteriorum, tum futurorum sæculorum, nobisque omnibus æternam redemptionem inuenit.

Alioquin oporiebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit] Vult Christum apparuisse ad destitutionem peccati, id est, ut peccatum per hostiam qua seipsum pro nobis obtulit, aboleret. Est sensus: Christus non est ingressus in cælum, ut saepius offerat seipsum; nihil enim opus erat: ut qui semel, idque tempore consummationis sæculorum, apparuit, ac manifestatus est mundo per hostiam suam: tunc scilicet, quando palam obtulit semetipsum in cruce. sic, inquam, apparuit, ut illa sua oblatione peccatum semel ac protersus aboleuerit atque contruerit.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium] supple superest. q. d. Posteaquam semel mortui resurrexerint, non iterum morientur; sed iudicium tunc in eos exercebitur de factis viræ prioris.

Sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata] vel ad tollenda peccata. oblatus ut auferret, destitueret ac destrueret peccata. Dicendum potius, Christum oblatum fuisse, ut peccata multorum portaret, id est, pœnam peccatis eorum debitam in se reciperet, & per hoc ea toleraret atque deleret. Multorum, id est, omnium hominum, qui multi sunt, inquit, Theophil. Ex hoc

Fff Apostoli

Christus
oblatus
est ve
multorū
peccata
portares.

Apostoli loco Concilium Valentinum docet c.4. Christum non fudisse sanguinem pro omnibus omnino hominibus , sed tantum pro iis qui credunt : damnataque erroris eos qui secus sentiunt.

Secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem] Quod ait, *sine peccato*, non est sensus, Non habens peccatum; nam & in primo aduentu peccatum non habuit: sed *non portans peccatum*. Primo enim aduentu, quando se obtulit in cruce, portauit ac sustulit in se multorum peccata: at in secundo aduentu nihil tale. Quoniam autem sine peccato apparebit ; ideo & sine morte , nimis immortalis iam & gloriosus. cum iterum veniet, apparebit in salutem id est, palam conspicietur adferens salutem iis qui patienter ac perseveranter inter huius vitae persecutions & aduersitates cum expectauerint.

CAPVT X.

SUMMARIUM.

Declarata legis & sacrificiorum eius imperfectione, docet Christum una oblatione consummasset sanctificatos. Hortatur ut spem firmam retineant, collectionem non deferant: cum voluntarie peccantibus non relinquatur pro peccatis hostia , sed terribile iudicium Dei. Deinde ad patientiam cohortatur.

VERS. I.

V Mbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum] Vox enim, probat & dat

& dat causam, cur lex legisque sacrificia non potuerint peccata expiate, & homines sanctificare. ergo salus est à Christo, expectanda, non ex lege. nam *lex*, inquit, *umbra* habens, &c. perfectos facere non potest. legem utique intelligens cæremonialem, præsertim quod ad sacrificia. Umbra autem non est res ipsa, sed tantum umbra rei.

Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt inde tenerent, nunquam potest accedentes perfectos facere.] id est, perfectè expiatos, & à peccatis purgatos, iustos & sanctos efficere suis hostiis non potest lex.

Alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam hab- VERS. 2.
berent ultra conscientiam peccati, cultores semel
mundari.] Cultores vocat Iudeos, qui suis victimis, lustrationibus & cæremoniis colebant Deum.

Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singu- VERS. 3.
los annos fit] Ergo sacrificia hæc vetera tantum erant protestationes quædam, quibus protestabantur Iudei se aliud requirere sacrificium, puta Christi, per quod fieret peccatorum remissio, &c.

Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata] Sicut ergo de lege dixit, Roman. 8. impossibile fuisse ut iustificatio per eam impleretur in nobis: ita hic dicit de sacrificiis legis, impossibile esse, ut per ea auferantur peccata.

Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti] Christus ut peccata auferret, veniens & ingrediens mundum per suam incarnationem, dicit Deo Patri: *Hostiam, scilicet cruentam, hircorum & taurorum, atque oblationem, scilicet*

incriuentam similæ, vini, panis, olei, &c. noluisti,
ô Pater.

Corpus autem aptasti mihi] quod tibi in sacrificium pro peccato offeram.

VERS. 6. *Holocausta (& hostia) pro peccato non tibi placuerunt] non postulasti, nec placita sunt tibi, quasi ea per se tibi placerent, tæque peccatis hominum offensum placarent.*

VERS. 7. *Tunc dixi: Ecce venio] quia vidi legis sacrificia non tibi placere, nec illis placari te posse; ideo meipsum, assumpto corpore quod mihi aptasti, patratum obtuli ad faciendam tuam voluntatem.*

In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam] Deus meus, volui ut facerem, id est, volui facere voluntatem tuam.
Volumen libriquid sit. Quæres, in cuius libri capite hæc de Christo scripta sint? In capite seu volumine libri scriptum est de me, id est, totus index legis me respicit, tota lex me spectat, sùaque sacrificia & omnia quæ habet dirigit ad meum sacrificium, meāque redemptionem significandam & repræsentandam.
In libro, id est, in lege & prophetis, de eo scriptum est, ut Dei faceret voluntatem, illam præcipue qua Deus statuerat per Filij sui incarnationem & passionem electos suos sanctificare.

VERS. 8. *Superius dicens (scilicet David in persona Christi, psal. 39.) Quia hostias & oblationes & holocausta, & (victimas) pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, qua secundum legem offeruntur.*

VERS. 9. *Tunc dixi, Ecce venio, ut me tibi in cruce immolo. faciam voluntatem tuam, ô Pater. Ecce venio, id est, præstò sum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam] quibus verbis.*

Auferi primum, ut sequens statuat] q.d. Secundum

dum statui non potest, nisi sublatu priori.

*In qua voluntate sanctificari sumus per oblationem
corporis Iesu Christi semel.]* Nam credentes sanctifi-
ficari per oblationem Vnigeniti, in voluntate Pa-
tris sanctificati sumus. Intelligendum præbet,
hanc fuisse Dei voluntatem, ut Christus corpus
suum offerret pro nobis sanctificandis, id est iu-
stificandis.

*Et omnis quidem sacerdos (veteris legis) præsto
est quotidie ministrans, & easdem sape offerens ho-
stias, qua nunquam possunt auferre peccata]* Dicit
easdem, quia semper agnum offerebat bis quotidie.

*Hic autem unam pro peccatis offerens (id est post-
quam obtulit) hostiam, in sempiternum sedet in dex-
tera Dei]* q.d. Christo non est opus pluribus ho-
stiis. vna enim hostia omnia expiauit, cælumque
sibi & nobis reseravit, ut in eo iam gloriosus se-
deat à dextris Dei.

*De cætero expectans, donec ponantur inimici eius
scabellum pedum eius]* id est, donec omnes eius
aduersarios ipsi perfectè subiiciat, velut pedibus
calcando, ut vtrà nocere nequeant.

*Vna enim oblatione, consummavit in eternum
sanctificatos]* Consummare eos qui sanctifican-
tur, est, ad perfectum adducere omnes quo-
quot sanctificandi sunt. id Christus præstitit
vna oblatione; quia ad omnium sanctificatio-
nem hæc vna sufficiebat. quasi dicat. Oblatio eius
semel facta vim habet infinitam, ut & semper san-
ctificare possit, & sanctitatem conferre semper
duraturam. hic intellige vnam oblationem prima-
riā & independentē, qua perficiatur omnis san-
ctificatio. Quæ autem in cœna facta fuit oblatio, *Missa sa-*
cificium dependebat ab ea quæ in cruce facta est, & non nisi

nisi per eam fuit acceptabilis : sicut & baptismus & alia Sacra menta , si qua per Christum fuerunt administrata.

VERS. 15 *Contestatur autem nos & Spiritus sanctus] id est, testimonium perhibet eius veritatis, scilicet veteris testamenti sacrificia non potuisse auferre peccata ; sed hoc beneficium seruari novo testamento, &c.*

VER. 16. *Postquam enim dixit] Græcè, prædixit.*

Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos , dicit Dominus] Quod hic interpres vertit testabor, & cap. 8. Disponam, in Græco idem est verbum, Testamento disponam.

Dando leges meas in cordibus eorum , & in mentibus eorum superscribam eas.

VERS. 17 *Et peccatorum & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius.*

VER. 18. *Vbi autem horum (peccatorum) est remissio, iam non est oblatio pro peccato] Oblatio, scilicet, qua satisfiat pro peccato, quaque lytrum peccatorum condignum persoluatur, pretiumque comparetur, &c. Non excludit hic Paulus oblationem Missæ, quæ æquè vt fides, baptismus, & pénitentia hoc oblationis in cruce peractæ lytrum & pretium nobis iterum & iterum applicat, dum iterum & iterum in peccata relabimur.*

VERS. 19 *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi] id est, per sanguinem Christi, non autem per sanguinem hincorum & vitulorum legis veteris. cùm igitur, fratres, data sit nobis fiducia & spes bona ingrediendi in Sancta per sanguinem Christi, &c. q.d. In ipso Christi introitu in Sancta sanctorum, id est, in cælum, habemus spem nos etiam in illud introituros.*

Quanta

Quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam] Christus ergo nobis initiaſſe dicitur viam nouam ad Sancta: quia per eam primus ingressus est, ut nos post eum ingrederemur. viam nouam, id est, nullius pede ha-
ctenus calcatam, & viuentem, id est, permanen-
tem, seu perpetuæ efficaciae, vigentem semper &
florentem, quæ ad vitam æternam ducit. Viuen-
tem, quia hæc via viuens & animata est caro Chri-
ſti, & Christus ipse, qui dicat: Ego sum via, veritas,
& vita. Caro Christi, rectè per velum significatur:
quia sicut velum operiebat arcana sanctuarij, &
tamen ingressum illuc præbebat: ita caro Christi
diuinitatem obtexit quodammodo. latebat enim
in homine Deus; & tamen per eam ad Deum
adducimur. quòd pertinet quòd in morte Christi
velum templi ſcissum est in duas partes, Matt. 27.
quia nimirum carne Christi per mortem conſciſ-
ſa, patere cœpit aditus in cælum.

Christi
caro per
velū si-
gnifica-
ta.

Et sacerdotem magnum super domum Dei] supple VERS. 21
habentes, cum habeamus sacerdotem magnum
præfatum domui Dei; hoc est Christum, quem Deus
constituit super totam Ecclesiam, quæ est Domus
eius. Intellige sacerdotem adhuc agentem
ea quæ sacerdotis sunt; id est, carnem suam in qua
passus est, adhuc offerentem Patri, & in ea pro no-
bis interpellantem; denique, qui apud Patrem
omnia possit, ut cui Pater omnia dederit in manus.
quæ domus, inquit, sumus nos, id est, fide-
lium multitudo. Vno nomine domus Dei videtur
comprehendere totum Christi regnum; quod
partim militat, partim triumphat.

Accedamus cum vero corde] cor verum, vocat cor
ſincerum, cor rectum. Sensus est: Accedamus

ad Deum vel tendamus ad Sancta purè & sincere, atque ex animo id agentes, quòd exteriùs profitemur.

In plenitudine fidei] id est, cum plena fide, cum fiducia fidei, id est, cum fiducia fidelis, siue quam parit recta, plena & certa fides. Sensus est: Cum plena certissimaque fide promissorum Dei. fidelis est enim qui promisit.

Aaspersi corda, id est, in cordibus & mentibus nostris lustrati sanguine Christi, eoque emundati à conscientia mala, id est, à peccatis quæ conscientiam malam & vitiosam efficiunt. quasi dicat. Puris cordibus accedamus ad Deum. & *ab initio corpus aqua munda*] id est, gratia Spiritus sancti. Non enim Apostolus his verbis hortatur ut baptizari se curent; sed ut accedant cum eamunditia, quam ex institutione Christi præstat baptismus corpori adhibitus. hoc vult Apostolus, prius esse ut animus mundetur ab effectu peccati, &c.

VERS. 23

Teneamus spem nostræ confessionem indeclinabilem] Sensus est: Retineamus quoque eam spem & fiduciā, quam professi sumus in baptismo; nec ab ea professione per diffidentiam declinemus. *indeclinabilem*, id est, firmam & inconcussam, quæ non vacillet.

Fidelis enim est qui repromisit] Spes nostra, qua speramus ac confidimus nos ingressuros in Sancta cælestia, nititur fide, qua credimus Deum esse fidem, id est, veracem & constantem in suis promissis; ut qui mentiri non potest. promisit autem introitum illum creditibus, sperantibus, bene operantibus, denique perseverantibus.

Et consideremus inuicem in prouocationem charita- VER. 24.
tis & bonorum operum] inuicem vos considere-
tis secundùm ea , quibus ad charitatem & bona
opera mutuò præstanta prouocemini.

Non deserentes collectionem nostram , sicut consue- VER. 25.
tudinis est quibusdam] quasi dicat: Non alienantes
vos à cætibus ad quos Christiani mutuò con-
ueniunt. Sic ut consuetudinis est quibusdam. Insinuat
Apostolus aliquos tepidiores & torpidiores à fi-
de & Ecclesia Christi metu ludæorum defecisse,
vt notat Theodoretus.

Et tanto magis , quanto videritis appropinquan-
tem diem.] Diem autem intelligit aduentus Do-
mini, seu futuræ retributionis: cuius certa exspe-
ctatione vult ut se mutuò consolentur.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam VER. 26.
notitiam veritatis , iam non relinquitur pro peccatis
hostia] q. d. Voluntariè peccantibus , peccato
scilicet apostasiæ , siue descendentibus voluntariè
à Christo & collectione nostra , id est Ecclesia:
non relinquitur, id est, ægrè & vix relinquitur, ho-
stia pro peccato , qua peccatum illud expietur.
tum quia tales apostatae planè indigni sunt , ve-
nia , tum quia sua certa malitia , & infidelitate
claudunt fontes diuinæ misericordiæ.

Terribilis autem quedam expectatio iudicij.] Ter- VER. 27.
ribilis, formidabilis, ad exspectationem pertinet,
pro eo quod diceret: Sed relinquitur exspectan-
dum terribile iudicium. ubi nomine iudicij, dam-
natio seu punitio videtur intelligenda.

Et ignis emulatio , quæ consumptura est aduersa-
rios.] Ignis zelus , & emulatio , vocat ignis vehe-
mentiam & impetum vlciscendi, &c.

Irritam quis faciens legem Moysi , sineulla mise- VER. 28.
ratione

ratione duobus vel tribus testibus moritur] id est, cùm quis legem contempserit, violauerit, & transgressus fuerit.

VER. 19

Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamentii pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiae contumeliam fecerit?] Spiritum gratiae vocat Spiritum sanctum gratiae auctorem. nam gratuita Dei dona in Scripturis appropriatè tribuuntur Spiritui sancto. Gratia potissimum hic intelligatur beneficium vocationis ad fidem Christianam.

VER. 30.

Scimus enim qui dixit] q. d. Vobis loquor Hebreis, qui in lege & Scripturis instituti, mecum nostis cum qui dixit. scitis hanc esse Dei vocem.

Mibi vindicta, & ego retribuam] q. d. Ut sciatis tales apostatas grauissimè puniendos, scitote & cogitate Deum esse terribilem, vt pote qui dixit, Deuter. 32. Mibi vindictam, scilicet reseruo.

Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum] & iterum, subaudi, Scimus scriptum esse,

VER. 31.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.] Viuens est Deus, quia immortalis & aeternus in perpetuum viuit & viget, vt nūquam ipsius oculos, memoriam, aut manus effugere possit. ita Theophil.

VER. 32.

Rememoramus autem priostinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuerunt passionum.] Illuminati, id est, baptizati. nam baptismus veteribus dicebatur Sacramentum illuminationis. Sensus, Recordamini priostini temporis, quando primùm facti Christiani dura & ardua pro Christi nomine certamina sustinuerunt, fortiter ferendo afflictiones a persecutoribus illatas.

Et

Et in altero quidem opprobiis & Tribulationibus VERS 33.
spectaculum facti] id est, publicè infamati, ab omnibus quasi in theatro irrisi estis.

In altero autem socij taliter conuersantium effecti] participes autem in eo quod aliis patientibus condolebant, & tam rebus quam verbis solatium adferebant.

Nam & vincitibus compassi estis] & doluit vobis VER. 34.
propter eos qui erant vinciti.

Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepisti] cùm scilicet bona vestra publico magistratus Iudaici edicto, eò quod Christiani essentis, fisco addicta sunt.

Cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam] id est, in cælis.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram.] VERS. 35.
quasi dicat. Magna spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abiicere & profundere per pusillanimitatem, impatienciam, &c.

Quæ magnam habet remunerationem.] Simul intelligi vult opera ex fiducia ac spe cælestium bonorum profecta, cuiusmodi erant opera patientiæ iam commemorata.

Patientia enim vobis necessaria est] patiens expectatio; cùm videlicet spe præmij fortiter mala sustinemus. VERS. 36.
Patientia ne-cessitas.

Ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem] id est, vt cùm feceritis & compleueritis usque ad finem voluntatem Dei, quæ est vt persevereritis & crescatis in fide, patientia & charitate Christi, tunc reportetis promissam vobis substantiam & opes in cælis. Volunta-tem Dei facere quid sit.

Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, VERS. 37.

est, veniet, & non tardabit] id est, post modicum tempus, breui, & citò veniet.

VER. 38. *Iustus autem meus ex fide viuit] iustus in fide sua viuet. est enim eadem fides & ipsius iusti, fide viuit.* qui credit assensu suo; & Dei, in quem credit, & quo donante habet ut credat. idem quoque est, *in fide, & ex fide.* Rectè etiam ex persona Dei dicitur, *iustus meus*, hoc est, per gratiam meam iustus factus. Apostolus hoc loco præcipue spectat illud officium fidei, quod est erigere, sustentare & solari hominē in mediis malis; ne in iis ferendis fatigetur ac deficiat, sed cum patientia duret usque in finē, donec apprehendat bona promissa.

Quod si substraxerit se, non placebit anima mea] non complacet anima mea in ipso, id est, non mihi placebit. Est igitur obseruanda latens antithesis inter eum qui credit & sustinet, & per hoc iustus est, Deoque placens; & eum qui non credit, ideoque subtrahit se, & per hoc iniustus est, ac Deo displicens.

VER. 39. *Nos autem non sumus subtractionis filij, in perditionem: sed fidei, in acquisitionem anime.]* Filii subtractionis, id est incredulitatis, sunt filii Belial, id est, sine iugo, qui à iugo fidei & obediētiae se subtrahunt & subducunt *In perditionem.* q.d. Si subtrahamus nos à fide Christi, imus in perditionē & gehennam. *Sed fidei, supple, filii sumus, id est fideles sumus, credentes & sperantes in Christum.* *In acquisitionem sive possessionem anime,* id est, salutem animarū nostrarum, ut scilicet anima nostra fiat possessio Christi, vtq; nos ipsi animā nostram in hac vita inchoatē per patientiam, sed in futura plenissimē, & felicissimē possideamus eam per gloriam in æterna beatitudine. ita Anselmus.

C A P V T X I .

S V M M A R I V M .

*Fidei vim & efficaciam declarat variis anti-
quorum exemplis , qui per fidem multa &
mira operati sunt , & sustinuerunt : repro-
missiones tamen sine nobis non sunt con-
secuti.*

Est autem fides sperandarum *substantia rerum*, VER. 1. *argumentum non apparentium*] id est, eorum quæ non videntur. Dicitur enim fides *argumen-*
Fides
quid sit. *tum* siue *convictio*, hoc est, ostensio ac demonstratio earum rerum quæ à nobis non videntur, id est, quas nec sensu percipimus, nec ratione comprehendimus. *Substantia*, idem est quod *sub-*
sistentia & existentia. q.d. Fides facit ut bona futura quæ nondum existunt certa habeamus, certoque futura credamus & speremus. Perinde ac si iam subsisterent, eaque coram nobis cernemus. Fides enim illa ipsa quasi *præsentia & cer-*
tissima oculis mentis subiicit, sicque per suam certitudinem quandam subsistentiam dat rebus speratis, & futuris in intellectu, & mente fi-
delium.

In hac enim testimonium consecuti sunt senes.] VERS. 2. *Senes* intelligit antiquos, id est, eos qui fuerunt antiquis temporibus: ut Abel, Henoch, Noë, Abraham, &c.

Fide intelligimus aptata esse sc̄cula verbo Dei] VER. 3. *id est,*

Mundus ex nihilo conditus. est, solo Dei imperio, quo voluit ut ita fieret. Hoc enim Scriptura nos docet, Gen. 1. *Fide intelligimus*, id est credimus, *secula esse aptata*, id est, mundum partibus inter se coaptatis factum esse atque constructum. *Secula*, id est, tempora, & omnia temporaria, puta mundum, & omnia quæ in mundo sunt.

Vt ex inuisibilibus visibilia fierent.] Sapiens dixit, Deum creasse orbem terrarum ex materia inuisiva, vel mundum ex materia informi. Sapiens. 11. materiam inuisam sive informem, vocans cælum & terram luce adhuc ornatissime carentem. Patet igitur quo sensu dicat Apostolus, *ex inuisibilibus visibilia facta esse ea quæ facta sunt*; nempe quia cælum & terra primùm tenebris horrida atque informia facta sunt; deinde lumine illustrata, rerumque formis adornata fuerunt. Videtur enim sub *inuisibili* comprehendere duo illa quæ Septuaginta expresserunt, inuisibile & incompositum.

VER. 4. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo*] plurimam, id est, plurem, ampliorem, præstantiorem, pluris & maioris pretij. q.d. Fides, quæ longè maior & ardentior erat in Abel, quam in Cain, excitauit Abelem, ut maiores & præstatores hostias Deo offerret quam Cain, &c.

Abel hostiam obtulit. *Per quam testimonium consecutus est esse iustus.*] Sensus est, Abel per fidem, ex qua meliorem obtulit hostiam Deo, meruit testimonium quod esset iustus.

Testimonium perhibente muneribus eius Deo.] Testimonium hoc habetur Gen. 4. vbi dicitur: Respxit Dominus ad Abel & ad munera eius, &c. & inflammauit Dominus super Abel, & super

super sacrificium eius: super Cain verò & sacrificium eius non inflamauit. Per ignem ergo à se missum, quo combussit Deus hostias Abelis, non Cain, ostendit Abelem ciùsque munera sibi placere, non Cain, ut tradunt Hebræi, Chrysost. Theoph. & alij.

Et per illam defunctus adhuc loquitur] quia fides fecit eum usque hodie viuere in hominum memoria cum laude iustitiae; tanquam si ipse loquatur & dicat, Imitamini me, mortales, ut & vos fide iustificati Deo placeatis, accepturi gloriam etiam in hoc saeculo.

Fide Henoch translatus est ne videret mortem.] VERS. 5.
Nota. Communis Patrum sententia est, Henoch & Eliam translatos esse in paradisum, ut tempore Antichristi redeant, & contra eum pro Christo decentent, &c.

Et non inueniebatur, quia translulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.] Probat Henoch merito fidei translatum fuisse, ne mortem videret. cum Deo ambulauit, Gen. 5. id est, Deo per omnia consensit. *Cum Deo ambulare, phrasí Scripturæ dicuntur, quorum vita concordat cum voluntate legisque diuina.*

Ambula-
re cum
Deo qui
dicatur.

Sine fide autem impossibile est placere Deo.] PRO- VER. 6.
bat Henoch translatum esse per vel propter fidem, hac ratione: Henoch translatus est quia placuit Deo: atqui non potuit placere Deo, nisi per fidem: ergo per fidem translatus est, id est, propter meritum fidei.

Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.] Si accedentem ad Deum, aliquid de Deo credere oportet: igitur nemo potest ei placere sine fide. Nullus enim

enim Deo placet , nisi ad eum accesserit : acceditur autem ad Deum ipsa fide, velut initio motus quo tenditur in Deum ut finem ac terminum. Cùm enim fides circa Deum résque diuinis versetur , hoc vtique est quod omnium primò credendum occurrit; esse Deum, & Deum remuneratorum, in eo quid suis cultoribus retribuit bona promissa vita æternæ, &c.

VER. 7.

Fide Noe , responso accepto de iis qua adhuc non videbantur, metuens.] Responso accepto, id est, diuina reuelatione admonitus, de iis qua non videbantur, de futuro orbis diluuio. metuens, id est, reueritus Deum: ipsius Dei timore ac reuerentia correptus fecit quod sequitur.

Aptauit arcam in salutem domus sua] fide aptauit, id est, inductus atque impulsus ea fide , qua credebat vera esse quæ Deus ipsi reuelauerat, arcam fabricauit , qua domum , id est , familiam suam ex octo animabus constantem, ab aquarum inundatione seruaret immunem. Genes. 6.

Per quam (arcam) damnauit (Noë) mundum] arcam fecit, qua familiam suam seruauit, & mundum condemnauit. q.d. Noë ipso facto & rerum euentu dñauit incredulitatis homines sui æui, qui nolebant credere futurum diluuium, & age-re pœnitentiam , idéoque fabricam arcæ eius irridebant, &c.

Et iustitia, quæ per fidem est , heres est institutus] consecutus est iustitiam quæ est per fidem, atque ex fide iustificatus fuit , scilicet ea ratione qua iustificatus legitur Abraham , dicente Scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, Genes. 15. Non enim prima, sed secunda iustificatio significatur , qua per egregium opus

opus fidei, iustitia vtriusque non solum declarata ac probata, verum etiam aucta coram Deo fuerit. Sensum hunc tradit Theophylactus.

*Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum (in VERS. 8.
terram Chanaan) exire, quem accepitur erat in hereditatem] Is qui vocatur Abraham, fide excitatus atque impulsus qua credebat Dei promissis, obediuit ei præcipienti ut exiret de terra sua, in eum locum quem Deus ei promiserat, & ipse accepturus erat in hereditatem, id est, possessionem perpetuam, non quidem ipsem, sed semen ipsius.*

*Et exiit, nesciens quo iret] quod venturus esset.
quod, id est, in quam determinatam regionem,
agrum vel vibem licet enim sciret se à Deo euocari in Chanaan, tamen nesciebat in quam partem Chanaan vocaretur. erat enim terra Chanaan admodum vasta, multaque in regiones & populos diuisa.*

*Fide demoratus est in terra repromotionis] id est, VERS. 9.
accola, siue aduena fuit aut factus est; habitauit ut peregrinus in terra quam Deus ipsi & semini eius promiserat.*

Tanguam in aliena] quia, ut sequitur, domum in ea ædificare noluit, nec agros in ea possedit, sed semper in casulis, id est tabernaculis & tentoriis, habitauit.

In casulis habitando] Peregrinantur est non in domibus habitare, sed tabernacula siue tentoria circumferre, in quibus interim commortentur.

Cum Isaac & Jacob coheredibus repromotionis eiusdem] cum Abraham: quoniam eadem promissio terræ Chanaan dandæ in possessionem,

Ggg etiam

etiam illis facta fuerat in eorum tamen semine complenda.

VERS. IO. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus] q.d. Abraham cum suis ciuiis erat non Chanaan, sed cæli, hinc in Chanaan domum habere noluit, sed in mobili semper habitauit tabernaculo, quia tendebat, & oculos iugiter coniiciebat in cælestem ciuitatem, quasi patriam suam, immobilem, firmam & æternam.*

VERS. II. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem semen accepit, etiam prater tempus astatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat] Notat Paulus duo impedimenta conceptionis in Sara, prius in natura, quod esset sterilis; posterius in ætate, quod iam esset planè senex & vetula. Vtrumque superauit fides, qua creditur Deo super naturam promittenti conceptionem & partum Isaac.*

VERS. 12. *Propter quod & ab uno orti sum (& hoc emortuo) tanquam sidera cæli, & sicut arena qua est ad oram maris innumerabilis] q.d. Propter hanc fidem factum est, ut Sara ex Abraham conciperet, & ex uno viro eoque emortuo orirentur proles & posteri innumerabiles. Mysticè per stellas cæli, spirituales aut electos Abrahæ filios intellige.*

VERS. 13. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti] id est, per fidem, cum fide, retinentes fidem, & fideles usque ad mortem defuncti sunt: quia sicut in fide vixerunt, ita & in fide mortui sunt. bona enim à Deo promissa non viderunt, dum viuerent, sed post mortem illa se accepturos crediderunt.*

Non acceptis recompensationibus] Qui promissiones hic intelligunt cælestes, iij, ni fallor, Apostoli mentem

tem præcurrunt, nam de iis paulò pôst oportunè loquitur.

Sed à longe eas aspicienes & salutantes] hi patres cùm per fidem obſcurè viderent, id est crederent, patriam cælestem, eam crebrò cum desiderio ſalutabant.

Et conſitentes quia peregrini & hospites ſunt ſuper terram] Cæterū omnes ſic peregrini fuere ſuper terram, ut nec animo eam quærerent; ſed ad cæleſtem patriam ſemper aspircerent. Ad hos & horum ſimiles reſpexiſſe videtur & ille, qui dixit: Aduena ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei, psal. 38.

Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere] Nullus enim eſt peregrinus, ait S. Thom. niſi qui eſt extra patriam, & ad eam tendit. VERS. 14

Et, ſi quidem ipſius meminiffent, de qua exiſtrunt, habebant utique tempus reuerendandi] Memorem eſſe, non nudam ſignificat recordationem, ſed eam qua cum amore ac desiderio rei coniuncta eſt. VERS. 15

Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cæleſtem] VER. 16. itaque ſatendum eſt eos meliorem appetere patriam, id eſt, non terrena, ſed cæleſtem.

Ideo non confanditur Deus vocari Dei eorum] Apostolus rationem indicat excellentem eorum fidem, qua meruerunt inter amicos & ciues atque domesticos Dei haberi præcipui.

Parauit enim illis ciuitatem] ſcilicet eam quam fide expectabant, id eſt, cæleſtem, cuius artifex & conditor Deus.

Fide obiulit Abraham Iſa. c. cum tentaretur] tan- ta fuit Abrahæ fides, ut ea ſuadente & impellen- te non dubitauerit Iſaac filium Deo victimam im- molare. q. d. Cūm Deus tentauit obedientiam VERS. 17
Gg 2

& pietatem Abrahæ , dicens , Genes. 22. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis , & vade , &c.

Et vnigenitum offerebat] quia solus ipse erat filius promissionis , vnicè dilectus , herésque Abrahæ designatus .

Qui suscepserat re promissiones] id est , cui promissiones à Deo factæ fuerant : intellige , complendæ in hoc ipso filio , quem iussus erat immolare .

VERS. 18 *Ad quem dictum est]* ad quem , scilicet Abraham , dictum est à Domino .

Quia in Isaac vocabitur tibi seruenus] id est , ex Isaac , non autem ex Ismaël excitabitur tibi posteritas , quæ censenda & vocanda sit posteritas tua , ut scilicet sit heres promissionum mearum , quas tibi & semini tuo pollicitus sum .

VERS. 19 *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus]* Arbitrans , id est , secum reputans . quod propriè refertur ad modum implendæ promissionis ; non ad potentiam Dei . Cùm enim certissimè sciret Deum posse etiam mortuos suscitare , ita cogitabat apud se : Poterit Deus , si velit , filium meum extinctum reuocare ad vitam idque omnino facturum credo , si non sit alius modus quo suam impleat promissionem . & cum hoc animo & hac fide se se accinxit ad filium sacrificandum .

Abrahæ fides com mēdatur Quæ fides eo laudabilior , quod eo sæculo nullum adhuc auditum esset exemplum hominis à morte resuscitati .

Vnde cum & in parabolam accepit] siue recepit , recuperauit . In parabolam , id est , in figuram Christi , inquit Chrysost. id est , cum significatione magni mysterij , nimirum resurrectionis Christi . nam

Isaac

Isaac non tantum fuit figura Christi immolati, verum etiam à morte ad vitam reuocati.

Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob, & Esau] VERS. 20.
Ab Abraham transit ad Isaac, qui ex Dei reuelatione præuidens futura bona filiis suis Jacob & Esau obuentura, eadem illis moriens imprecatus est: itaque per fidem eis benedixit.

Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit] qui duo erant, Manasses & Ephraim. Jacob moriens, id est, ægrotus ac morti vicinus, benedixit duobus filiis Ioseph filij sui, manus commutans, & minorem maiori præponens, utriusque magna bona promittens, quorum nihil adhuc apparabat; fides effecit, qua illustratus certò credebat ea ventura. Fide præuidebat Jacob futurum, ut ex Ephraim omnes reges Israëlis, id est decem tribuum, nascerentur.

Et adorauit (Jacob) fastigium virgæ eius] scilicet Iosephi filij sui dominantis in Ægypto. Hieron. sic ait: Et adorauit Israël ad caput lectuli; quod scilicet, postquam ei iurauerat filius, securus de petitione quam rogauerat, adoraret Deum contra caput lecti sui, &c. Vtrumque verum esse potest; Jacob adorasse versus caput lectuli & adorasse fastigium virgæ Ioseph stantis ad lectuli caput, non enim pugnant hæc duo. Annotant qui in Genesim scribunt, Ioseph à rege proximum, virginem seu sceptrum, videlicet potestatis insigne, gestasse. Huius ergo summitatem adorauit Jacob, id est, ad eam incuruauit se, potestatem honorans in filio. Dicunt Jacob in Ioseph filio suo Christum significatum prospexisse, & in virga Ioseph, regia Christi potestatē agnouisse; denique eius virgæ fastigiū seu caput adorasse, quia caput Christi Deus, 1. Cor. 11.

Jacob adorauit
summum
tē. Virga
Ioseph,
& curi

VER. 22. *Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit] q. d. Per fidem Ioseph moriturus reuocauit in memoriam exitum & liberationem Hebræorum fratrum & filiorum suorum ex Ægypto, eorumque introductionem in terram Chanaan, ad eam possiden-dam.*

VER. 23. *Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum] Viderunt illi elegantiam, plus quam naturalē à Deo inditam esse. Per hanc elegantiam Moysis, non tam hum-anam, quam diuinam, in fide sua confirmati sunt parentes, & animati ad eum occultandum, nec dubitarunt hac ratione eum ab aquis Deo tu-tore incolumente eusurum, ut & factum est. ita Chrysostomus.*

VER. 24 *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filia Pharaonis] id est, renuit vocari filius filiae Pharaonis. Fides effecit ut Moyses vir factus adoptio-nem filiae Pharaonis ac regiam cognitionem con-temneret, mallēque palam vocari Hebræus, & hominis Hebræi filius, quam filius reginæ aut filie regis.*

VER. 25 *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam tem-poralis peccati habere iucunditatem] id est temporalem, siue modici temporis fruitionem. q. d. Maluit Moyses cum Hebræis affligi, quam vivere in deli-citis regis impij Pharaonis.*

VER. 26 *Maiores diuitias estimans thesanro Ægyptiorum improprium Christi] id est, opibus Ægyptiis, quibus abundare & cum quiete frui poterat, im-properium Christi prætulit, tanquam maiores diuitias.*

Aspicebat enim in remunerationem] æternæ gloriæ in cælis : fidei suæ oculos attollebat ad bona cælestia, quæ Deus cultoribus suis pro mercede ac præmio piorum laborum se redditurum promisit. Docet Apostolus, Moysen afflictiones & opprobria ferentem in remunerationem aspexisse ; & eius ac patriarcharum exemplis Hebreos suos, ut idem faciant hortatur. Ne verò per hoc vel gratiæ vel gloriæ Dei derogatum quidquam videatur: certissimè teneamus hęc duo, Omne meritum nostrum esse Dei donum; & , Omne præmium nostrum ad Dei gloriam esse referendum.

*Merita
bonorum
operum.*

VERS. 27

Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatē regis] id est, iram & furorem. significat impetum animi ebullientis ad vindictam. Moyses per fidem reliquit Ægyptum, cùm ex ea Hebreos Deo iubente eduxit. tunc enim fide credidit se cum populo, per Dei opem euasorum manus Pharaonis insequentis, populūmque feliciter penetraturum in Chanaan, vti Deus promiserat.

Invisibilem enim tanquam videns sustinuit] iram hominis visibilis contempnit, quia fide Deum invisibilem, tanquam videret, sustinuit, hoc est, expectauit, scilicet adintorem & remuneratorem.

VERS. 28

Fide celebravit pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primiūna, tangeret eos] Pascha à phasē, quod transitum significat. rationem nominis ipse Dominus adiecit dicens, Exod. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiāmque omne primogenitum, &c. & videbo sanguinem, & trāsibo vos, id est præteribo. Porto sanguinis effusionem agni immolati intellige. Nam de sanguine eius effuso linebātur & aspergebant quisque

G g 4 suæ

suæ domus vtrumque postem & superliminare;
sicut eis fuerat præceptum.

VER. 29. *Fide transferunt mare Rubrum tanquam per aridam terram : quod experti Ægyptij deuorati sunt]* Fide enim, qua credebant Hebrei Mosi Dei nomine promittenti miraculosum & felicem maris siccо pede transitum, hac, inquam, fide excitati, Hebrei, ipsum mare Rubrum fidenter & securè ingressi, quasi aridam terram calcarunt & transgressi sunt.

VERS. 30 *Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem] Crediderunt enim præcipienti ac promittenti Domino , si vrbe Iericho circumirent septem diebus, futurum ut mœnia ciuitatis sponte corruerent.*

VERS. 31 *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace] Fide , qua scilicet Rahab creditit Ierichuntem , & reliquas vrbes Chanaan à Deo , vti promiserat , tradendas esse Hebreis.*

VERS. 32 *Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tempus enarrarem de Gedeon, Barac, Samson, lephite, Dauid, Samuel, & Prophetis]* Gedeon enim fide, qua creditit Deo , sibi & suis promittenti victoriam de Madianitis, eamdem obtinuit, Iudic. 7.

Barach fide , qua creditit Debora , nomine Dei mandanti, vt pugnaret contra Sifaram, eundem instar fulminis profligauit, Iudic. 4. Sic Samson , lephite , Dauid , & alij fide , qua credebant Deo se excitanti ad prælium contra Philistheos , Ammonitas, aliisque hostes populi Dei, eosdem prostrauerunt. Et Prophetis , intellige cæteris. Nam & Dauid & Samuel Prophetæ fuerunt, Hieronymus in Hieremias cap. 7. Quod si lephite

Iephte obtulit filiam suam virginem Deo , non sacrificium placuit, sed animus offerentis. August. qd. 49. super Iudicum , in hoc propensior est vt censeat , Iephte malè vouisse , & peius implesse quod voverat. recteque admonet, id quod dicitur , factum fuisse super eum spiritum Domini, referendum esse non ad votum quod fecit, sed ad ea quæ aduersus hostes fortiter gessit. Quare cum B.Thoma dicendum videbitur, eum peccasse quidem hoc facto; sed poenitentia peccatum diluisse. vixit enim postea sex annis : nec enim tenebatur temeratio & illicito voto.

Iephte
filiam
suam
quonodo
Deo ob-
tulit.

Qui per fidem vicerunt regna, (Chananæorum, VER. 33. Philistinorum, Ammonitarum & aliorum) *operatis sunt iustitiam] Operari iustitiam,* est specialiter accipi pro eo quod est ius dicere, iusta exercere iudicia. Sic enim propriè pertinet ad iudices. cuiusmodi præter alios ac præ cæteris insignes fuere Moyses, Samuel, Dauid. De Dauide sunt hæc verba, Faciebat iudicium & iustitiam omni populo suo, 1.Reg.8.&c 1.Par.18.&c ipsius de se psal. 118. Feci iudicium & iustitiam.

Adepti sunt repromotiones] v.g. Cùm Iosue, Caleb aliique Hebræi ingressi sunt, possederuntque terram Chanaan sibi promissam.

Obiurauerunt ora leonum.] Ad Samsonem & Dauidem plerique referunt, quorum vterque leonem interfecisse legitur. Et Daniel, qui sua præsentia & sanctitate clausit ora leonum fame rabidorum, vt eum contingere non auderent, Dan.6.

Exinxerunt impetum ignis] scilicet, tres socij VER. 34. Danielis, Sidrach, Misach, & Abdenago in forna- ce Babylonia, Dan. 3.

Effugauerunt aciem gladij] id est, effugerunt. fugerunt ora gladij, liberati sunt ab ore gladij. nam os pro acie cultri seu gladij dicunt Hebræi, quod ea parte mordeat. Sensus est: Euaserunt hostiles gladios. sic Elias effugit gladium Iezabelis, David Saulis, &c.

Conualuerunt de infirmitate] id est, à morbo, ut Ezechias & Tobias à cæcitate, & Iob à sua plaga.

Fortes facti sunt in bello.] Ad iudices & reges pertinet, qui rebus bello fortiter gestis in populo Dei claruerunt. Item ad fortis Davidis, quorum nomina & heroica facta recensentur, 2. Reg. 23. & 1. Paralip. 11. Denique ad Iudam Machabæum & fratres eius, &c.

Castra verterunt exterorum] id est, inclinauerunt, hoc est, in fugam compulerunt. De Gedeone & Ionatha filio Saul: quorum ille cum trecentis viris castra Medianitarum ingressus ea percussit & contrivit, Iudic. 7. Hic vero, comitatus armiger suo, cum ad stationem Philistinorum transiisset, multis prostratis tumultu ac cæde castra eorum compleuit, 1. Reg. 14.

VER. 35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos s. 05* Sareptanam viduam, & Sunamitidem mulierem intelligit: quarum illa ab Elia, haec ab Eliseo filios suos mortuos receperunt viuos, 3. Reg. 17. & 4. Reg. 4.

Alij autem disteni sunt.] Nota Eleazarum & Machabæos, qui ab Antiocho Epiphane dñe cruciari sunt. De Eleazaro enim dicitur: Voluntariè præibat ad supplicium, 2. Machab. 6. Hinc ista Machabæorum vox: E cælo ista (corporis membra) possideo, sed propter Dei leges nunc haec

ipfa

ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea receptum
spero.

*Non suscipientes redemptionem, ut meliorem in-
uenirent resurrectionem.] q.d. Eleazarus, Machabæi
& similes voluntariè hæc tormenta subierunt.
Poterant enim, si vel verbulo Antiocho cessa-
sent, omnibus pœnis redimi & liberari, &c.*

*Alij vero ludibria & verbera experti, insuper VER. 36.
& vincula & carceres.] Ludibrio & derisui sunt
habitæ Samson, effossis oculis à Philistæis, & Eli-
sæus à pueris inclamantibus, Ascende calue, 4.
Reg. 2. Iob, quoque & Tobias non solum irrigi,
sed & probris impetiti sunt ab amicis & propriis
vxoribus. Flagris cæsi sunt Israëlitæ ab Ægyptiis
qui præerant operibus, Exodi 5. In carcere clau-
sus Ioseph, Genes. 39. Cæsi, vindicti & incarcерati
Michæas & Ieremias.*

*Lapidati sunt] vt Nabothes Iezraëlites, 3. Reg. VER. 37.
21. & Zacharias Ioiadæ filius, 2. Par. 14. aliique
multi. Item Ieremias, iuxta Hebræorum traditio-
nem. de quo Tertull. Scorpaci 8. Ieremias, in-
quit, lapidatur.*

*Secti sunt.] De Isaia penè omnes intelligunt,
quem à Manasse rege ferra aiunt lignea disse-
ctum fuisse. Machabæis manus & pedes resecti &
præcisi sunt, 2. Machab. 7.*

*Tenuti sunt] vt Abraham, inquit Theodore-
tus. Est igitur aptius exemplum sancti Iob, à Sata-
na tentati.*

*In occidente gladij mortui sunt.] Sacerdotes in
Nobe Saul occidit, totamque ciuitatem percussit
in ore gladij, 1. Reg. 22. Prophetas Domini Ieza-
bel interfecit, 3. Reg. 19. Manasses sanguine inno-
xio repleuit Ierusalem usque ad os, 4. Reg. 21.*

Vrianus

Vriam quoq[ue] Prophetam gladio percussit rex
Ioakim, Ierem. 26.

Circuerunt in melotis, in pellibus caprinis.] Res-
picit Apostolus ad Prophetas , potissimum ad
Eliam, & pallij eius heredem Elisæum, qui etiam
4.Reg.1.vocatur Homo pilosus, & zona pellicea
accinctus renibus. Porro vñ sunt Prophetæ me-
lote , quasi vili & aspero amictu. ita S. Ioannes
Baptista prædicans vestitus erat cilicio è pilis ca-
melorum confecto, & zona pellica cinctus.hinc
& S. Eremitæ olim melote sunt vñ.

Egentes] id est , destituti rebus necessariis. talis
fuit Elias fugiens Iezabelem , quem Deus pane
per coruum submissio alere debuit. Item Iudas
Machabæus, qui cum sociis inter feras vitam de-
gens fœni cibo vescebatur, 2.Mach. 5.

Angustiati] id est, angustiis pressi , vt Dauid,
quando à Saule coarctatus desperabat se posse
euadere, 1. Reg. 23. & Elias , quando fugiens à
facie Iezabel petiuit animæ suæ vt moreretur,
3.Reg. 19.

Afflicti] id est , malè habiti , malè tractati &
mulctati. cuius exemplum adferunt Amos pro-
phetam, quem Epiphanius narrat ab Amasia sacer-
dote Bethel assidue vapulasse, tandemque ab eius
filio secundum tépora fuste percussum occubuisse.

VER. 38. *Quibus dignus non erat mundus]* q. d. Hi viri
sancti tantæ dignitatis erant , vt mundus eos ha-
bere non mereretur. Ipsi enim suis apud Deum
precibus vrbes & prouincias , imò mundum to-
tum conseruabant. Vnde Eliæ cùm raperetur
succlamauit Elisæus : Pater mi (tu es) currus
Israël, & auriga eius.

In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis,
in

& in caueris terre.] Ita Dauid fugit Saulem, latuitque in spelunca Odollam, inde in Ziph, inde in deserto Engaddi, 1. Reg. 12. Ita centum Prophetæ occultati sunt, & gladio Iezabelis subducti per Abdiam, 3. Reg. 18. Nota, Eliam, Elisæum & filios Prophetarum communiter in montibus versatos esse, ac præsertim Carmelum adamasse.

Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt recompensationem] illam scilicet quæ antonomasticè dicitur recompensatio, nimirum bonorum cælestium, & consummatæ beatitudinis.

Deo pro nobis melius aliquid prouidente.] Melius, id est, præstantius aliquid nobis, quam priscis patribus prouidit Deus; hoc ipso quo disposuit, ut tempus beatitudinis & resurrectionis non foret apud illos in veteri, sed apud nos in novo Testamento.

Ut non sine nobis consummarentur] non accepserunt promissionem, scilicet perfectè seu consummatæ. Perfectè enim accipietur promissio, quando resuscitatis ad immortalitatem corporibus, sancti homines cum Christo regnabunt in cælis. Nam ante id tempus animæ solæ regnant & beatæ sunt; non homines, nisi synecdochicè: loquitur autem Apostolus de hominibus deinde, quia paulò ante de quibusdam dixit: Ut meliorem inuenirent resurrectionem. agit ergo de consummatione, quæ per resurrectionem fieri debeat.

VER. 39.

VER. 40.

CAP V T XII.

SVMMARIVM.

*Exemplo Christi & veterum iustorum hortatur
Hebreos ad tolerantiam passionum, docens
Deum filios suos afflictionibus exercere. De-
inde ad pacem & concordiam inuitat, osten-
dens non ad montem terrenum, sed ad Ie-
rusalem caelestem eos accessisse.*

VER. I.

Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem
testium.] Impositam, id est, circompositam, id est,
vndique nos continentem & circumdantem.
Nubem testium, id est, nubem martyrum. Testes ve-
rò Sanctos memoratos appellat, qui per fidem, &
pro fide, vel dura sunt perpessi, vel heroica ope-
ra perfecerunt. Horum itaque testium nubes im-
posita, siue circumposita ac circumfusa nobis di-
citur, quia tam multi sunt, ut quocumque nos
vertimus, obvia sint eorum exempla. cum igitur,
inquit, tanta ube testium simus vndique cir-
cumsepi, faciamus quod sequitur.

*Deponentes omne pondus, & circumstans nos pec-
catum.] Pondus vocat sollicitudinem conseruan-
di & augendi suas opes: omnemque sarcinam ter-
restrium negotiorum & curarum, inquit Theopha-
laetus. Peccatum nos circumstat, ut nos com-
prehendat, implicet ac teneat, ne in cursu cœpto
progrediamur: ut si quis currentem iniecto la-
queo retineat. Monet ergo, ut peccati laqueos &*
impli

implicamenta quæ cursum remorentur, excutiant abiiciantque.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.] Vocatur autem certamen, quia non sine aduersario curritur; non qui etiam currat, sed qui, quantum potest, currentem impedit, per patientiam, id est, patienter & constanter curramus.

Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem VER. 2.

Iesum.] Monet ut aspiciant in Christum, velut

certaminis sui præsidem ac præmiatorem. Quem

fidei vocat auctorem; quia nobis fidem per gratiam

suam inspirat (est enim fides Dei donum, Eph. 2.)

Fides est
donum
Dei.

Idem Christus fidei consummator est, vel quia fi-

dem, cuius initia dedit, per eandem gratiam con-

summatur in nobis ac perficit: vel quia certamen

hoc fidei decurrentibus, postquam ad metam

peruerterint, reddit constituta præmia. Potest

etiam, & (ni fallor) melius, dictio consummatores

seorsum accipi. Christus consummator noster,

quia per oblationem crucis nos consummat &

perficit, non solum iustificando, verum etiam ad

consummatam beatitudinem perducendo.

Christus
consum.
mator
noster.

Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confu-

sione contempta.] Sensus est: Qui loco gaudij quo

frui poterat, crucis passionem elegit. Gaudium in-

tellige à molestiis & doloribus secretum: ut gau-

dium intelligatur vitae temporalis. poterat enim

non mori, si vellet; poterat etiam se eximere om-

ni molestia, vitamque degere felicem, & omnibus

bonis affluentem. Item poterat turbis regem

se facere volentibus acquielcere, & gloriose re-

gnare. sed pro his omnibus crucem elegit ac per-

tulit, &c. confusione contempta, hoc est, ignominiam

supplicij non reveritus.

*Christus
sedet ad
dexterā.
Dei.*

Atque in dextera sedis Dei sedet.] Dicitur autem Christus in dextera, sive ad dexteram sedis Dei sedere, quia Deus eum exaltauit supra omnem creaturam, ac summo honore dignatus est, dato ei nomine quod est supra omne nomen.

VER. 3.

*Recogitate enim eum, qui tales sustinuit à peccato-
ribus aduersus semetipsum contradictionem] ut qui
eum seductorem vocarint, ac dæmoniacum, &
legis transgressorem, denique post irrisiones &
improperia aduersus eum inclamauerint Pilato
præsidi, Crucifige, crucifige. nam ideo proposuit
exemplum Christi passi & glorificati, ut illud re-
cogitent.*

*Vi ne fatigemini, animis vestris deficientes] hoc
est, ne similia patientes à contradictionibus & ir-
risionibus Christianæ religionis, defatigemini præ
languore & dissolutione animi, id est, ne fati-
gatione vieti cadatis, & in medio cursu resista-
tis, &c.*

VER. 4.

*Nondum enim usque ad sanguinem restisisti, aduer-
sus peccatum repugnantes] quamuis, inquit, multa
pro Christi nomine tolerasti aduersa, nondum
tamen sicut ille, sanguinem fudisti in hoc agone
Christiano, nondum martyres facti estis, sicut
Iacobus frater Ioannis, sicut & alij, quos indicat
cap. seq. dicens: Quorum intuentes exitum con-
uersationis, imitamini fidem.*

VER. 5.

*Et oblii estis consolationis, que vobis tanquam fi-
liis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere discipli-
nam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris.]
Videmini oblii, nimis propter animi torpo-
rem, qui vos occupauit. Fili mi, blanda appella-
tione lectorum allicit. Monet ergo filium Sa-
piens, ne quis disciplinam Domini, qua scilicet
ab eo*

ab eo eruditur, & vel dura increpatione vel etiam flagellis castigatur, negligat, paruipendat, spernat, abiiciat.

Quem enim diligit Dominus, castigat] q.d. Existimare afflictiones vestras non tam procedere ab ira Dei, quam ab amore; quippe qui propterea vos affligit & percurit, ut erudiat, purget & proberet. Similis planè sententia, Apoc. 3. Ego quos amo, arguo & castigo. nam castigatio pertinet ad emanationem eius qui castigatur.

Flagellat autem omnem filium quem recipit] Sentens est: Flagellis afflictionum & aduersitatum erudit & corrigit Deus omnem filium quem recipit in disciplinam, atque ex eo tempore quo recipit.

In disciplina perseverate: tanquam filiis vobis offert se Deus] Deus offert se vobis ut patrem, agnoscet vos filios, nec ab hereditate excludet. exhibet se vobis patrem magis quam vindicem; non penas cogitat, sed correctionem vestram, ut aptet vos hereditati percipiendi.

Quis enim filius, quem non corripit pater?] Corripit, id est, castigat.

Quod si extra disciplinam (id est, absque castigatione) estis, cuius participes facti sunt omnes (genuini & dilecti filii:) ergo adulteri, & non filii estis] Si vos subducere vultis disciplinæ, cuius participes facti sunt omnes filii Dei, id est, quicunque Deo placuerunt aut placent: ergo subtrahitis & abdicatis vos à numero eorum qui sunt germani filii Dei; & proinde censendi estis inter filios adulterinos ac degeneres, & paternæ hereditatis exsortes.

Deinde, patres quidem carnis nostræ, eruditores VERS. 9.
H h h habui

habuimus, & reuerebamur eos: non (nōnne) multo ma-
gis obtemperabimus patri spirituum, & vinemus?]
Reuerentia significat subiectionem cum amore
coniunctam: qualis esse debet omnium subdito-
rum, ac nominatim filiorum erga parentes. An
non mulio magis obtemperabimus, id est, submitte-
mus ac permittemus nos patri spirituum Deo, at-
que in eius beneplacito acquiescemos, persuasi
flagella, quibus nos cædit, ab animo paterno, no-
stræque salutis cupido, proficiisci, & ad vitam no-
bis profutura? *Vitam* intelligit quæ est secundum
spiritum, id est, vitam sanctificationis & iustitiae.
Hanc vitam opponit vita carnali, quæ sita est in
commodis huius sæculi, ad quam solent patres
carnis erudire filios suos.

VERS. 10 *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secun-
dum voluntatem suam erudiebant nos*] siue castiga-
bant nos ad paucos dies, id est, propter vitam hanc
temporalem, cuius pauci sunt dies, id est, breue
tempus.

*Hic autem ad id quod utile est in recipiendo sancti-
ficationem eius*] Deus autem, ut verus pater nos eru-
dit & castigat ad veram nostram utilitatem, quæ
in eo consistit, ut participes simus sanctimoniac
eius.

VERS. 11 *Omnis autem disciplina in presenti quidem vide-
tur non esse gaudi, sed mœroris: postea autem fructum
pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae*] &
erit opus iustitiae pax, hoc est, cultores iustitiae
magna fruentur pace conscientiae.

VERS. 12. *Proprius quod remissas manus, & soluta genua erigit*]
Monet his verbis, ut excussa ignauia, quæ animos
eorum obsederat, alacritatem assumant, ac seriò
fese comparent ad patientiam & pias actiones.

Et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non clau- VER. 13.
dicans quis erret, magis autem sanetur.] Monet ut, si
qui inter eos sint claudicantes, id est, ad defectio-
nem proni propter afflictiones quas fidei causa
patiebantur; statim adhibita paterna cura per me-
dicamenta doctrinæ, consolationis atque exhorta-
tionis, sanentur & confortentur: ne neglecti
longius abducantur & corruant.

Pacem seguimini cum omnibus] id est, persequi- VERS. 14
mini. Præcipit, ut pacem sectentur, id est, habere
studeant cum omnibus.

Et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.] Sancti-
Per sanctimoniam accipias puritatem animi, ut anima- monia
mus sit sanctus, id est, purus ab omni peccato. Al- sèper in-
ludit ad illud Matth. 5. Beati mundo corde, quo- quirèda.
niam ipsi Deum videbunt. nam visio Dei, non so-
lis, nec omnibus castis, sed omnibus iis, qui à pec-
cato puri sunt, promittitur.

Contemplantes ne quis desit gracie Dei] id est, in- VERS. 15
spicientes, curam habentes, scilicet alij de aliis,
perfecti de imperfectioribus, ne quis sit deficiens
à gratia Dei, id est, ne quis destituatur aut frustré-
tur gratia Dei, ne cui illa desit. frustratur autem
quis & excidit ab ea gratia per peccatum, præser-
tim infidelitatis.

Ne qua radix amaritudinis sursum germinans, impediatur, & per illam inquinentur multi.] Radix VER. 16.
amaritudinis, id est amara, est peccatum, quod amaricat conscientiam per remorsum & rea-
tum pœnæ, inquit Chrysostomus. Ad doctrinæ peruersitatem & fidei corruptelam pertinet
hæc radicis metaphora, potius quam ad alia
vitia.

Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau] Pro-
fanus

fanus est qui nihil habet facti, qui facta neglit, violat, conculcat.

Qui propter unam escam vendidit primitua sua]
Esau fuit adeò mundanus, carnalis, & ventri deditus, ut spiritualia non curaret, sed negligeret ac parui penderet, &c.

VER. 17. *Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est] id est, reiectus est à sua petitione & benedictione paterna, quam cupiebat & petebat à patre Isaac.*

Non enim invenit pénitentia locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam] Esau nihil profecit hac sua pénitentia, quamvis etiam cum lacrymis benedictionem requisivisset à patre. neque enim obtinere eam potuit. accepit quidem alteram benedictionem minorem; sed non illam quæ primogeniti erat.

VER. 18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem] q: d. Non accessistis ad Sina corporeum & terrestrem montem, sed ad Ecclesiam Christi, quæ mons est spiritualis & cælestis.*

VER. 19. *Et turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum] Tantus erat fragor clangentis huius tubæ, siue buccinæ, ut humanæ vix ferrent aures.*

Et vocem verborum] scilicet eorum quibus lex ad populum pronunciata est ac promulgata.

Quam (vocem tubæ) qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum] petierunt ne adderetur, ut fieret sermo cum ipsis, id est, ne amplius secum loquentem Deum ipsum audirent.

VER. 20. *Non enim portabant quod dicebatur] scilicet editio publico.*

Et si bestia teigerit montem, lapidabitur.] q.d. Non ferebant terrorem & terribilia signa Dei iam dicta, quæ eis dans legem exhibuit in Sina, maximè cùm aditum & contactum montis Sina, quasi is foret tribunal Dei terribilis, sub pœna mortis eis, imò bestiis inhibuit dicens : *Et si bestia, &c.*

Et ita terribile erat quod ridebatur. Moses dixit, VERS. 21
Exterritus sum & tremebundus] ut ipse etiam populi dux, ille, inquam, qui familiaris cum Deo colloquio solebat, fateretur se expauescere & contremiscere.

Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, caelestem Ierusalem] Iam docet quonam per fidem accesserint ; hoc est, ad quam pertineant societatem, & cui populo sint aggregati, nimirum filiorum noui Testamenti. Montem Sion Ecclesiam intelligunt, quatenus militantem simul & triumphantem comprehendit. Dicitur *Ierusalem caelestis*, propter originem & finem. Nam & de cælo descendit, Apoc. 21. Vocatur autem *ciuitas Dei viuentis*, quod eius conditor & opifex sit non homo mortalis, sed Deus viuus & verus.

Et mulierum millium Angelorum frequentiam] vt non simpliciter multa millia ; sed valde multa millia sanctorum Angelorum significare voluerit Apostolus. Ostendit hic locus etiam Angelos pertinere ad Ecclesiā Christi, & vnam nobiscum Dei ciuitatem constituere: sicut docet Aug. lib. 10. de ciuit. Dei, c. 7. non quod & ipsi redempti sint sanguine Christi, sed quia Christus sua passione promeruit, vt tam Angelis quam hominibus in vnam Ecclesiam collectis, ipse tanquam omnium caput praeficeretur. Ephes. 1.

VERS. 23.

Et Ecclesiam primituorum, qui conscripti sunt in cælis] Sensus est, Aggregati estis & ascripti in societatem eorum, qui præ cæteris mortalibus electi sunt à Dœo, & ab aliis separati, tanquam primogeniti, & in cælis, tanquam beatitudinis cælestis heredes, conscripti.

Et indicem omnium Deum] q.d. Per fidem accessistis ad Deum, qui est iudex omnium, qui per Christum iudicaturus est viuos & mortuos.

Ei spiritus iustorum perfectorum] Recte plerique omnes intelligunt piorum hominum animas suis corporibus exutas, & apud Deum viuentes. Sed quomodo Hebrei ad iustorum perfectorum spiritus accesserant & utique per charitatem qua illis coniungebantur, & per spem qua ad eamdem felicitatem aspirabant.

VERS. 24

Et testamenti noui mediatorem Iesum] Accessistis ad Christum, qui bona cælestia, quæ ipse novo suo testamento promisit, re ipsa præstat, conciliat & exhibet. nam ideo noui testamenti mediator est, ut promissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hereditatis, cap. 9.

Ei sanguinis aspercionem id est, sanguinem Christi super nos effusum & aspersum. huc autem accesserant Hebrei quando per fidem & baptismum incorporati fuerant Christo.

Melius loqueniem quam Abel] melius loquenter quam loquebatur sanguis Abel. sanguis enim Abel vindictam loquebatur, Gen. 4. sanguis autem Christi melius loquitur; quia veniam loquitur & gratiam, clamat misericordiam, gratiam, & remissionem peccatorum.

VERS. 25

Videte ne recuseis loquenter] scilicet Christum ipsum, qui, ut sequitur, è cælis loquitur nobis, omnibus

nibus veniam proponens, omnésque ad salutem per Euangelij sui ministros inuitans: aut simpliter recusetis, aut (quod deterius est) etiam contemnatis, sed vocem eius audite perseueranter, donec Hodie cognominatur, sicut admonuit supra, cap. 3.

Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur] Deum potius quam Moysen intelligere conuenit per eum qui loquebatur super terram. Igitur cum Lirano Angelum hic intelligi puto per eum qui loquebatur super terram: & quidem Angelum populi ductorem atque custodem, de quo Dominus ita praecipit, Exod. 23. Observa eum, & audi vocem eius, nec, &c. Eundem Angelum, quem in monte, ex Dei persona loquentem audiuerant, & recusauerant dicentes: Non loquatur nobis Dominus: postea senserunt vindicem suatum transgressionum.

Multo magis nos, qui de celis loquentem nobis auertimus] subaudi, Non effugiemus, qui scilicet auersamur & repellimus Deum & hominem, qui è cælo locutus est nobis, cum post ascensionem suam legem Euangelicam promulgavit in Sion in Pentecoste, & è cælo misit Spiritum sanctum.

Cuius vox mouit terram tunc] Mouit, id est, concussit. Christum vult voce sua, quam Angeli ministerio excitabat, tunc quando data est lex, terram concussisse. q. d. Videte ne recusetis Christum loquentem, quia Christus potentissimus est legislator, iudex & vindex.

Nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed & celum] scilicet

aduentu meo ad iudicium. tunc enim, vt totius mundi fiat innouatio , nec non ad terorem venientis iudicis , omnia elementa commouenda sunt, cælum, terra, mare.

VERS. 27

Quod autem, Adhuc semel, dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum , ut maneat ea quæ sunt immobilia] Propterea ea parte, Adhuc semel, declarauit quodd elementa (quæ nomine cæli & terræ comprehenduntur) concutienda sint , & in aliam faciem transmutanda , vt illa maneant in aliud statum non amplius commutanda, quæ iis succedent, id est, noui cæli , & noua terra, in quibus iustitia habitat. Per hæc autem intelligitur regnum Christi consummatum.

VERS. 28

Itaque regnum immobile suscipientes , habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia] Regnum immobile, vocat legem Euangelicam, per quam Christus regnat in nobis, nosque in ea reges facit, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, qua regnum Dei, siue regnum cælorum possidebimus.

VERS. 29

Etenim Deus noster ignis consumens est] Vox etenim dat causam, cur Deo cum metu & reuerentia seruire debeamus. Causa hæc est: quod Deus noster instar ignis punit , vrit & consumit eos, qui carent hoc suo metu & reuerentia.

Deus ignis consumens est

C A P V T X I I I .

S V M M A R I V M .

Hortatur ad hospitatem, castitatem, obedientiam, & ad offerendum Deo hostiam laudis. Precatur eis profectum in bono, ac omnino Dei gratiam.

Charitas fraternitatis maneat in vobis.] Ma
near. q. d. Pergite uti cœpistis inuicem iuuare & fouere, nec permittite, ut ob persecutio-
nes, exilia & expilations hæc charitatis officia
inte pescant.

Et hospitatem nolite obliuisci hoc est, ab offi-
cio consuetæ hospitalitatis nolite cessare.

Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospi-
tio receptis.] Legendum est, latuerunt, id est, non
sunt visi à Sodomitis, cùm illi in domum Lot ir-
ruentes cæcitate percussi sunt.

Latuerunt Angelis receptis] id est, latenter, vel
nescientes Angelos receperunt; latuit illos quod
hospites essent Angeli, non senserunt esse Ange-
los, sed putabant esse homines.

Memento vinclorum tanquam simul vincit;] ita
vinclorum Christi miseremini, ac si vos ipsi vin-
cti essetis, putatote vos simul cum eis teneri in
vinculis.

Et laborantium, tanquam & ipsi in corpore ma-
rantes] memores satis afflictorum, ac si essetis in
Hhh s ipforum

V E R . 1 .

V E R . 2 .
Hospita-
litati of-
ficiū im-
penden-
dum.

V E R . 3 .

ipsorum corporibus eadem patientes quæ illi.

VER. 4.

Honorabile connubium in omnibus, & thorax immaculatus.] Thorax, id est, cubile. Coniugium sit in omnibus vobis honorabile, & thorax immaculatus, hoc est, præcipio ut omnes qui in coniugio estis, seruetis honorem coniugij, & thorum sine macula, neque cubile ullo stupri genere contaminetur.

Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.] Omnes quidem fornicarios, sed speciatim adulteros, iudicabit, id est, condemnabit, Deus, scilicet æternæ mortis suppicio. hinc sequitur fornicationem etiam simplicem, esse peccatum æterna damnatione dignum.

VER. 5.

Sint mores sine auaritia.] Dehortatur ab auaritia: quod ea sit omnium malorum radix, 1. Tim. 6. Iam quid sit auaritia, ne in ea re fallant seipso, docet ex virtute contraria, dicens:

Contenti presentibus] contenti satis iis quæ habetis, quæque sufficiunt necessitati vestræ; nec velitis ditiores fieri. Eo ergo magis eris dominus rerum tuarum, immo totius mundi, quo minus es cupidus: auarus enim terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus, ait S. Bernardus.

b) Ipse (Deus) enim dixit: Non te deserum, neque derelinquam.] Sunt verba Dei ad Iosue, cap. 1. Sicut fui, inquit, cum Moysè, ita ero tecum, non dimittam, neque derelinquam te. q.d. Nolite esse solliciti de congregandis opibus ad vitam tuendam necessariis, fidite Deo, ipse de necessariis vobis prouidebit: ipse enim dixit Iosue, & in Iosue omnibus suis fidelibus seruis & amicis promisit & dixit: Non te deseram, nec derelinquam.

Ita

Ita ut confidenter dicamus] ita ut cum bona spe VER. 6.
& fiducia possimus dicere:

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi
homo] psal. 117. Sunt autem, non timendum ne
mali homines nobis praeualeant, etiam tempora-
liter affligendo; quasi per hoc admodum nobis
noceant: id enim non futurum, nisi compensatio-
nem maioris ac melioris boni; cuiusmodi sunt
exercitium patientiae, purgatio peccatorum, gra-
tiae & gloriae augmentum.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis lo-
cui sunt verbum Dei: quorum insuemes exitum con-
uersationis, imitamini fidem.] Præcipit ergo vt
Episcoporum suorum memores sint, qui eis locuti
fuerant verbum Dei, id est, doctrinam fidei tradi-
derant, qui doctrinam à se traditam sanguine suo
obsignauerant eorum sanctam conuersationem,
fidem eorum, fideique constantiam imitemini.

Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in secula.] Sen-
sus est: Iesus Christus, in quem credidistis, &
quem pro Christo recepistis, non est alius atque
alius; non subinde mutatur: sed qui fuit superio-
re tempore, idem & nunc est, idemque perman-
surus in omnem tempus & seculum futurum. Iure
vos adhortor ad imitandam fidem, fideique con-
stantiam præpositorum vestrorum qui excesser-
runt ex hac vita. Nam idem est Iesus Christus, qui
sicut illis adiutor fuit, ita & vobis adiutor speran-
dus est. Fides vestra est in Iesum Christum, sicut
& fuit vestrorum præpositorum: atqui Iesus
Christus semper idem est: ergo & fides vestra ea-
dem esse debet cum fide illorum: ideoque neces-
se est ut illorum fidem imitemini.

VER. 7.
Fides
antique-
rum pra-
positorū
retinen-
da.

VER. 8.

Doctrina
veritas
unde su-
menda.

Doctri

VER. 9.

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.] Varias doctrinas appellat, quæ diuisæ sunt atque inter se dissident: peregrinas verò, forinsecus aduectas, aduentitias, & à doctrina domestica, Ecclesiastica, Apostolica alienas; ut vocantur peregrinæ merces quæ non sunt domi natæ.

*Optimum est enim gratia stabilire cor non escis: que non profuerunt ambulantibus in eis.] q.d. Ne abducatur & circumferamur variis doctrinis: optimum remedium est, ut *gratia*, id est, sanctitate & probitate stabiliamus in fide cor nostrum, non escis. Dicit ergo, multò melius esse, si cordis stabilitamentum ac firmitatem querant in gratia Dei, quam noui Testamenti mediator Christus attulit; quam si in obseruantia ciborum quam tradidit Moyses. Per escas intelligunt obseruantias certarum escarum, & ciborum lege Moysaica præscriptas Leuit. 11. Hæ enim non profuerunt, id est, non iustificarunt comedentes, nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt.*

VER. 10.

Habemus altare, de quo edere non habent potestatem (id est, facultatem, licentiam) qui tabernaculo deseruunt.] Altare, scilicet, in quo offerimus sacrificium corporis, & sanguinis Christi, olim in cruce immolati; quod edunt & participant non Leuitæ & Iudei, sed sacerdotes & fideles Christiani, dum sumunt S. Eucharistiam, hoc fine, ut gratiam cor stabilientem consequantur, cibumque sumant corpus Christi, qui eos vivificet in æternum. ita Chrysost. Theod. Theoph. Anselm. Nullum enim aliud altare habent Christiani, de quo edant, nisi mensam Dominicam. Neque iij qui legi inhærent, habent ius edendi de altari quod

quod habent Christiani.

Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.] Sicut vetus pontifex de sacrificio quod pro suo populi peccato obtulerat, non comedebat, sed animalium immolatorum corpora cremabantur extra castra: sic quicunque tabernaculo deseruiunt, edere non possunt de altari crucis, id est, fructum percipere de sacrificio super illud altare oblato, praelertim cum extra portam fuerit igne passionis consumptum, &c.

Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.] Propter quod, id est, ut impletetur illa figura quae est de carnibus extra castra cremandis; etiam Iesus, ut per suum proprium sanguinem populum sanctificaret, extra portam ciuitatis Hierosolymæ passus est.

*Exeamus igitur ad eum extra castra] vel extra ciuitatem; vite scilicet ac morum conformatio-
ne faciamus quod ille fecit; patiamur quae pa-
sus est.*

*Improperium eius portantes.] Eius, inquam, qui extra portam passus est: nam qui ducebantur ex-
tra portam, ignominiosa morte mulctabantur.
Improperium Christi, propriè illud Apostolo di-
citur, quo vocabantur Christiani. de quo Petrus
1. epist. 4. Si autem ut Christianus: non erubescat:
glorificet autem Deum in isto nomine. Erat enim
magnum probrum vocari sectatorem ac disci-
pulum Christi crucifixi.*

*Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed
futuram inquirimus] improperium eius portan-
tes*

VER. 11.

VER. 12.

VER. 13.

VER. 14.

Imprope-
riū Chri-
sti portan-
re, quia
fit.

Ciuitas cœlestis nobis inquirida. tes, ad quod ideò horratur, quia non habemus, inquit, nos Christiani in hoc saeculo, manentem, id est fixam ac stabilem, ciuitatem: sed, inquit, ve-
luti in tabernaculis agentes, ad eam ciuitatem ten-
dimus quæ nobis in futuro promittitur, id est,
ad Ierusalem cœlestem.

VER. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.]* Per ipsum ergo, Christum scilicet tanquam ponti-
ficem & mediatorem nostrum, qui hæc omnia
bona nobis conciliauit, quique nostra vota Deo
offert, offeramus hostiam laudis, id est, sacrificium
Missæ: quæ recte dicitur hostia laudis, quia à
Christo Domino Deo Patri primùm fuit oblata
in gratiarum actionem & laudem, idemque
Christus nobis, ut imitaremur, præscripsit & in-
stituit: indèque dicta est Eucharistia, id est, gra-
tiarum actio.

VER. 16. *Beneficentie autem, & communionis nolite obli- uisci.]* Dicit autem. Nolite obliuisci, sicut & suprà
de hospitalitate, scilicet in pauperes & egentes.

Talibus enim hostiis promeretur Deus.] Hostia
hæc offertur Deo per manus pauperum, qui
ex ea viuunt: gratissima autem est Deo, adeò ut
Deus sibi dari & offerri aestimet id, quod datur
pauperi. Promeretur Deus, id est, nos promeremur
Deum.

VER. 17. *Obedite prepositis vestris, & subiacete eis.]* Con-
stat autem Apostolum loqui de præpositis Ecclæ-
siasticis, id est, Episcopis. Præpositos vocat Pasto-
res & Episcopos, hisce obedientiam humilem,
submissam & supplicem exhiberi iubet.

Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro anima- bus

bus vestris reddituri.] Peruigilant, id est, peruigilare debent, & verò cum boni sunt, ut iam sunt re ipsa, peruigilant.

Vi cum gaudio hoc faciant, & non gementes.] Obediens leue onus facit præposito. ut scilicet gaudeat in eius obedientia & profectu, inquit Theoph. Sensus est: Ut curam vestri agant cum alacritate & gaudio, & non gemant sub onere, sed leuius illud ferant, dum vident se non inanter in vobis laborare.

Hoc enim non expedit vobis.] scilicet, ut gementes id faciant, quia, ut ait Chrysostomus: Gemitus Prælati ob inobedientiam subditi inuocat Dominum, ut ipse eam grauiter vlciscatur.

Orate pro nobis.] Apostolus, more suo, sub finem epistolæ commendat se precibus eorum ad quos scribit. VER. 18.

Confidimus enim quia bona conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari.] In omnibus, id est, per omnia studentes bene conuersari; ut ne cuiquam dictis aut factis meis ullum præbeam offendiculum.

Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo cele- rius restituar vobis.] Depreco vos hoc facere, id est, pro me orare. Non enim apud vos inutilis ero, si vobis restituar. vobis autem intellige, in Iudea morantibus. nam epistola ad Hebreos scripta quod perferenda erat, nisi in Iudæam? quia malto iam tempore ab illis absuerat. VER. 19.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium.] Vicissim bene eis precatur, ac pro eis orat. Cur hic meminit magni pastoris à morte reducti? Ideò magni pastoris, quia de par uis &

uis & secundariis pastoribus , hoc est præpositis, iam semel & iterum verba fecerat. Tum quia pacem nominauerat? cuius inter Deum & homines conciliandæ causa , pastor ille magnus pro omnibus morti dignatus est. Meminit autem eiusdem à morte resuscitati, ut ostendat eum adhuc viuere, sempèrque viætum.

In sanguine testamenti æterni.] Christum ait à morte reductum ac resuscitatum esse, virtute ac merito sanguinis ipsius in morte effusi, quo confirmatum est testamentum æternum. ipse enim, inquit Thomas , per suam passionem meruit sibi & nobis gloriam resurrectionis.

Dominum nostrum Iesum Christum.] Bene Dominum vocat, post factam mentionem mortis eius & sanguinis, quo nos redemit , ac seruos suos fecit. 1. Cor. 6. Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.

VER. 21. *Aptet vos in omni bono.]* Deus pacis vos , tanquam vnius corporis membra , componat , aptet ac perficiat in omni genere bonorum operum, sic ut aliis in hoc , aliis in alio opere iuxta suam vocationem sedulò se exerceat.

Vt faciat eius voluntatem.] Deus aptet vos in omni bono , præstans nimirum ut voluntatem eius faciat.

Faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum] hoc est, per gratiam suam efficiens, efficaciter operans in vobis opera sibi placentia. optat enim & precatur Apostolus , ut Deus hæc in illis efficiat & præstet per meritum Christi filij sui , quod & Ecclesia passim in suis orationibus imitatur.

Cui

Cui est gloria in secula seculorum. amen.] Non minus vere ad Iesum Christum, qui & ipse Deus est, quam ad Deum Patrem referri potest. *Amen,* vim habet confirmandi id quod dicitur vel optatur, ut si dicas: Ita fiat.

Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum sola- VER. 22;
tij] q.d. Ego Paulus, non impero, sed rogo vos,
ut aequo animo suscipiatis hanc meam consola-
toriam & exhortatoriam ad maiora pro fide Chri-
sti certamina obeunda epistolam.

Etenim per paucis scripsi vobis] Per paucis, si vide-
licet spectetis rei argumentum & dignitatem,
meumque erga vos, o Hebrei, zelum & affe-
cum. Hoc dicit Paulus, ait Chrysost. quod He-
brei pusillo essent animo in suis tribulationibus:
nam talium est non ferre sermonem longum.

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum] VER. 23.
Significat Timotheum fuisse alicubi in vinculis,
licet id alibi non narretur. ita Chrysost. Theoph.
Primal. Anselm.

Cum quo (si celerius venerit) video vos] Cum il-
lo, inquit, comite, si maturè ad me venerit aut re-
dierit, vos inuisam: alioqui, sine eo ad vos iturus,
mox longioris impatiens. Indicant hæc verba
magnum in Paulo desiderium inuisendi fratres
suos Iudeos.

Salutate omnes prepositos vestros] id est, Episco- VER. 24.
pos Ecclesiarum, maximè per Iudeam & Syriam.

Et omnes sanctos] id est, omnes fideles qui apud
vos sunt, id est, Christianos, qui vocatione, profes-
sione, officio & debito sancti sunt, id est, esse
debent.

Salutant vos de Italia fratres] Significat Iudeos
Christianos per varias vrbes Italæ dispersos: vn-

de plus dicit quām si scriberet: Salutant vos Romani. vtrūm autem Romæ scripta sit epistola, an in alia quāpiam Italiæ parte, non liquet.

VER. 25. *Gratia cum omnibus vobis. Amen]* Concludit epistolam appreceptione gratiæ, significans eo nomine beneficentiam Dei, quatenus ab eo nobis omnia dona salutis proueniunt.

F I N I S.

SCHO



SCHOLIA
IN SEPTEM
EPISTOLAS
CANONICAS.

*EPISTOLA CATHOLICA
Iacobi Apostoli.*

DE septem canonicis epistolis auctoritatem habere, ut alij libri sacrati: ac peculiariter quinque; epistola Iacobi, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis, ac epistola Iuda, de quibus olim est dubitatum, nemo fidelis post tot concilia, Hieronym. & alios Patres, qui eas probant, impunè ambigat. Neque opus est in re perspicua morari. Duo tamen dubia explicabo. Alterum, fuerintne duo Iacobi, Iacobus Zebedei maior & minor, Iacobus Alphei, qui & frater Domini, & Episcopus Ierosolymitanus, ut Latini sentiunt, an tres, ut putant Greci inter Iacobum Alphei, qui fuit de numero duodecim Mariae filius sororis matris Domini, & Iacobum fratrem Domini Ierosolymitanum Episcopum distinguentes. De quo ad Galat. i. ver. 19. diximus. Addam nunc pro Latinis validum argumentum ex silentio in historia perpetuo de Iacobo Alphei, si à Iacobo fratre Domini distinguitur. Ali-

rum dubium, à quo Iacobo fuerit scripta hec epistola. Euseb.lib.2.histor.cap.23. à Iacobo fratre Domini scriptam sit. sequitur id Hieronymus in catalog. Synodus etiam septima Act. 6. nomine Iacobi fratris Domini citat illud ex cap. 1. v. 8. vir duplex animo inconstans est. At Gothicæ precatio[n]is libri eam Iacobo maiori tribuunt passim. Tribuit Isidorus de vita & obitu Patrum cap. 71. cùm ait de Iacobo Zebedei duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, scripsisse. Sequitur Alfonso Rex cognomento Sapiens in libro, quem Thesaurum dixit lingua vulgari. Omnia argumenta, quæ conuincant pro alterutra parte nulla suppetunt. Plura in nostra disputatione pro aduentu Iacobi Apostoli in Hispaniam cap. 7.

CAPUT PRIMVM.

ACOBVS Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, ex omnibus aliqui erant Christiani; nam ad obstinatos in Iudaismo scripsisse non arbitror. Quæ sunt in dispersione, salutem. Hoc tribus modis exponi potest, aut qui sunt toto orbे dispersi & mixti cum Gentibus. Aut decem tribubus, quæ sunt ductæ in Assyriam. 4. Reg. cap. 17. & duæ in Babylonem. 4. Reg. c. 23. nam post captiuitatem, & post Cyri libertatem multi ibi manserunt, maior pars. Aut loquitur de dispersione, quæ facta est post necem Stephani Act. 8. omnium discipulorum præter Apostolos, ad quos ut eos consoletur scribat. Prima expositio placet.

2. Omne gaudium existimate fratres mei. i. perfec-tum

Etum gaudium putat: pro perfectè gaudete. Cum in tentationes varias incideritis. i. afflictiones, molestias incideritis. Tentationes hīc non sumit pro suggestionibus ad peccandum: Tentatio

3. Scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur, probatio fidei, tentatio, afflictio.

4. Patientia autem opus perfectum: Patientes, mansueti consequuntur quæ volunt. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5.v.4. Contra impatientes, festini, præcipites omnia perturbant. In omnibus artibus mora, & quieto ingenio opus est, ut quod sit perfectum, prodeat in humana vita magis. Habet. Alij habeat ἵχερω, quæ lectio cum sequentibus. ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes, satis conuenit. Qui caret sapientia, petat à Deo.

5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improferat, & dabitur ei. Græcè ἀπλάς simpliciter, candido animo, nosster legit ἀρπιας.

6. Postulet autem in fide. i. cum fiducia. Nihil hesitans, aut de Dei potentia, aut de consecutione eius quod postulat. qui enim hesitat, similis est flenti maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.

7. Non ergo astimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.

8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Sic hesitantem vocat, qui in animo varias cogitationes versat, iam credit, iam diffidit. Is inconstans est, in duas partes claudicat.

9. Glorietur autem frater humilis. i. pauper, in exaltatione sua, si quid boni habet, id consideret, ne mœtore opprimatur, & fiat pusillanimis. Contrà diues, ne superbiat,

10. *Dives autem in humilitate sua, quæ illi defunt, ea consideret. Vita ut bilanx est, ex bonis & malis constat: ut sit æquabilis in eam partem propendere debemus, quæ leuior esse videtur: quoniam sicut flos fœni est diues, citè arescit, transibit, id consideret.*

11. *Exortus est enim Sol cum ardore, & arescit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit. Vox, vultus, redundat ex Hebr. proprietate, perinde est, ac si dicas: Decor eius deperit, pro, deperibit, præteritum pro futuro, ut conueniat cum superiori verbo, transibit. Ita dives in itineribus suis. Syr. comensationibus suis, marcescat, sic Græc. In praesenti, Syr. & Got.*

12. *Beatus vir qui suffert temptationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam viæ, quam repromisit Deus diligenteribus se.*

13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ideo nemo dicat se à Deo tentari. Vox Græca passiuè summi potest. q.d. Deus intentatus est. i. nec tentatur, nec tentat in malum. Potest actiue, ut interpres sumpsit, eritque sensus, Deus intentator malorum. i. ad malum non tentat. Sicque quod sequitur: ipse autem neminem tentat, erit repetitio, aut prioris verbi explicatio maior. Porro hîc tentatio pro suggestione mala sumitur. A quo ergo tentatur quisque?*

14. *Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua, trahit etiam diabolus, sed mota concupiscentia. Abstractus trahit sua quemque voluptas. Et ille, perinde est: voluptas trahit & allicit.*

15. *Deinde concupiscentia cum conceperit. i. ad consensum traxerit, in eo est peccatum. parit peccatum*

Scholia in Epist. Iacobi Apostoli. 861
catum: peccatum vero cum consummatum fuerit, gene-
rat mortem.

16. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.
17. Omne datum optimum, & omne donum perfe-
ctum deorsum est descendens a Patre luminum, apud
quem non est transmutatio, non tentat Deus in ma-
lum, non est auctor peccati, sed potius bonum
confert omne, nec in eo mutatio est in hoc. s. Nec
vicissitudinis obumbratio. i. mutationis umbra, su-
spicio, imago. Græc. ῥεων ἀπομέτρα. In quo
fortassis alludit ad mutationem umbrarum cum
sol discurrit per tropicos, quod in Deo non est.
regnū mutationem & conuersionem significat.
18. Voluntariè enim genuit nos, non necessitate.
Ecce datum bonum, quod Deus contulit. Verbo
veritatis. s. Euangelio genuit nos spiritu. Ut simus
initium aliquid creaturæ eius. Græc. primitiæ crea-
turarum. i. præcipui inter alias creatureas.
19. Scitis fratres mei dilectissimi, supple verum
esse, quod dixi de donis Dei. Sit autem omnis ho-
mo. Nouum præceptum de linguae moderatione:
Noster Græcè legit īστι, scitis nunc ὡστε. Itaque
propterea, ut cum superioribus, quæ de donis
Dei dixit, connectat sequentia de lingua. Sed non
est opus, neque cohærent. Veloꝝ ad audiendum;
tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Na-
tura homini duas aures dedit, vnicam linguam,
ut facilius audiamus, quam loquamur. Silentio
colitur Deus, id Harpocrates significabat pictus
in templorum aditu digito ori imposito. psalm.
etiam 64. v. 2. vbi nos. Te decet hymnus Deus in
Sion, Hebraicè, Tibi silentium laus Deus in
Sion. Plura Ang. Polic. in Miscellaneis cap. 83.
Porro ex loquacitate rixæ concitantur, ideo

ait, Tardus autem ad loquendū, & tardus ad iram.

21. Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitia, in mansuetudine. Viri religiosi, & Deo deuoti mansueti sunt. Suscipe insitum. s. mente, quod iam audistis Verbum. i. Euangelium. Nec auditu solū, sed opere, quod potest saluare animas vestras.

22. Estote autem factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipos. Vocem, Tantum, Erasmus Græcè haberi negat, aut esse additam. Ego illam in omnibus Græcis cod. inuenio, in Syriaco etiam.

23. Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti. In eo speculi similitudo, quod ille qui se in speculo videt, statim obliuiscitur qualis sit facies visa, sic qui audit verbum, videt quod factō opus sit, quod si non faciat, videtur oblitus eius quod vidit. Aut sic qui nœuos in speculo videt, & non detergit, eorum oblitus videtur, sic qui vitæ sordes videt in verbo, si mores non mutat, verbi & sordium oblitus videtur. vultum nativitatis sue in speculo: pro vultu nativo & naturali.

24. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.

25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliniosus factus, sed factor operis: hic beatus in factō suo erit. Sic Goth. siue quæ libertatis, ut est Græc. sic lege non, vt est in plerisque cod. In lge, aut in legem perfectæ libertatis. Vocatur autem lex libertatis; quia liberat à peccato, & seruitute legis veteris. Perspexerit. s. attentè, propius, id παρακλητος, significat.

26. Si quis autem putat se religiosum esse, non re-
frenans linguam suam, sed seducens cor suum, huins
vana est religio.

27. Religio munda & immaculata apud Deum, &
Patrem, hac est: Visitare pupilos, & viduas in tribula-
tione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sa-
culo. Cyr.oratione.i.festorum pro Sponoria.i.relia-
gione, legit m̄seia.i.ieiunium. Putauit comites ie-
junij h̄ic describi.

C A P V T II.

Fratres mei nolite in personarum acceptione. Non
vult diuitem pauperi præferri. Habere fidem
Domini, non putate id esse fidei consonum. Glo-
riae. i. fidem gloriae. Vna dictio repetenda est, vt
Can.4.v.5. Duo vbera tua sicut duo hinnuli. i. si-
cūt vbera duorum hinnulorum, quæ s. duo hin-
nuli fugiunt. Sic totum versum ordino: Nolite
fidem Christi habere. i. putare esse fidem gloriae,
nempe externæ. i. fidem Christi accommodari ad
gloriam hominum in personarum acceptione. i.
accipiendo personas.

2. Etenim si introierit in conuentum vestrum. i. Ec-
clesiam, vir aureum annulum habens in ueste candi-
da: ornatus & diues. introierit autem & pauper in
sordido habitu:

3. Et intendatis in eum qui induitus est ueste præ-
clara; & dixeritis ei: Si dixeritis, Tu sede h̄ic bene.
i. in primo loco. pauperi autem dicatis: Tu sta illic,
aut sede sub scabello pedum meorum. i. infimo loco.
Dicat aliquis, an non semper id sit, vt diues præ-
feratur inopi. August. epist.29. hoc refert ad æsti-

mationem internam, qua diues pauperi præferti non debet, aut ad eos qui sunt in dignitate constituti, ut Episcopi, inter quos in sedendo non habetur ratio diuinarum, sed ordinationis, aut gradus. Nec presbyter diues præfertur Episcopo pauperi.

4. Nónne iudicatis apud vosmetip̄os. i. vestra auctoritate iudicium de aliis facitis iniquum, vt proximè declarant. Græc. nónne iudicati estis, &c condemnati in vobis ipsis. Et facti estis iudices cogitationum iniquarum? pro, quod facti estis iudices cogitationum iniquarum. i. iniqui. Noster pro, dicitur iudicati estis, legit signare, iudicatis. Sententia non discrepat.

5. Audite fratres mei dilectissimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus?

6. Vos autem exhonoraftis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos: & ipsi. s. diuites, trahunt vos. i. pauperes. ad iudicias. i. iniuria vos opprimentes.

7. Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? i. Dei nomen efficiunt, ut blasphemetur à Gentibus, dum vident inter fidèles lites & dissidē esse. Iuxta id quod Paulus accusauit. i. ad Cor. 6. Non hic Iacobus de diuitibus infidelibus loquitur, ut quidam putant, sed de fidelibus: nam infideles in Ecclesiam non ingrediebantur.

8. Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: i. Dei, ut Syr. Quæ lex iubet, ut proximum diligamus. Quod si personas accipimus, legem eam violamus, quæ omnes exequat. Diliges proximum tuum sicut teipsum: benefac iustis:

9. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, rediuguti à lege quasi transgressores.

10. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno. Qui furatur non proinde est adulter. Sed factus est omnium reus: quia ac si totam violasset, excluditur à regno. Aut quia acceptor personarum, de quo agit, in charitatem impingit, quæ caput est, & summa totius legis. Sic loquimini, sic facite, sic vos gerite quasi reddituri rationem, factus est omnium reus.

11. Qui enim dixit: Non mæchaberis: dixit & : Non occides. Quod si non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

12. Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis. iuxta legem Euangelicam. Incipientes iudicari, siue iudicandi μέλλοντες κεκριθαί. Quod si iudicandi estis, illud aduertite.

13. Iudicium enim sine misericordia contra immisericordes fiet. illi, qui non fecit misericordiam: Totum hoc, & quod de acceptance personarum dicit, ad pauperum commendationem spectat, Superexaltat autem misericordia iudicium, quidam legunt superexultat: quia Græc. est καταναυχώ, sensus: misericordia iudicio superior est, non illud timet. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, nempe in iudicio. Aut misericordia in Deo iudicio & iustitia maior est, saepius ea vtitur. Miserationes eius super omnia opera eius psal. 134. v. 9.

14. Quid proderit, fr̄atres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare eum?

15. Si autem frater & soror nudi sint, & indigent victu quotidiano.

16. Dicas

16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit?

17. Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in se-metipsa. Similitudo in hoc est: sicut qui fratri saturare dicit, nec illi cibum porrigit, nihil facit, sic nec fides prodest sine operibus.

18. Sed dicit quis. Demonstrat nouo argumen-to fidem sine operibus non prodesse. Tu fidem ha-bes, & ego opera habeo, loquitur qui opera habet: Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego osten-dam tibi ex operibus fidem mean. q.d. non poteris: quia fides est intra animam. Græc. ostende mihi ex operibus εν τῷ ἡρῷ, sed eodem reddit. q.d. osten-de ex operibus fidem: sed non potes, quia nulla habes. Syr. vt noster legit sine operibus, argumen-to lectionem Græcam esse vitiosam. Et facile ex εν τῷ ἡρῷ facere εὐ αγαγεῖ.

19. Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis: nouum argumentum. & demones credunt, nec illis prodest; & contremiscunt. id est, nihilominus pu-niuntur.

20. Vis autem scire o homo inanis: quoniam fides si-ne operibus mortua est?

21. Abraham pater noster, nonne ex operibus iusti-ficatus est, offerens Isaac filium suum, super altare?

22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus il-lius: & ex operibus fides consummata est? Dixerat Paulus Abraham iustificatum ex fide. Quidam iis verbis abutebantur, uti nunc haeretici, supplet id D. Iacobus, ait, non ex sola fide iustificatum, sed accessisse opera.

23. Et supplet a est Scriptura, dicens: Credidit A-braham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & ami-

cus Dei appellatus est.

24. Videtis quoniam ex operibus iustificabitur homo,
& non ex fide tantum? Dixerat fidem reputatam A-
brahae ad iustitiam ; oblatione Isaac suppletum
est, quod ibi deerat, nempe opera.

25. Similiter & Rahab meretrix , nonne ex operi-
bus iustificata est. An fuerit scortum , aliis locis est
dictum : suscipiens nuncios , & alia via eiiciens. Syr.
exploratores.

26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita
& fides sine operibus moriba est. i. inutilis , ut corpus
sine anima, sed vera fides.

C A P V T . III.

NOlite plures magistri fieri fratres mei, Ambitio-
nem cohibet, ne quis se ingerat ad officium
docendi. Alioqui se Paulus Doctorem Gentium
vocat. Scientes quoniam maius iudicium sumitis. Ma-
gistri si delinquent, grauius quam alij punientur.
Omnes enim offendimus lingua præsertim. si
quis in ea non offendit,

2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in ver-
bo non offendit, hic perfectus est vir. potest etiam freno
circunducere totum corpus. i. omnes corporis cupi-
ditates , ut equum freno comprimit.

3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad conser-
tiendum nobis. Varia lectio in cod. Latinis erat, vt
Beda ait, quidam pro , si, habebant , sicut , Græci
etiam hodie variant. Plerique iſtꝫ, siue idꝫ legunt.
i.eccce, vt Syr. Alij eī d̄, si autem vt noster. Et omne
corpus illorum circumferimus. Et, videtur redundare,
Et sine illa, oratio melius currit , ideo quidam
cod̄

codices illam expungunt, sicque legunt: si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus. Tum naues, tum

4. *Ecce & naues cùm magna sint, & à ventis validis minentur, seu agitantur, ἐλαυνόμεναι, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigenis voluerit.*

5. *Ita & lingua modicum quidem membrum est, cùm sit exigua, & magna exaltat. i. operatur. Sensus: vt frænum, et si paruum sit, similiter gubernaculum negligi non debet, sic nec lingua, quamuis sit exigua; quia multum potest in utramque partem. Scintilla etiam neglecta magnam syluam sollet incendere. Ecce quantus ignis quam magnam syluam incendit!*

6. *Et lingua ignis est, concitat rixas. Vniuersitas iniquitatis. Græc. mundus perinde est. Est autem vniuersitas, quoniam instrumentum ad omnia mala, & per eam flagitia omnia suademus. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ. i. à nativitate vitam inflammant. i. totam vitam, quam rotam vocat: quoniam voluitur per ætates. Inflammata à gehenna. i. diabolo, ipsa ignis est, & à diabolo amplius inflammatur. Aut ab ardore concupiscentiæ, quæ ignis inferni instar est.*

7. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium. Bestiis omnibus ferocior est. Et cæterorum dominatur, & domita sunt à natura humana: s. natura dominatur. Græc. ἐραδιῶν. i. marinorum. sic Syr. quidam etiam Latini cod. cætorum, pro qua voce aliquis fortasse substituit cæterorum, aut noster ἀλλῶ legit. Sicut mox:*

8. Lingua autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, pro ἀνατάχεται, incoercibile, noster legit ἀνατάχεται, inquietum, ut est in quibusdam Græcis cod. Roberti & Velesij. Syr. tamen incoercibile habet; plena veneno mortifero.
9. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.
10. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hac ita fieri.
11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?
12. Numquid potest, fratres mei, siccus vuas facere, aut vritis siccus? Græc. & Syr. oliuas, sic etiam Goth. sola Velesij margo σάρπιλας. i. vuas habet. Sic neque salsa potest dulcem facere aquam. s. suam. Syr. sic nec aquæ salsa possunt effici dulces. Græc. Sic neque vllus fons salsa & dulcem facere aquam, vitiōsē haud dubium: quoniam id iam dixerat ver. 11. nec erat cur repeteret. Ergo, vt arbor fructum alterius generis ferre non potest, neque fons dulcem aquam ex se mittere & salsa: sic non debet ex eodem ore procedere benedictio & maledictio.
13. Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientie.
14. Quod si zelum amarum habetis. i. inuidiam amaram habetis in alios, quæ amara dicitur: quia omnia fratris facta reddit amara. & contentiones sint in cordibus vestris: nolue gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. ne intumescatis, potius ea est occasio vos abiiciendi, ne sitis mendaces, vt solent esse contentiosi.

15. Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. ista sapientia non est de cœlo, sed terrena, terra bonis inhiat, animalis.i.carnalis,iuxta illud Pauli. 1. ad Cor. 2. verf. 14. Animalis homo non percipit quæ Dei sunt. At sapientia cœlestis.

16. Ubi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum.

17. Quæ autem desursum est sapientia. primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis. Æmeius humana, benigna, suadibilis. Bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans sine simulatione. Hoç Græc. non est, nec in Syr. Noster legit Græc. τις ἡγετος σωματουργος. Non iudicans.i.condemnans. Sine simulatione.i. sine fictione. Quidam legunt, Iudicans sine simulatione, sed male. Græc. & Syr. reclamant.

18. Fructus autem iustitia, in pace seminatur. Dixit sapientiam cœlestem esse pacificam, nunc addit eius pacis fructum esse iustitiam, quæ seminatur. Facientibus pacem, pro , à facientibus pacem. i. à pacificis. Aut in dativo, pacificis seminatur, illi metunt hunc fructum. Paci iustitia coniuncta est.

CAPUT IV.

VNde bella & lites in vobis? Egerat de pace: nunc belli interni explicat causam. Nónne hinc? ex concupiscentiis vestris? Græc. οὐ τοσοῦτον. i.ex voluptatibus, seu deliciis vestris, nempe ex earum appetitu, ea est concupiscentia. Bella autem ex concupiscentiis concitantur, quia sèpè appetunt contraria. quæ militant in membris vestris.

2. Con-

2. *Concupiscitis, & non habetis: occiditis & zelatis:*
& non potestis adipisci: inuidatis, & belligeratis, quorum
occiditis hic? pro φοβεστε. Græc. legendum
φθοραν inuidetis, & zelatis, Gagelius ait. Nostri
tamen cod. etiam Syr. occiditis habent, quod in-
telligo de appetitu, cupitis alios mori, ut eorum
loca teneatis. & non habetis, propter quod non po-
stulatis. i. benè, idèò quæ cupitis non habetis, quod
verba proxima magis explicant. Petitis & non ac-
cipitis.

3. *Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis: vt*
in concupiscentiis vestris consumatis. f. substantiam
vestram. Syr. vt alatis (seu consummetis) velras
concupiscentias. Goth. vt in concupiscentiis ve-
stris consumamini. Vocem δαπανής passiuè
sumpsit, quasi ex media coniugatione.

4. *Adulteri. Græc. additur, & adulteræ. Verùm*
Syr. non est. Sic iugulerat obelo ea dictio. nescitis
quia amicitia huius mundi, inimica est Dei: Gothic.
Deo. Sed non refert. Ergo amicitia mundi. i. re-
rūm aducarum & mulierum Deo est inimica,
Fortè adulteros vocat, qui relicto Deo vana &
noxia sequuntur. Quicumque ergo voluerit amicus
esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.

5. *An putaris. Græc. Syr. Goth. aut putatis. Sed*
perinde est, quia inaniter Scriptura dicat: Vbi ver-
ba nusquam inuenias, sententia vix. Quid dicit?
Ad inuidiam concupiscit spiritus. f. sanctus. Zelo-
tes est consortis impatiens, non fert, ut alia ame-
mus, quasi adulteri. Qui habitat. Græc. habitavit.
s. ante, non nunc, quia adulteri in vobis.

6. *Maiorem autem dat gratiam. Ecce de Spiritu*
sancto loquitur. Quibus dat maiorem gratiam?
iis, qui conuertuntur, humilibus. Proprie quod di-

cit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Vnde hoc citatur? Pet. 5. v. 5. totidem verba sunt, an inde sumpsit Iacobus?

7. Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolico, & fugiet a vobis.

8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus. i. externa & interna opera castigate. peccatores: & purificate corda, duplices animo, supple, qui estis iniqui, seu instabiles non satis in bono constantes.

9. Miseri estote, & lugete, & plorate. i. affligite vos in ieiunio, vigilia, aliis duris operibus: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in marorem.

10. Humiliamini in conspectu Domini, & exalabit vos.

11. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum. i. condemnat, detrahit legi. Quasi non bene fecerit, veterando detractionem. & iudicat legem. i. condemnas. In eo quod facis, quod tuum non est. Ad te enim spectat facere quod lex iubet. Iudex legis est legislator. Si autem iudicas legem: non es factor legis, sed index.

12. Unus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Nempe Christus. Ad cum spectat de lege, & de te iudicium & de aliis. Quid tibi arrogas alienas partes?

13. Tu autem quis es qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem. Aut eamus, faciamus, mercemur, ut est Græc. Verum cod. Græci variant. Alij in subiunctivo per ohabent, alijs in futuro indicatiui per, Syr. in futuro legit, vt nostor. & faciemus ibi quidem annum. Græc. additur, vnum. i. morabimur

anno

anno vno: & mercabimur, & lucrum faciemus.

14. *Qui ignoratis quid erit in crastino.*

15. *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, homo bulla, & deinceps exterminabitur. Græc. euaneget, seu disperbit, ἀφανίζει. Verum quorsum hæc? Nempe, ut per vitæ breuitatem, & inconstantiam auocet à malo, & à iudicando fratres. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; & : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

16. *Nunc autem exultatis in superbiis vestris. i. superbitis vestræ mortalitatis obliti. Omnis exultatio talis, maligna est.*

17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

C A P V T . V .

Agite nunc diuites, plorate vulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Ex vitæ breuitate diuitiarum cupiditatem coercet; tum etiam ex earum inconstantia. Breui pereunt. Multis corruptuntur modis.

2. *Diuitiae vestrae putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comeſta sunt.*

3. *Aurum & argentum vestrum eruginauit: & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, & rugo metallorum vitium, sed ad segetes etiam transfertur. Sicut ignis. Quidam cod. Græci hoc iungunt cum sequentibus. Sicut ignem thesaurizastis. sic Syr. & Oecum. Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus. Hoc Græc. non est, nec Syr. nec in Goth, sed tantum: Thesaurizatis in nouissimis diebus. i. in senectute,*

K k k 2 quod

quod est turpius. Oecum. autem, vt noster legit.

4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, qua fraudata est à vobis, clamat, vindictam petit fraudata merces. Et clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit. Græc. clamores in aures Dei Sabaoth introierunt.

5. Epulati estis super terram. Græc. deliciati estis, genio indulxistis. & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis. pro, in diem occisionis. Syr. Enutristis corpora vestra, tanquam ad diem matationis. i. vt altilia saginantur ad esum, sic vos corda, aut corpora vestra saginatis. Quidam eod. auctore Beda illud, In die occisionis, iungunt cum versu sequenti,

6. Addixistis. i. condemnastis. Id addicere significat. Ergo die, quo decreuistis iustum occidere, illum morti addixistis. & occiditis iustum, & non restitit vobis. Hæc sunt diuitum vitia, cupiditas, deliciae, saevitia. Mox ad pios sermonem vertit.

7. Patientes igitur estote fratres, usque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat preiosum frumentum terre. Agricolæ exemplo vult fideles patimala, & expectare laborum fructum. Qui agricola expectat, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. s. imbreui, temporanea pluuiia Octobri mense, serotina Aprili. Deut. II. v. 14. & multis aliis locis.

8. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra. quoniam aduentus Domini appropinquaret.

9. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum. i. unus aduersus alterutrum, ne conqueramini, & litigetis; quando aduentus Domini prope est. Vi non iudicemini. i. ob discordiam condemnemini; Ecce
boni
index

index ante ianuam afficit.

10. Exemplum accipite fratres. Græc. fratres mei. Sanctorum exempla magnum ad pietatem momentum. *Exitus mali.* i. finis, quem sanctorum afflictio habuit. *Laboris & patientiae, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini.* Græc. exemplum accipite fratres mei patientiae & longanimitatis. Got. exem. acci. fra. laboris & patientiae, exitus mali, & longansimitatis. s. sanctorum.

11. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Beatus fuit finis, & mera malorum, quæ sunt passi. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator. Suos Deus liberat, Iobum ditauit post laborem. Christum post mortem suscitauit.

12. Ante omnia auiem fratres mei, molite iurare, leuiter. s. & temere, nouum præceptum, neque per eam, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non non: ut non sub iudicio decidatis. Græc. vt non in hypocritism. i. simulationem & mendacium decidatis. Noster pro. ἵπτονται legit. καὶ νεῖον pro hypocrisi sub iudicio. Atque Syr. sic legit: Ne sitis obnoxij iudicio. i. condemnationi.

13. Tristatur aliquis vestrum? oret: Goth. affligitur aliquis in vobis, malè habet. *Equo animo est:* psallat. Musica malorum leuamen, sic opifices & viatores canunt. De musica multa libro nostro de spectaculis. c. 11.

14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesia, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Hinc & ex Marc. 6. vbi dicitur Apostolos oleo unxiisse agrotos, colligitur sacramentum unctionis. Plura Mar. 6. ver. 13. Multum enim

876 Scholia in Epist. Iacobi Apostoli.

valet deprecatio iusti assidua, Græc. efficax.

15. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: si in peccatis sit, remittentur ei.

16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro iniucem ut saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.

17. Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Græcè similibus affecti-
nibus obnoxius orauit.

18. Et rursus orauit: & calum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum, fortasse edidit, ut Syr. ha-
bet ἐβλαστνος, germinauit.

19. Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate,
& conuerterit quis eum,

20. Scire debet, quoniam qui conuerteri fecerit pecca-
torem ab errore via sua, saluabit animam eius a mor-
te. Beda quosdam codices habere ait, animam
suam, vox, aures, utramque interpretationem ad-
mittit. & operiet multitudinem peccatorum, aut eius,
quem quis à peccato & errore conuertit, aut suo-
rum propter bonum opus.

PETRI



PETRI
APOSTOLI
EPISTOLA

PRIMA.

CAPUT PRIMVM.

PETRVS Apostolus Iesu Christi auctor epistolæ, circuncisionis Apostolus. Electis, è Iudaismo conuerstis Aduenis, i. incolis peregrinis. Tales Iudei erant inter Gentes non ciues. Dispersionis Ponti, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia. Qui erant dispersi per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, quæ omnes Asiae minoris prouinciae, sed Asiae addidit, ut reliquas Asiae minoris (de ea enim loquitur) uno verbo comprehenderet.

2. Secundum præscentiam Dei Patris. s. electis. Ad quid? In sanctificationem Spiritus, vt sanctificemini, sicut sancti, obediatis, & aspergamini non vitulorum sanguine, vt olim, sed sanguine Christi, quo remittuntur peccata. In obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Gratia vobis & pax multiplicetur.

3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pro, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Syr. in spem vitæ. Got. in spem vitæ æternæ, seu viuam. i. viuificantem.
4. In hereditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in eolis in vobis.
5. Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.
6. In quo exultabitio*i.* in æternum, ut Syr. Græc. exultatis, sed noster pro ἀγαλλιάδε legit ἀγαλλιάσθε, quam esse veram lectionem Syr. & Valesius ostendunt. Modicum nunc si. Goth. et si, sic Syr. Græc. hic pro εἰ, ut nunc est, legerunt εἰ τοι. Si oportet contristari in variis temptationibus: seu contristati λυθειστίτες. Ergo, et si nunc contristemini, post exultabitis in cælo.
7. Ut probatio vestra fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu Christi.
8. Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis. Græc. non est creditis, sed sic. In quem nunc non videntes, credentes autem; sententia eadem, noster eam vocem addidit maioris claritatis causa. Credentes autem exultabitis letitia inenarrabili, & glorificata: rursus hic Græc. exultatis. Verum sequentia, lætitia*i.* inenarrabili & glorificata, ostendunt non de præsenti letitia loqui, sed futura; tum illud, reportantes finem fidei, salutem animarum.
9. Reportantes finem fides vestra, salutem animarum.

10. De qua salute exquisierunt; atque scrutati sunt prophete, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: loquuti sunt prophetæ scrutates, quo tempore futuram esse significaret Spiritus sanctus, cum Christi mortem & gloriam illis prænunciabat. Qui non sibi. i. suo tempore, sed vobis, i. vestro tempore eam fore gloriam cognouerunt, sicut Apostoli per eundem Spiritum sanctum de celo missum nunciarunt vobis.
11. Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.
12. Quibus reuelatum est, quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de celo, in quem desiderant Angeli prospicere. s. Spiritum sanctum. Græcè εἰς αὐτὸν, in quæ, s. mysteria desiderant Angeli prospicere, noster legit eis ὄντας.
13. Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, non opere tantum mundi esse debemus, sed cognatione. Sic Ioan. Apoc. i. v. 13. videt Angelum praecinctum ad mammillas ubi est cor. De quo Greg. multa 21. Moral c. 2. sobrij perfectè sperare in eam, quæ offeritur vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi. Sic Got. significat debere nos in eam gratiam sperare, quæ continget cum Christus venerit. Græc. In reuelatione. Sicque legunt multi Latini cod. sensus idem.
14. Quasi filii obedientia, non configurati, seu conformati, addicti prioribus desideriis, prioribus ignorantia vestra desideriis.
15. Sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum; & ipsi in omni conuersatione sancti sis. i. esto te sanctum.

Et, ut est sanctus qui vocauit vos, secundum eum
qui vocauit vos, & ipsi sancti sitis. Quidam cod.
legunt, ut & ipsi. Sed male.

16. Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam
ego sanctus sum. Græc. Syr. & Goth. sancti estote.
Perinde est.

17. Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione
personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus, in
timore incolatus vestri tempore conuersamini, pro,
quod si patrem inuocatis, qui iustus est, & reddit
cuique iuxta opera sua, debetis in timore vivere.
Non enim liberati estis à vanitate.

18. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel ar-
gento redempti estis de vana vestra conuersatione pa-
terne traditionis. i. veteris legis auro, sed sanguine
agni.

19. Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati
Christi, & incontaminati.

20. Præcogniti quidem ante mundi constitutionem.
i. prædestinati ante mundi constitutionem. Ma-
nifestari autem nouissimis temporibus propter vos. Sic
vocat Christi tempora, quia post illum non est
alia lex expectanda. Aut comparatione loquentis
erant tempora nouissima. q.d. his nostris temporis
bus manifestati propter vos.

21. Qui per ipsum. i. eius opera. Fideles estis in
Deo, pro, creditis in Deo, qui Christum suscitauit.
Qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut
fides vestra & spes esset in Deo, aut in Deum, Græc.
& Goth. s. facturum vobiscum, quod cum illo fe-
cit, suscitaturum vos.

22. Animas vestras castificantes. i. si tamen animas
vestras sanctificaueritis. In obedientia charitatis.
Gr. in obedientia veritatis. i. vera. sic Syr. & Goth.
Nostr

Noster pro ἀνθρακες legit ἀγάπην. Additur Græ. per spiritum. s. sanctum. In fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius diligite inuicem , pro intensius ἀτένες intense. Gothic. perseverantes. Verbum Dei.

23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in aeternum. Verbum Dei , per quod renati estis. Secus quam caro.

24. Quia omnis caro ut fœnum , & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum , & flos eius deedit , breui corruptitur & cadit. Verbum manet.

25. Verbum autem Domini manet in aeternum: hoc est autem verbum , quod euangelizatum est in vos.

C A P V T I I .

D Eponentes igitur omnem malitiam , & omnem dolum, & simulationes , & inuidias , & omnes detractiones. Exhortatur, ut recte viuant , & proferant fructus regenerationis.

2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo, non hæreticorum. Lac concupiscite : ut in eo crescat in salutem , doctrinam simplicem, non subtiles quæstiones , sed ut infantes molle alimentum concupiscite.

3. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem viuum. Beda, bene viuum vocat, qui est via, veritas, & vita. Aut viuum. i. viuificantem, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum.

5. Et ipsi tamquam lapides viui superadiscamini,
domus

domus spiritualis. i. templum. Triplex huius loci lectio. Hæc nostra, quæ & Græcorum est, & Augustini Psal. 57. Altera domos spirituales, quæ Loua, i. ædificamini in domos spirituales. Tertia Got. in domum spiritualem, quæ & Aug. ep. 86. Beda hic tres omnes lectiones affert. Ecce pono lapidem.

6. *Propter quod continet Scriptura*: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem. i. in summo angulo pono lapidem Christum, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur.

7. *Vobis igitur honor credentibus*: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt adficantes, hic fætus est in caput anguli, hic. s. lapis honor est.

8. *Et lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.*

9. *Vos autem genus electum à Deo. Regale sacerdotium, mysticè fideles omnes sunt sacerdotes offerentes hostias Deo, seque ipsos regentes quasi Reges. Gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* i. redemptus.

10. *Qui aliquando non populus*. i. non eratis populus Dei. *Nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, supple aliquando, nunc autem misericordiam consecuti. Sed nunc contra.*

11. *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Peregrini urbana non curant, nec cupiunt, quam primum discessuri. Sic nos abstinere debemus ab iis quæ caro cupit.*

12. *Conuersationem inter gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de maleficiis, obloquuntur de vobis, Goth. detrahunt.*

Ex bonis operibus vos considerantes, glorificant Deum
in die visitationis. Syr. examinis. Is est dies affli-
ctionis, cum mala ingruerint. Videntes vestram
in eos benignitatem Deum laudent.

13. Subiecti igitur estote omni humanae creature
propter Deum. et hoc Vox haec creaturam significat
& ordinationem, sic Got. omni humanae ordina-
tioni. Scholia Graeca magistratui, qui creatura
vocatur, quia creatur ab hominibus praesertim
secularis. Syr. omnibus filiis hominum. sic crea-
tura pro homine sumitur, ut Mar. vltimo, prædi-
cate Euangellum omni creaturæ. Siue regi, quasi
præcellenti.

14. Siue ducibus, i. iudicibus, ut Syr. exponit.
Tamquam à Deo missis ad vindictam malefactorum,
laudem vero bonorum.

15. Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes ob-
mutescere faciat imprudentium hominum ignorantiam.

16. Quasi liberi, à lege à peccato. Et non quasi
velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui
Dei, libertatem, ut nostri hæretici faciunt.

17. Omnes honorate: Fraternitatem diligite, i. fra-
tres. Deum timete; Regem honorificate.

18. Serui subditi estote in omni tempore Dominis,
non tantum bonis & modestis, sed vestris dominis.
Etiam discolis. Syr. asperis. Gothic. difficultoribus,
id συνολιοῖς significat.

19. Hæc est enim gratia. i. id Deo placet. Aut
Euangelij gratia id vult. non liberat seruos. Si
propter Des conscientiam, i. conscientiam, quam
apud Deum habere debemus, patimur iniusta,
nempe heros difficiles. Sustinet quis tristias, pa-
tiens iniuste.

20. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphi-
zati

zati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustine-
ris, hac est gratia apud Deum. Sic lege non gratia;
ut multi cod. habent.

21. In hoc enim vocati estis: quia & Christus pas-
sus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequa-
mini vestigia eius.

22. Qui peccatum non fecit, nec invenit est dolus
in ore eius. Sic Græc. Regia. sic Syr. Beda, & pluri-
que cod. Latini. At Græca Roberti nobis, nobis.
sic August. tract. 21. in Ioannem. Alij. vobis, vobis.
Oecum. & duo cod. Roberti notati ad margi-
nem Græci testamenti. Got. Christus passus est
pro vobis, relinquens vobis exemplum, loci sen-
tentia aperta est.

23. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum
pateretur, non comminabatur: Tradebat autem iudi-
canti se iniuste. i. in morte iudicem iniustum per-
tulit. Got. tradebat se iudici iudicanti iniuste.
Græci cod. constanter, tradebat iudicanti iuste,
i. suam causam Deo iusto iudici seruabat. sic Aug.
tract. 21. in Ioan. se commendabat illi, qui iuste
iudicabat. Græca noster, sic legit ~~ταπειδίς δὲ τῷ~~
~~χριστοῦ ἑαυτὸν αἰδίως.~~ Vtraque sententia congruit,
et si diuersa.

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo
super lignum: ut peccatis mortui, institue viuamus:
cuius lumen sanari estis.

25. Eratis enim sicut oves errantes, sed conuersi
estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum ve-
strarum.

C A P V T III.

Similiter & mulieres subditæ sint viris suis : vt & si qui non credunt verbo , per mulierum conuersationem , sine verbo lucifrant . Post seruos præcipit coniugatis . Ac vxores viris suis subditas esse vult , vt si vir est infidelis , per vxoris probitatem convertatur .

2. Considerantes in timore castam conuersationem vestram , cum considerat sanctam conuersationem vxoris , quæ in timore & humilitate est . Porro ornatum , cui mulieres in primis student , modestum esse vult . De qua re pulchra & longa disputatio Romæ habita erat apud Liuium Decad . 4. lib . 4. multa in utramque partem argumenta .

3. Quarum non sit extrinsecus capillatura , aut circumdatio auri , aut indumenti vestimentorum cultus .

4. Sed qui absconditus est cordis homo . i. interior homo ornetur virtutibus , in incorruptibilitate quieti , & modesti spiritus . Qui , scilicet ornatus . Est in conspectu Dei locuples , id est , excellentior . Sic olim ornabant se viris subditæ .

5. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres , sperantes in Deo ornabant se , subiectæ propriis viris .

6. Sicut Sara obediebat Abrahe dominum eum vocans . Ignatius epist . ad Antioch . Mulieres , ait , honorificent viros suos , sicut carnem suam ; nec eos audeant proprio nomine vocare . Nonius Marcel . dominum ait pro marito sumi , probat ex Æneid . libro 4. illis verbis .

Connubia nostra

Reppulit , ac dominum Æneam in regna vocauit .

Chrysost.

Chrysoft. plura in 1. ad Corinth. hom. 26. Cuius estis filie. l. Sarrae. Græc. in eam. s. imitamini. Benefacientes, & non pertinentes ullam perturbationem. Græcè terrorem. i. nulla erunt iutgia, si vos geratis.

7. *Viri similiter. s. honorate vxores. Cohabites secundum scientiam*, id est, ut qui maiori prudenter estis prædicti. Plutar. in opusc. In Principe requiri doctrinam ait, Persarum Regem præter uxorem omnes pro seruis habere. *Quasi infirmiori viasco muliebri impatiencies honorem, tamquam & coheredibus.* Christus secus non distinguit. *Gratia vita, i. vita æternæ. Ut non impedian tur orationes vestre.* Hieron. contra Iouin. hunc honorem intelligit abstinentiam & separacionem ad tempus, nempe: quia sequitur, ut non impedian tur orationes vestræ. Sic Paulus 1. ad Cor. 7. v. 5. nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi.

8. *In fine autem, sic lege, non in fide, ut Bed- Lou. & plerique Got.* in summa q.d. ut Syr. si nis hic est. Denique *Omnis unanimes compati- tes, s. estote fraternalis*, pro fratribus amatores. Amatores, misericordes, modesti humiles.

9. *Non reddenes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis*, ut benedictionem hereditate possideatis.

10. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coérceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquaniur dolum.*

11. *Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.*

12. *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in*

in preces eorum : Dei. s. patent. s. in preces eorum.
Vultus autem Domini super facientes mala. i. ira
contra facientes mala.

13. Et quis est qui vobis noceat. Quis nocebit ?
Si boni emulatores fueritis. s. sectatores fueritis,
sic Got.

14. Sed & si quid patimini propter iustitiam , beati.
Timorem autem eorum ne timueritis. s. facientium
mala, ne timueritis. Et non conturbemini. Goth. &
Reg. neque conturbemini. s. propter timorem,
quem mali incutiunt.

15. Dominum autem Christum , sive Deum , ut
Græc. Sanctificate in cordibus vestris. i. portate in
cordibus. Memoria eius nunquam excidat. Parati
rationem reddere , Parati semper ad satisfactionem
omni poscenti vos rationem , de ea qua in vobis est,
spe. Goth. de fide & spe, qua in vobis est. Sic Be-
da legit. Syr. de spe fidei pro , de spe & fide. In
Græcis modò nulla mentio fidei , & sine ea legit
Greg. 2. part. Pastor. in fine.

16. Sed cum modestia , & timore , conscientiam ha-
bentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis , con-
fundantur, qui calumnianur vestram bonam in Chri-
sto conuersationem.

17. Melius est enim benefacientes , (si voluntas Dei
velit) pati, quam malefacientes, sic lege, ut & Got.
Græc. non est ut benefacientes, quod multi cod.
perperam habent. Christus mortuus est , ut nos
offerret Deo.

18. Quia & Christus semel pro peccatis nostris mor-
tuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, morti-
ficatus quidem carne , viuificatus autem spiritu , sic
Græc. multi Latini cod. mortificatos habuere.
Vtraque sententia cominoda: nam & Christus

carne est mortuus, & Spiritus sancti virtute reuixit. Et nos obculit Deo carne mortificatos, anima & spiritu viuificatos.

19. In quo. i. insuper non solum est mortuus. Sed Et his. Goth.eis Syr. illis, *Qui in carcere erant.* Syr. in inferno θάρσος Basiul. Cyr. hom. fest. 12. & alibi sēpē, θλεπόντες ἢ καὶ τοῖς ἐν αὐτοῖς τούτους. Prædicauit iis, qui in inferno spiritibus. Clemens Stro. 6. non solum in limbo prædicasse Christum ait Iudeis, sed philosophis, inde qui tunc crediderunt liberasse, quod verum non est. Tangit hoc etiam Gregor. Naz. orat. 2. in Pascha, & ibi Nicetas Platonem, quia in inferno Christo prædicanti credidit, liberatum credit. *Spiritibus veniens prædicavit*, sic Græc. Syr. animantibus, Goth. spiritualibus, pro spiritibus. Lou. spiritu, & plerique cod. Latini olim habuerunt, nempe non intelligentes, quomodo spiritus in carcere essent, sic mutarunt. Goth. præterea habet: qui in carcere erant conclusi, quod in quodam Græc. cod. Robertus inuenit, sicq. Hieron. citet Isa. 54. & August. ep. 99.

20. *Qui increduli fuerant aliquando.* s. spiritus, homines. *Quando expectabant Dei patientiam*, & ea. s. abutebantur. Græcè, cum expectaret Dei patientia, ut fabricaretur arca. Syr. quando patientia Dei præcepit, ut fieret. i. non continuò eos submersit, sed expectauit, ut péniterent. Verum quare potius de illis, & eo tempore meminit, quam de alio, in quo fuerunt increduli: Nimirum quoniam de baptismo agere vult, cuius figura fuit diluuium. Beda de sex ætat. in aqua baptismus significatur, in arca Ecclesia, in octo animabus resurrectio, in cuius fide baptizamur:

nam

nam is numerus octonarius resurrectionem significat. In diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.

21. *Quod & vos nunc similis formæ, saluos facit baptismus, quidam nos.* Et pro, quod Græc. in Regiis est ὁ, i. cui vos. s. aquæ, & vos similis formæ saluos fecit baptismus. Quæ lectio commoda videtur, nisi Latini omnes & plerique Græci cod. reclamarent, qui pro, quod Latinè, Græc. ὁ habent. *Non carnis depositio sordium, vt. s. Iudæorum baptismata, quæ corpus solùm abluebant.* Sed conscientie bona interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, ἐπερώτημα interrogationem & stipulationem significat. Ergo stipulatio & professio, qua Deo nos obstringimus in baptismo, ea saluos nos facit, non exterior ablutio tantum. sed & interrogo iudicare significat. Psal. 10. v. 4. & 5. Dominus interrogat iustum & impium. Ergo non solùm ablutio exterior, sed iudicium bonæ conscientiæ & decretum, quo nos Deo subiicimus, saluat. Genevenses, responsio, & attestatio ad Deum. Sed latet anguis.

22. *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ eterna heredes efficeremur: profectus in calum subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.* Totum hoc Græc. non est, nec in Syriaco, fortassis vitio. Nam Latini cod. id constanter habent, & noster leguisse videtur καλαπονῶν τὸ Θάνατον ἡ νίκη τὸν θεόν τοις πληρόγομοι γνωμένα.

C A P V T I V .

Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: Contendit fidelem, qui cum Christo mortuus est, & veterem hominem deposuit, non debere amplius peccare. *Quia qui passus est in carne Christus morte, homo spiritualiter, qui carnis cupiditatibus mortuus est. Desir à peccatis, non amplius peccat.*

2. *Vt iam non desideriis hominum i. carnis cupiditatē. Sed voluntati Dei, aut voluntate, vt Goth. &c plerique codices habent, viuat quod reliquum est in carnē viuat temporis.*

3. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam. i. concupiscentias Gentium consummandum. His qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comedationibus, potionibus, & illicitis idolorum cultibus. Goth. in libidinibus, concupiscentiis & ebrietate.*

4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuria confusione, blasphemantes. Ξέρετε nouam, peregrinam & admirandam significat. Inde Ξείζονται peregrinum ducunt & admirantur, velstram. sc. ab his omnibus continentiam. Hoc verbum recurrit v. 12. sed aliter versum.*

5. *Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.*

6. *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est. sc. spiritualiter, peccatoribus euangelizatum est. Ut iudicentur quidem secundum homines in carne. i. condemnentur, moriantur secundum carnem spiritualiter. Vinant autem secundum Deum in Spiritu.*

ritu. Deo, & secundum interiorem hominem. Aut sic : Dixerat Deum paratum iudicare viuos & mortuos, nunc addit mortuis prædicasse. s. in inferno, vt cap. superiori v. 19. vt iudicentur. i. condemnentur, qui in carne vixerunt. viuant autem, qui spiritu vixerunt. sic scholia Græca, nec displicet.

7. *Omnium autem finis appropinquauit*, sic Græc. Plerique cod. Latini, appropinquabit. sed parum refert. *Estate itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Instare finem omnium prædictit.* i. mundi finem.

8. *Anse omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, exhortatio est ad virtutes, in primis ad mutuum amorem. *Quia charitas operit*, Græc. oportet. *Multitudinem peccatorum suorum remissione & fratris*, quia ea amans non videt. Amor idem cæcus pingitur.

9. *Hospitales inuicem sine murmuratione.*

10. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterum illam administrantes*; sicut boni dispensatores multi-formis gratia Dei.

11. *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* s. cum timore & reuerentia. Aut sic, loquatur ut Deus, qui loquendo facit. Verbo Domini cœli firmati sunt, Gregor. 3. Pasto. c. 25. loquatur etiam ex abundantia cordis, verbum, quod à Deo accipit, sic debent concionatores. Ideò additur, *Si quis ministrat*. s. iungat cum verbo opus, & illud faciat ut minister Dei, & in honorem Dei. *Tamquam ex virtute, quam administrat Deus*: ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in secula seculorum: Amen, is debet esse scopus.

12. *Charissimi, nolite peregrinari in feroore, i. nouum peregrinum, insolens censere, ξενίζω id significat. Got. expauescere, Syr. mirari, sic vers. 4. vertit noster hoc verbum, cur mutauit? Græcis-
mus est, ergo ne miremini cum feruent tentatio-
nes, non loquitur de internis, sed de externis af-
flictionibus; nam sequitur, qui ad tentacionem vo-
bis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.*

13. *Sed communicantes Christi passionibus gaudete,
ut & in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes.
Magnum est Christo esse similem; magnum in
laboribus & molestiis solamen.*

14. *Si exprobramini in nomine Christi. i. quia Chri-
stiani estis, aut vocamini Beati eritis. Græcè bea-
ti. Got. beati estis, sic Syr. Quoniam quod est ho-
noris, gloria. Græc. quod est gloriæ, & spiritus
Dei. Deest honoris & virtutis Dei. Et virtutis
Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit. Sic
Græc. & Got. Alij requiescet, certè Lou. & Re-
gia. Quod Græc. sequitur: Ab illis quidem blas-
phematur, à vobis autem honoratur, addititum
videtur, nec Syr. habet, in Goth. tamen id inue-
nio. Cypr. lib. 4. epist. 6. sic habet: Quia maiesta-
tis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit;
quod quidem secundum illos blasphematur, se-
cundum nos autem honoratur, pro ab illis à no-
bis Græc. sic καὶ μὴ αὐτοὺς βλασφημεῖται, πατέρα ἡ
ὑμᾶς δοξάζει, sed κατὰ, pro ἀπὸ.*

15. *Nemo autem vestrum patiatur, ut homicida,
aut fur, aut maledictus. i. ne committite, ut ob deli-
cta puniamini. Aut alienorum appetitor. Græc. alie-
norum infidior ~~αλλοτριουσίους~~. Si autem,
quia Christiani, laudate Deum: Quoniam tem-
pus est.*

16. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.
17. Quoniam tempus est ut incipiat iudicium. i.e. examen, aut afflictio à domo Dei. Deus ita statuit, ut primi probarentur boni ut igne aurum à domo Dei. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio.
18. Et si iustus vix. i. cum labore, & grē Saluabitur, seu saluatur. Græc. Syr. & Goth. Impius & peccator ubi parebunt.
19. Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideliter Creatori commendent animas suas in benefactis.

C A P V T V.

SEniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro. Græc. presbyteros, eos alloquitur, eis gregem commendat. Obsecro ego. Consenior & testis Christi passionum. i. similia ob eum passus. Pascite gregem, non coacte: Qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloria communicator.

2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. Syr. sed toto corde. i. sincero pascite.

3. Neque ut dominantes in cleris. Principem te constituerunt, esto in illis, sicut unus ex illis. Sed forma facti gregis ex animo. Græc. formæ, τύποι. Gregor. Nazianz. in Apol. exemplo facti gregis, quo. s. facillimè iubetur, displicet imperata correctione. Humiliamini sub Deo.

4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipiet immarcescibilem gloria coronam.

5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilius autem dat gratiam.
6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Græc. non est visitationis. Syr. in tempore congruo, id καρπός significat. Sed & quidam Græci cod. habent ὁμονοίων, i. visitationis, testes Robertus & Veleſi. Porro tempus illud dies iudicij est.
7. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipſi cura est de vobis.
8. Sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius uester diabolus tamquam leo rugiens, circuit, querens quem deuoret.
9. Cuireſtitite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, qua in mundo est, vestra fraternitas fieri, similia. sapienti omnes fratres uestros, qui toto orbe sunt dispersi. Solatiū est miseris socios habere pœnarum.
10. Deus autem omnis gratia, qui vocauit nos in eternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipſe perficiet, confirmabit, solidabitque. Græc. ipſe perficere, confirmare solidareque supple faciet. Verūm alij Græci cod. in futuro indicatiui habent καταπτισθ, σηκεῖσθ, & ἀερωδ, vt noster legit.
11. Ipſi gloria, & imperiū in secula seculorum. Amen.
12. Per Siluanum fidem fratrem vobis, ut arbitror, breuiter scripti: obsecrans, & contestans, hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.
13. Salutat vos Ecclesia, qua est in Babylone, sic Romam vocabat ob multiplicem idolorum cultum. Colligitur etiam ex hoc, Romæ hanc epistolam esse scriptam. Coelesta, & Marcus filius meus.
14. Salutare inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.

PETRI



PETRI
APOSTOLI
EPISTOLA
SECUNDA.

CAPVT PRIMVM.

S'mon, aut Simeon; no'men à natuitate Petrus, seu Cephas, nomen à Christo impositum. Seruus & Apostolus Iesu Christi, ijs qui coaquelem. iōōtīμev æqualis pretij. Nobiscum soriti sunt fidem, pretium est vita æterna. Num solius fidei? non, sed In iustitia Dei nostri, & Salvatoris Iesu Christi. i. per iustitiā nobis à Christo collatam. s. iustificationem.
 2. Gratia vobis, & pax adimplatur. Græc. multiplicetur, debent enim in nobis augeri Dei dona. In cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri. i. simul cum cognitione Dei. Ut cognoscamus.
 3. Quomodo omnia nobis diuina virtutis sua, pro diuina virtute sua. Græcismus pro ablativo. Quæ ad vitam & pietatem iōōtīμev cultum Dei supple pertinent, vt Goth. addit, donata sunt. Donata sunt, per cognitionem eius, i. Euangelium eius qui

vocauit nos. *Qui vocauit nos propria gloria & virtute.* Græc. per gloriam & virtutem. i. miracula glorioſa. Noster pro *sic* vt nunc est, legit *idem*.

4. *Per quem.* s. Christum. Græc. per quæ s. gloriā, & virtutem. *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit:* ut per hec efficiamini diuina confor-
tes natura: fugientes eius, quæ in mundo est, concipi-
ſentia corruptionem. Beda & alij per quam, s. co-
gnitionem nobis pretiosa donauit. Nostra lectio
verior.

5. *Vos autem curam omnem subinferentes,* docet,
quas virtutes habere debeant. *Ministrate,* seu
suppeditate, & exhibete. *In fide vestra virtutem, in*
virtute autem scientiam, cum fide virtutem *aperiā*
vitam studiosam, cum virtute scientiam. i. pru-
dentiam iungite. Cum scientia abstinentiam
ἐγνατεῖαν, ab omnibus illicitis, continentiam.
Cum patientia pietatem, seu cultum Dei, vt est
Græc.

6. *In scientia autem abstinentiam;* in abstinentia
autem patientiam, in patientia autem pietatem.

7. *In pietate autem amorem fraternalitatis.* i. fratum.
Cum amore fraternalitatis. *In amore autem frater-*
nitatis charitatem. s. in Deum vt propter eum
amerimus fratres.

8. *Hac enim si vobiscum adsint,* si redundat, & sic
lege: Hæ enim cum vobis adsint, sic quinque
cod. legunt à Lou. notati. Goth. hæ enim cum
vobis præsto sint. *Et superent, pro, exuberent.* Non
eritis vacui. *Non vacuos, nec sine fructu vos consti-*
tuent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. i. in
fide, in Euangeliō.

9. *Cui enim non præsto sunt hæc, cacus est,* &
manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veter-

rum suorum delictorum. i. non habet virtutes, quas dixi, cæcus est.

10. Quapropter fratres magis satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hac enim facientes, non peccabitis aliquando. Græc. studete, certam vestram vocationem & electionem fieri, sed sane id per bona opera, uti noster addit, aut suppleuit, aut inuenit in aliquo codice.

11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in eternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi.

12. Propter quod incipiā vos semper commōnere de his: Græc. non negligam, Goth. non differam vos admonere. Et quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. Etsi noueritis ea, de quibus in præsenti ago.

13. Iustum autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commōnitione.

14. Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

15. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. i. curabo post mortem vestri habere memoriam, & Deum precari, ut horum recordemini, Græc. aliter: Curabo autem & semper habere vos post meum discessum horum memoriam facere, pro, & facere nempe ea s̄epe inculcando. Ex lectione nostra colligitur intercessio sanctorum, ex Græca non item, tametsi inuenio scholia Græca id etiam tangere. s. his verbis sanctorum, intercessionem contineri.

16. Non enim doctas fabulas secuti, Lou. & Regia indo

indoctas. Vtra verior lectio, ex Græca voce στροφισμένοις, constare non potest, quia doctas & sophisticas potest significare. Gothic. tamen commentitias habet. Significat ergo non ex fabulis docuisse Christi virtutem, seu maiestatem & præsentiam seu aduentum, sed quod suis oculis vidit in transfiguratione. *Notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & presentiam: . . . spiculatores facti illius magnitudinis.*

17. *Accipiens enim, pro accepit, ut Goth. habet. Alioqui participium non habet unde regatur. Ergo accepit Christus gloriam & honorem voce de cœlo, à Deo Patre honorem & gloriam, voce de-lapsa ad eum huiuscmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quomibz complacui, ipsum audite.*

18. *Et hanc vocem nos audiuimus de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.*

19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, Goth. certum comparatiuus propositio. Ergo non solum oculis vidimus gloriam eius, sed quod certum est, aut certius, id prophetæ sunt testati. Cui sermoni prophetarum. Cui benefacitis atten-dentes, Got. intendententes προσχοτες. Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & luci-fer oriatur in cordibus vestris, in patria. s. vbi luci-fer. i. Christus apparebit. Nunc in caligine sumus.*

20. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophe-tia Scriptura propria interpretatione non sit.*

21. *Non enim voluntate humana allata est ali-quando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locu-ti sunt sancti Dei homines.*

C A P V T . I I .

Ferunt verò & pseudoprophetae in populo , si-
cut & in vobis erunt magistri mendaces , vt in-
ter Iudæos fuerunt pseudoprophetæ , sic ait in
Ecclesia fore falsos Doctores. *Qui introducent.*
Goth. subintroducent. i. clam , id Græcum ver-
bum significat. *Seclæs perditionis.* Græc. hæreles
perditionis.i.noxiæ. Et eum, qui emit eos, Dominum
negant, superducentes sibi celerem perditionem.

2. *Et multi sequentur eorum luxurias.* Græc. per-
ditionem. Noster pro ἀπολεῖαις, vt nunc est, legit
ἀσελγειας , aut ἀσωτιας , per quos via veritatis bla-
phemabitur.

3. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabun-
tur, negotiabuntur.* i.lucrum captabunt non aliud.
Quibus, pro, quorum iam olim. *Iudicium iam olim
non cessat , & perditio eorum non dormitat.* i. con-
demnatio non cessat, non est procul.

4. *Si enim Deus Angelis peccanibus.* Hyperbaton
longum. *Non pepertit, sed rudentibus.* i. funibus.
Græc. catenis caliginis in infernum detrusos tra-
dit in iudicium seruatos.s. amplius puniendos in
die iudicij. Sententia non discrepat,noster Græ-
ca paulo aliter legit , *Inferni detraictos in tartarum
tradidit cruciando, in iudicium referuari.*

5. *Et originali mundo, siue antiquo, vt est Græc.
non pepertit.* Sed octauum Noë iustitia praconem cu-
stodiuit, diluuium mundo impiorum inducens,custo-
diuit , sic vocat : quoniam octo tantum euase-
runt.

6. *Et ciuitates Sodomitorum & Gomorrhaorum in
cine*

cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens. q. d. si Angelis Deus non pepercit, nec mundo, nec Sodomis, multo magis falsos Doctores, & eorum sectatores puniet. Hoc enim supplendum est, ut sententia constet.

7. Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, eripuit. Græca verbis aliquantulum, sententia non discrepat.

8. Aspectu enim, & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustum inquis operibus cruciabant.

9. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, vt Loth, Iniquos verò in diem iudicij reservare crucianos. Nunc puniuntur, tunc magis, quia cùm corpore.

10. Magis autem, seu maximè μάλιστα eos qui post carnem in concupiscentia immunditia ambulant. s. falsos Doctores: nam de iis loquitur. Qui post carnem eunt. Dominationēmque contemnunt. i. iudices, audaces, sibi placentes sectas non metuunt introducere blasphemantes. Introducere Græc. non est, nec Goth. sed hoc φέρεται τρέμετον. i. maiestatem (sic Got.) non metuunt. s. regiam, ita sunt audaces, & præfracti, αὐθαδεῖς, pro quo noster sibi placentes non absone: nam id etiam vox illa significat, certe quod sibi placet sectantes.

11. Vbi Angeli fortitudine, & virtute cùm sint maiores, qui sunt maiores. Non portant aduersum se. narrā ἀντίστοι. Græc. additur, à Domino, sic Got. Execrabile iudicium, seu blasphemum, vt est Græc. Alludit ad illud, quod in epistola Iude dicuntur Michaëlem non fuisse ausum diabolo iudicium inferre blasphemiaz. Michaëlem Dominum vacat.

cat. Verum quotsum de excellentia Angelorum, non videtur ad rem. Ideo sublata voce, à Domino, vt in Latinis cod. plerisque non est, & pro aduersum se vertendo eas sive eos, quod vos au-
t̄ patitur, sensus erit: Angelos cum maiores hominibus sint, non tulisse dominationes & ma-
iestates iudices & reges execrari. i. contemnere. Neque enim aliquando eos id fecisse inuenitur. Explicatio superior loci difficultis placet: quoniam locus hic, & Iudæ epistola sibi proculdubio re-
spondent.

12. *Hic vero velut irrationabilia pecora, naturali-
ter. Velut bruta. In captionem & in perniciem, sup-
ple genita, vt capiantur & occidantur. Hi inquam.
In his que ignorant blasphemantes, scilicet iudices,
reges, ob ea, que ignorant. In corruptione sua
peribunt, se digna cæde peribuit, eo tendunt.*

13. *Percipientes mercedem iniustiæ, voluptatem
existimantes dies delicias. Goth. diurnas delicias. i.
breues, momentaneas, voluptatem. i. beatitudi-
nem putantes. Coinquinationes & macula, pro co-
inquinati & commaculati, vt Gothic. habet, &
sic Græc. ὅμιναι & μηποι. Delicis affluentes, in con-
uiujs suis luxuriantes vobiscum. Græc. εὐ ταῖς αὐται-
ταις, in erroribus. Noster εὐ ταῖς αγάπαις legit;
sic coniuia vocantur, quod mutuum amorei
foueant. Illi iis ad turpitudinem abutebantur.*

14. *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabi-
lis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exerceita-
tum avaritia habentes, maledictionis filij.*

15. *Dereliquentes rectam viam errauerunt, secuti
viam Balaam, falsi Doctores secuti sunt Balaam
eaptantes lucrum, avaritia exercitati, vt illi met-
cede conductus venit, vt maledicere populo*

Dei.

Dei. Num. 21. Balaam ex Bosor, qui mercedem ini-
quitatis amauit. i. filius Bosor, non ex vrbe Bosor,
vt Beda putauit.

16. Correptionem verò habuit sua vesanie, seu ini-
quitatis, vt est Græc. ἀδειοπίας, noster ἀδειοπε-
νίας legit. Subiugale mutum animal, hominis voce
loquens, prohibuit Propheta insipientiam. Animal
Græc. non est, nec in Goth. sed suppleri potest.
Ergo id animal asinus eum corripuit.

17. Hi sunt fontes sine aqua, & nebula turbinibus
exagitatae, quibus. i. hominibus. Caligo tenebrarum
reservatur. Græc. additur in æuum. i. infernus.

18. Superba enim vanitatis loquencies, pelliciunt in
desideriis carnis luxuria eos, qui paululum, eos qui
paululum. Græc. reuera Effugiunt. Goth. & Græ.
effugerunt, supple eos. Qui in errore conuersantur.
i. eos, qui Doctores falsos fuderant, tantillum
eos pelliciunt luxuriæ illecebris, & libertatis
Euangelicæ prætextu. Sic nostri hæretici faciunt,

19. Libertatem illis promittentes, cum ipsi serui
sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huins
& seruum est,

20. Si enim refugientes coinqinationes mundi.
Græc. qui enim fugerunt lordes. In cognitione
Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus
implicati superantur: facta sunt eis posteriora dete-
riora prioribus. i. per cognitionem Domini, si la-
bantur, peius est, quam si viam iustitiae non co-
gnouissent,

21. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae,
quam post agnitionem, retrorsum conuersti ab eo, quod
illis traditum est, sancto mandato.

22. Contingit enim eis illud veri prouerbij, quod di-
citur, Canis reuersus ad suum vomitum, & Sus lota

in volutabro luti. Hoc Proverbum ex c. 26. v. II.
Proverb. citatur. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum , sic imprudens , qui iterat stultitiam suam . Quod hoc disticho quidam explicauit.

Ad vomitum catulus reiecta & fœda recurrit:

Dimissa imprudens ad malefacta redit.

Verum de hac re multa & eleganter Greg. 3. Pa-
stor. c. 31. Hos similes Balaam esse ait, qui cum di-
xisset , moriatur anima mea morte iustorum , ad
maledicendum eos recurrit, Serui qui coram he-
ro modesti , eo absente lasciuiunt. Argumentum
conuerisionem non fuisse veram : nam ut boni si-
ne noxa tentantur , ita praui plerumque inutili-
ter compunguntur. Porro ex prioribus lacrymis ,
& peccati puluere fit cœntum , quo sus semel lota
se inuoluit.

C A P V T III.

Hanc ecce vobis , charissimi , secundam scribo
epistolam , seu iam scribo epistolam secun-
dam , ut est Græc. In quibus epistolis prima & se-
cunda. Uestrām exciō in commonitione sinceram
mentem. i. per commonefactionem excito syncer-
am mentem.

2. Ut memores sitis eorum , quæ prædixi verborum
à sanctis Prophetis , & Apostolorum vestrorum , pre-
ceptorum Domini , & Saluatoris , verborum , quæ
à sanctis prophetis. s. prædicta sunt , sic Græc.
Pro , verborum à sanctis Prophetis Goth. habet ,
verborum sanctorum prophetarum , fortassis
Græc. sic quædam habuerunt , & ~~et~~ præpositio
in illis non erat. Ergo memores sitis etiam præ-

M m m cepto

ceptorum ab Apostolis vestris, & à Domino latorum. Hæc est sententia, verba sunt intricata.

3. Hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes pro scitote quod venient illusores, qui negent Christi secundum aduentum hoc argumento, quod omnia eodem modo se habent.

4. Dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? ex quo enim pares dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creature, seu creationis. *xtiowc.* i. ex quo mundus est conditus, nulla facta est mutatio. Nullum iudicij signum videmus.

5. Latet enim eos hoc volentes. Affectata ignorantia. Quod cœli erant prius. Græc. olim. i. initio cœli & terra facta sunt ex aqua. i. ex chao. & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo. l. Dei verbo terra ex aqua & chao est facta. Sed idem de cœlis intellige. Vnde colligi videtur eiusdem materiae esse cœlum & alia.

6. Per qua, ille tunc mundus aqua inundatus periret: scilicet per Deum & verbum diluvio periit mundus.

7. Cœli autem, qui nunc sunt. i. quos videmus, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. & terra seruantur igni in diem iudicij. Nempe qui ex aqua fecit, poterit ea igne comburere. Si dicas, tardat is dies.

8. Vnum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. & è contrario.

9. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, sed

sed pœnitentiam malorum expectat. Nolens aliquos sperire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, etiam post peccatum vult omnes homines saluos fieri.

10. Adueniet autem dies Domini ut sit, nobis incogitantibus ut claram, Græc. additur, in nocte. In quo cali magno imetu transiunt. i. velociter mutabuntur, nempe quoad qualitates. Elementa vero calore soluentur, terra auem & qua in ipsa sunt opera, exurentur. Et ne putares cœlos & terram, quoad substantiam peritura, addit, nouos vero cœlos. Si ergo haec soluenda sunt, si Christus venturus, quales esse debetis?

11. Cum igitur haec omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatis.

12. Expectantes & properantes, quod dicitur, festina lentè. Aut expectantes animo, festinantes piis operibus. In aduenium diei Domini, per quem cali ardentes soluentur, & elempta ignis ardore tabescunt.

13. Nouos vero cœlos, quoad qualitatem & nouum sæculum expectamus. & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat, nullæ fraudes, nulla sclera.

14. Propter quod charissimi haec expectantes, satagitate immaculati, & innuolati ei inueniri in pace.

15. Et Domini nostri longanimitatem, non promisi tarditatem, sed Salutem arbitremini, seu arbitramini, ut est Græc. & in Goth. & in aliis codicibus Latinis August. epist. 46. legit: Et Domini nostri cum patientia salutem expectantes. Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, scripsit vobis, tæpè enim loquitur de aduentu Domini, & de eius longanimitate.

906 Scholia in Epist. Petri Apostoli.

16. Sicut & in omnibus epistolis, lequens in eis de his; hoc redundat, ac sic ordina, scripsit vobis in omnibus epistolis. In quibus s. epistolis, aut verbis, quoniam Græc. quibus est masculinum, epistola fœmininum, eritque relatiuum sine antecedenti, quod sæpè contingit in sacris. sunt quedam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Non est nouum hæreticos Scripturis abuti, easque deprauare.

17. Vos igitur fratres, seu dilecti, ut est Græc. Præscientes. . . admoniti. Custodite: Goth. cauete. Ne insipientium errore traducti. Goth. seducti, Græ. abducti, excidatis à propria firmitate. simul s. cum aliis excidatis à fidei firmitate.

18. Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem eternitatis. Amen.

I N



IN PRIMAM
IOANNIS
APOSTOLI
EPISTOLAM.

CAPVT PRIMVM.

Vo d fuit ab initio. Goth. quod erat, sic Græc. vt æternitas significetur, vt in Euā-gelio. In principio erat verbum quod audiūmus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt, id dicit, vt maiorem auctoritatem coñciliat iis, quæ dicentur. *De verbo vita, pro, verbum vitæ. s. vidimus.*

2. *Et vita manifestata est, &c, pro quia. Verbum alioqui inuisibile vidimus, quia vita. i. verbum manifestatum in carne est. Goth. additur nobis. & vidimus, & testamur, pro, id testamur, & annun-tiamus vobis vitam eternam, qua erat apud Patrem, & apparuit nobis: id est, Verbum quod erat apud Patrem.*

3. *Quod vidimus, & audiūmus, annuntiamus vo-bis, pro, quod ergo vidimus, vt est Goth. Ut & vos societatem, seu communionem, i. vitæ participes si-*

M m m 3 tis,

tis, sicut & nos. habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo. pro, est, sic Syr. & Græc. est cum patre.

4. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. Got. Hæc scribimus, ut gaudium vestrum, sic Græc. Illud gaudeatis, &c, non habent: & sine illo sententia constat Syr. id etiam non est.

5. Et hæc est annuntiatio. ἐπαγγελία aliis locis promissionem, hoc annuntiationem significat, quia sequitur: quam audiimus ab eo, & annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebra in eo non sunt ville. Quod enim luci commercium cum promissione? Ita ἐπαγγελία, pro ἀγγελίᾳ sumi debet. i. annunciatione. Si dicimus societatem cum Deo habemus.

6. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, menimur, & veritatem non facimus. cum Deo, qui est lux, tenebrae peccatorum societatem habere non possunt, neque qui in eis ambulant. Porro cùm peccatores simus: nam si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Quid ergo?

7. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce; societatem habemus ad iniucem, & sanguis Iesu Christi, Filij eius, emundat nos ab omni peccato. Deinde confessio, per quam Christi sanguis communicatur.

8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

9. Si confiteamur peccata nostra; primum Deo, deinde sacerdoti. Fidelis est, & iustus, ut remittas nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Promisit ergo remissionem per confessio-

nem,

nem. Vbi? Ioan. 20. v. 23. Quorum remiseritis peccata. Quòd si dicatis, non egeo confessione; peccatum non habeo.

10. Si dixerimus. Gothic. quòd si dixerimus. Syr. et si pro, quòd si dixerimus. *Quoniam non peccauimus.* Sic Græc. & melius quam quod Goth. habet, non peccamus, loquitur enim de peccatis iam factis, quæ remittuntur per confessionem. mendicem facimus eum, & verbum eius non est in nobis, nam dixit: septies in die cadit iustus, Prover. 24. v. 16.

C A P V T II.

FILIO LI mei, hec scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. orat Christus vt homo pro nobis in cælo, vt S. Thom. ait 2.2. q. 83. art. 10. Abul. Mat. 14. q. 142. cum Orig. hom. 7. in Leu. & Cyr. lib. 11. in Ioan. c. 7. Contrà sentit Rupert. lib. de diu. offic. c. 2. Christum non orare; quia omnia in sua potestate habet. Sed præstat Christum confiteri Ἀδελφον του aduocatum. Nec ex hoc sequitur sanctos non orare pro nobis, yti August. hoc loco contra hæreticos ait: Christus est primarius aduocatus, sancti secundarij.

2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. suo sanguine obtinuit. Oratque, cum sua pro nobis vulnera Patri ostendit. Ut miles, qui vulnera accepta Principi repræsentat, efficacius petit quam si loqueretur.

3. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si

mandata eius obseruemus.

4. *Qui dicit se nosse eum. i. amare, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. id ostendere debet per opera & obseruationem mandatorum.*

5. *Qui autem seruat verbum eius. i. precepta, in hoc est charitas. vere in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.*

6. *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

7. *Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum vetus, est verbum quod audistis. quia olim præceptum erat, diliges proximum tuum, sed à Christo Ioan. 13. v. 24. vocatur nouum mandatum, & hic etiam ver. 8. quoniam denuò inculcatur, quod erat antiquum, & quoniam veteris iam erant obliti.*

8. *Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis, locus difficilis, si legetur in nobis, ut Goth. habet, & duo cod. Græci Roberti, facilior esset explicatio, ut in ipso ad Christum referatur, qui præceptum dilectionis nouum vocavit loco citato, & in nobis ad ipsum Ioannem, qui id ipsum hic dicit. quia tenebra transferunt, & verum lumen iam lucet. eius præcepti iam antiqui erant obliti, cum noua luce Euangelij rursus innouatur. Si quis meliora attulerit, gratias habeam.*

9. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.*

10. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est, scilicet qui fratrem amat, non offenditur eius erratis, quia ea non videt, operit*

operit amor. Ergo scandalum pro offendiculo.

11. *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & intenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebra obcecauerunt oculos eius. qui odit semper in rebus fratris impingit, ut qui noctu ambulat. Etenim inuisi semel etiam benefacta offendunt.*

12. *Scribo vobis filioli. scilicet mei. Quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. scilicet in baptismo nomine Christi in forma expresso.*

13. *Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est, Deum scilicet verbum, quod erat in principio. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Got. iuuenes. Græc. οντος.*

14. *Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis patrem scilicet vestrum, ei obediendo. In quibusdam cod. additur. v. 13. iisdem verbis etiam Græc. Syr. sed Lou. & Rom. abstulerunt. Habent hic, & expllicant August. Beda, Oecum. Scribo vobis iuuenes, iij solent de fortitudine gloriari. Ergo quoniam fortis estis in fide, & verbum Domini manet in vobis, & vicistis malignum. id est diabolum.*

15. *Nolite diligere mundum, quoniam in eo est, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.*

16. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, per quam libidinem, ganeam, ludos intelligit. August. omnia quæ ad mollitiem & voluptatem corporis pertinent. & concupiscentia ocularum, avaritia in ornatu, & ædificiis elegantiæ nimia, & superbia vita: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Superbia, omne genus arrogantiæ, fastus, alidrum despectus.*

17. *Et mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

18. Filioli nouissima hora est, tempus instat, iudicij dies. Et sicut audistis, quia Antichristus venit, in praesenti, pro, venturus est. Et nunc Antichristi multi facti sunt. q.d. verum id est, sed iam id est impletum, non unus, sed multi venerunt. s. haeretici. Vnde scimus, quia nouissima hora est. Ex eo cognoscimus instari horam nouissimam.

19. Ex nobis prodierunt, haeretici prodierunt ex Ecclesia. Sed non erant ex nobis. i. ex electis. nam, si fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Goth. non erant omnes ex nobis. Syr. ut innotescat eos ex nobis non fuisse.

20. Sed vos vocationem habetis à Sancto, & nostis omnia. ut s.eos, & omnia cognoscatis.

21. Non scripsi vobis quasi ignorantiis veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est. i. à Deo, ei aduersatur.

22. Quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus? Græc. Regia, Iesus non est Christus. Verum negatio redundat in verbo, negat, inclusa, & plerique eam expositores omittunt. Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.

23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: Iudeos perstringit, qui negabant Christum esse Dei Filium. qui confitetur Filium, & Patrem habet. Hoc Græc. non est, sed virtio: nam Syr. id habet, & quartuor Roberti codices Græci, tum Velefius.

24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Gothic. permanet. Si in vobis permanerit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis. Verum alij cod. reclamant, nec benè sequentia coherent. q. d. si in vobis permanferit, quod audistis, in filio & patre manebitis.

25. Et

25. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam, nempe manere in Deo, qui vita æterna est.
26. Hac scripsi vobis de his, qui seducunt vos.
27. Et vos vñctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut vñctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo. Hoc erat in primitiua Ecclesia, ut ait Chrys. libris & magistris opus non erat ob affluentiam Spiritus sancti. In eius vñctione, si permanferint, facile seductores vitabunt, ut mox ait.
28. Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.
29. Si sciis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

C A P V T III.

VIdete, aut videtis. Qualem charitatem dedit nobis Pater. i. quām charos nos habeat, quantopere nos diligit. Ut filij Dei nominemur & simus, illud, & simus in plerisque Græc. cod. non est, quinque Roberti habent, sumus, sic Got. Propter hoc mundus non nouit nos, i. non habet nos gratios, quia Deum, qui est noster Pater, ignorat. quia non nouit eum.

2. Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Ad Col. 3, v. 3. Vita vestra abscondita est cum Christo, Scimus, pro, sed scimus, quod similes ei erimus. quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. In quo est simi

similitudo? nempe, ut ipse Deum videt, sic nos ipsum videbimus.

3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se. i. studet vita probitati. Sicut & ille sanctus est.

4. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Quomodo peccatum delictum, scelus, & iniquitas differant Greg. Moral. lib. 11. cap. 21.

5. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.

6. Omnis qui in eo manet, non peccat: quandiu & quatenus manet. Et qui peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum, notitia approbationis, ut Christus de peccatoribus. Non noui vos

7. Filioli, nemo vos seducat: Qui facit iustitiam, iustus est: sicut & ille iustus est. non qui apprehendit iustitiam Christi, ut haeretici volunt, iustus est.

8. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissoluat opera diaboli.

9. Omnis qui natus est ex Deo. i. electus. Peccatum non facit. f. graue. Alioqui omnes sumus peccatores. Quod si aliquando facit, non perseverat, non sedet in cathedra pestilentiae, non inficit alios: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, id genus peccati, aut certe, quandiu in eo Dei semen manet. quoniam ex Deo natus est.

10. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli: Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Got. Græc. & Syr. qui non facit iustitiam, is non est ex Deo. i. eius filius.

11. Quoniam haec est annuntiatio. i. præceptum, aut Euangeliū summa in eo vertitur, ut diligatis inui-

inuicem. Non sicut Cain, qui fratrem suum occidit. quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.

12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat. i. ex diabolo, ἐν τῷ πνεύμα, ut in oratione Dominica; libera nos à malo, δέ τῷ πνεύμα, i. à diabolo. & occidit fratrem suum.

13. Nolite mirari fratres, si odit vos mundus, sicut Cain fratrem, quia opera dissimilia. Nos contrà diligamus fratres, ut viuamus.

14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

15. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in se meipso manentem. ut qui cupit mulierem, mœchatus dicitur eam in corde suo.

16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.

17. Qui habuerit substaniam huius mundi. Græ. & Syr. non est, huius regia & Louan. abstulerunt. Tum pro substantia Græc. βίᾳ. i. vita, sed pro vi-ctu & aliis, quæ ad vitam pertinent, vita sumitur. & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, supple tantum, ut est in Goth. vult autem simu-latas amicitias vitari. sed opere & veritate. Aut pergit in eo, quod de paupere cœpit, non verbo illi subueniendum, sed opere. In hoc nouimus ex ve-ritate vos esse.

19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu eius. s. Dei, suadebimus corda nostra.

i. confidemus, reddemus conscientiam securam
et id suadere, & confidere significat. Quod hic
 Græc. est, & pro eo nostra vertit suadebimus.

20. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum.* Got.
 non reprehenderit. Verum omnes alij cod. refragantur. *maior est Deus corde nostro,* & nouit omnia.
 Sensus est, si cor. i. conscientia nos accusat, non
 poterimus coram Deo fidere: quoniam Deus maior
 est, & nouit omnia. Si autem

21. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos,* neque simus nobis conscientia amoris simulati,
fiduciam habemus ad Deum: poterimus fidere, quod
 v. 19. dixit coram Deo, & quidquid petierimus,
 accipiemus.

22. *Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo:* quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita
 coram eo, facimus.

23. *Et hoc est mandatum eius:* ut credamus in
 Deum, sed fides charitati sit coniuncta. *ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi:* & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. seu inuicem.
 vt Got.

24. *Et qui seruat mandata eius, in illo manet, &*
ipse in eo: & in hoc scimus. i. coniicimus; nam euidenter non cognoscimus, quod Deus manet in
 nobis, sed ex conjectura: quoniam manet in nobis de
Spiritu, quem dedit nobis. i. voluntate exequendi
 mandata, & fratres diligendi. Aut loquitur de
 missione visibili Spiritus sancti, quæ erat in
 primitiua Ecclesia, per quam cer-
 to sciebat se in gra-
 tia esse.

* *

C A P V T I V.

Charissimi, nolite omni spiritui credere. i. doctori dicenti se habere spiritum Dei. Sed probate spiritus si ex Deo simi. i. examineate spiritus, doctorum. s. Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

2. In hoc cognoscitur, sic Syr. Græc. cognoscite γνῶστε, noster legit γνῶντας. Spiritus Dei. omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

3. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, Græc. & Syr. & omnis qui confitetur Iesum venisse in carne. Sed perinde est. soluere Iesum est illi diuinam aut humanam naturam detrahere. Verum Græc. lectionem sequitur Cypr.libr.2.contra Iudæos c.7. nostram Leo epist.10.c.5. Socrat. histo.Trip.lib.12.c.4. Aug.tract.6. legit & expavit utramque. Ex Deo non est. & hic est Antichristus, Gr. & hic (s. spiritus) est Antichristi, quam lectionem Cypr.habet. De quo audistis, aut quem audistis. Got.& Græc. Quoniam veni in præsenti ἐποχῃ. i. venturus est. Et nunc iam in mundo est. s. heretici sunt Antichristi.

4. Vos ex Deo estis filioi, sic saepe vocat, vt dilectionem erga eos exaggeret. Et vicistis eum. s. Antichristum. sic Regia & Loua. At Græc. Syr. Got. vicistis eqs. s. pseudodoctores aut prophetas. Quoniam maior est qui in vobis est, Deus, qui in vobis est. Quoniam qui in mundo. s. diabolus princeps mundi. Ideo vicistis.

5. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur & mundus eos audit.

6. Nos

6. *Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, cum s. quis audit nos. Et spiritum erroris, cum quis nos non audit, nec nobis obedit. Diligamus inuicem.*
7. *Charissimi, diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo est: Et omnis qui diligit, s. fratrem suum (ut Goth. exprimit) ex Deo natus est, & cognoscit Deum eius filius est.*
8. *Qui non diligit, non nouit Deum, non est ei amicus. Quoniam Deus charitas est. i. non modò nos amat, sed est ipsa charitas, qui ergo non diligit, ei similis non est, neque Dei filius, neque ei amicus.*
9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut inuamus per eum.*
10. *In hoc est charitas. i. hoc est charitatis Dei erga nos argumentum. Non quasi nos dilexerimus Deum. Quod cum eum non diligemus. Sed quoniam ipse prior dilexit nos, vox, prior, Græc. & Syr. non est. Loua. & Regia reiecerunt ad marginem.*
11. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.*
12. *Deum nemo vidit unquam, viuens. s. & in sua substantia. An Mosem & Paulum excipere debeamus, disputat schola, inde petatur. Sensus est, Dilectionem Dei erga nos non vidimus. Ei respondere non possumus, quem non videmus, diligamus fratres quasi eius vicarios. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius. s. Dei. In nobis perfecta est, si diligamus inuicem. Charitatis duas sunt partes, Dei dilectio & fratrum. Qui eos*

eos diligit, charitatem suis componit & perficit partibus.

13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis, repetit verbum ultimum superioris capituli, nec noua expositione eget. Plena repetitionibus haec epistola est. Nos vidimus quod.

14. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit filium suum salvatorem mundi. i. ut esset salvator mundi.

15. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesu est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

16. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus Charitas est: & qui manet in charitate, & Deus in eo.

17. In hoc. i. ad hoc. Perfecta est charitas Dei nobiscum, seu in nobis, vt Goth. Ea est utilitas charitatis perfectae & constantis ex amore Dei & fratrum. Ut fiduciam habeamus in die iudicij, sine timore simus in die iudicij. Quia sicut ille est, Syr. fuit. Et nos sumus in hoc mundo, vt ille iustus vt Deum & fratres dilexit, sic nos faciamus. Charitas ergo perfecta dat fiduciam, excludit timorem.

18. Timor non est in charitate, si perfecta est, timorem pellit. Sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor paenam habet, Syr. turbationem. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Charitas autem dulcis est & quieta.

19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum: & fratrem suum odere, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? ob id v.ii. dixit, Deum ne-

mo vidit unquam. Ergo qui fratrem non diligit, quem videt, Deum quomodo diligit, quem non vider. Ita dilectio fratrum est ipsa dilectio Dei, quoniam in eo Deo obedimus, & frater supplet vices Dei, iuxta illud, Dixi, Deus meus es tu, quoniam honorum meorum non eges: sanctis, qui sunt in terra, misericordia omnes voluntates meas in eis, psalmo 15. vers. 1.

21. Et hoc mandatura habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

C A P V T V.

OMnis qui credid quoniam Iesus est Christus. i., Messias promissus, qui id credit fide formata. Ex Deo natus est. i. filius Dei est. Et omnis qui diligit eum qui genuit. i. Deum. Diligit et eum qui natus est ex eo. i. fratres Dei filios.

2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus nos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus, è contrario, si filios Dei diligimus, Deum diligimus, & mandata eius seruamus.

3. Hac est enim charitas Dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sum, eò pertinet, ut mandata seruentur.

4. Quoniam, pro certè, profectò. Omne quod natum est ex Deo. i. filij Dei. Vincit mundum, pro, vincet mundum. i. infideles. De illis triumphabit. Et haec est victoria, qua vincit mundum, in hoc Victoria consistit. Fides nostra, contra vires omnes dilatata per vniuersum orbem. q. d. non est parum esse Dei Filium. Hoc fit per Christum.

5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?

6. Hic

6. *Hic est, qui venit per aquam. scilicet baptismi. Et sanguinem Iesus Christus, ut, scilicet baptismo nos ablueret, sanguine redimeret. Id significarunt aqua & sanguis, quæ fluxerunt è latere Christi. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, Ioan. i. v. 33. Super quem videris Spiritum descendenterem, ille est qui baptizat in Spiritu sancto. Quoniam Christus est veritas, Græc. & Syr. quoniam Spiritus est veritas. Iuxta nostram lectionem sensus, Christus est veritas. i. verus Messias. Iuxta Græc. ideo Spiritus testificatur, & est testis idoneus, quia veritas est. Nec solum Spiritus testificatur, & est testis idoneus, quia veritas est.*

7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Hic versus Syr. non est, nec in quibusdam Græc. cod. olim erat teste Hieronymo in prologo septem canoniarum sublatus. scilicet Arrianorum fraude, August. autem l. 3. contra Maximinum, Leo epist. 10. c. 5. Cyr. 14. thesauri c. 5. Beda & Oecum. hic hunc versum non habent: sed certè Pater de Christo testimonium dedit, cum dixit, hic est filius meus dilectus. Verbum suis operibus. Spiritus sanctus in baptismo, & cum Christus illum misit. Et hi tres unum sunt, in quibusdam Græcis cod. legitur, in unum sunt. Sed perinde est, Gen. 2. vers. 24. Mat. 19. vers. 5. Et erunt duo in carnem unam, ut Græc. est, significat, & erunt duo una caro.*

8. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra. In quibusdam Græcis cod. non est. in terra, neque in Syr. Spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus, quem posuit in morte; aqua & sanguis, quæ fluxerunt de latere, testantur verum esse hominem. Et hi tres*

vnum sunt. In Regiis Græc. & in vulgata est sublatum. Ad Patres v. 7. adducti illud habent. Ple-
riique Græci cod. & hi tres in vnum sunt. sed per-
inde est. Sunt autem vnum testificatione. vnum
& idem testantur. Quod si hominibus credimus,
maius est testimonium Dei.

9. Si testimonium hominum accipimus, testimo-
nium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium
Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio
suo. Græc. non est illud, maius est quoniam, sed
sic: Hoc est testimonium Dei, quod testificatus
est, consentit. Syr. sententia non discrepat. fuit
autem testimonium, cum dixit, Hic est filius
meus. Hic in Goth. adduntur multaque ut nota
reliquimus.

10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium
Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum:
quia non credit in testimonium quod testificatus est
Deus de Filio suo.

11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam eternam
dedit nobis Deus, pollicitus. scilicet. Et haec vita in Fi-
lio eius est. i. per filium. eius virtute est daturus.
Quando id? Nempe cum dixit, hic est filius,
meus dilectus, ipsum audite, ut scilicet accipia-
tis quod in transfiguratione videtis, gloriam &
vitam.

12. Qui habet filium, Goth. additur, Dei, hic
& in proximis verbis, qui non habet filium. Ver-
rūm alij cod. reclamat. Habere filium est illi
obedire & credere; habet vitam: qui non habet fi-
lium, vitam non habet.

13. Hec scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam ha-
bent aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

14. Et haec est fiducia, quam habemus ad eum:

quia

quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius. i. Christi , modò illi placeant quia bona & salutaria, ea dabit. *Audit nos, pro, audiet nos Deum cùm petemus.*

15. *Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo, quoniam impetramus quod petimus. id verba significant, quamvis intricata.* Mox docet quid petere debeamus.

16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, si peccatum non est ad mortem, petat pro eo, si est ad mortem. Petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Nempe si quis in peccato manifesto obiit, nec sepeliri in Ecclesia debet, aut si quis est obstinatus, & peccat in Spiritum sanctum nulla spes pœnitentiae. Aut agit de excommunicatis, qui priuantur Ecclesie suffragiis.*


17. *Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem, repetit quod dixerat c. 3. v. 4.*

18. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat. s. ad mortem: De eo peccato agit. Et quidem raro contingit, ut electi & Filii Dei grauerter peccent. Sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.*

19. *Scimus quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est.*

20. *Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus & vita eterna.*

21. *Filioli, custodite vos à simulaachris, Græc. ab idolis, Syr. ab idolorum cultu. Non agit de nostris imaginibus, neque de earum cultu.*



IN SECUNDAM

IOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM.



Enior, Græc. presbyter. sic se vocat propter ætatem, aut quia erat Episcopus. saepe Episcopi sic vocantur. Electa, aut nomen eius erat, aut quia satis nota non exprimit nomen. Diligo te & filios. Domina, & natus eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognoverunt veritatem.

2. *Propter veritatem quam permanet in nobis. Aliqui cod. Græc. & Latini in vobis & vobiscum, & nobiscum erit in æternum.*

3. *Sit, Græc. erit. Vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris, in veritate & charitate. i. omnis felicitas futura & præsens. Hoc mando.*

4. *Gauisus sum valde, quoniā inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre.*

5. *Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum nouum, scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.*

6. *Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio. scilicet cùm Euangelium accepistis, in eo perstetis, in eo ambuletis.*

7. *Quoniam multū seductores exierunt in mundum,*
W. C. M. 11 *Goth.*

Goth. prodierunt, Græc. ingressi sunt, noster
~~Ἐγένετο πρὸς τοῦ θεοῦ~~ legit. facilis mutatio. *Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.* Robert. affert cod. Græc. qui legit; si quis non confitetur Iesum Christum in carne venisse, hic est seductor. connexio sententiae satis apta.

8. *Videte vosmetipos, ne perdatis quæ operhi estis: sed ut mercedem plenam accipiatis, commodior lectio quam Græca, vt ne perdamus quæ operatus sumus, sed accipiamus.* Verum cod. Græc. variant. Robert. quatuor affert. qui hæc verba ut nos in secunda persona habent. *Qui secùs docet quam accepistis.*


9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.*

10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis, sit anathema.* sic Paulus, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, ad Tit. 3. v. 10.

11. *Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.*

12. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: ante hæc verba multi cod. etiam Got. habent, Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini. Sed correctiores id reiiciunt, aut vt obelo notant. Spero enim me futurum apud vos, Goth. venturum ad vos.* sic Græca. *Vi gaudium vestrum plenum sit.* Græc. nostrum sit plenum.

13. *Salutant te filij sororis tuae electæ.* Goth. electa, Recte si cod. alius consentiret.



IN TERTIAM
IOANNIS
APOSTOLI
EPISTOLAM.

Senior Presbyter. De quo epistola superiori. *Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate.* Græc. Gaio dilecto. Alij scribunt, Caius. An hic est ille Caius, ad quem extat Dionysij epistola? Pachymer in eam epistolam ait, nec ego reiicio. Vir magnus & sanctus, ut ex hac epistola constat.

2. *Charissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere.* i. oro ut in omnibus prospereris, Got. per omnia opto te bene agere, εὐχαριστεῖν orare significat & optare Græc. oro seu opto in omnibus te prosperè agere. *Sicut prosperè agit anima tua.* i. ut tua probitas metetur.

3. *Gauisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas.*

4. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiām filios meos in veritate ambulare.* i. nihil mihi gratius est, Got. maius horum non habeo gaudium, sic Græc. noster pro χαρᾷ. i. gaudium, legit χαραν. gratiam. sed pro maiore horum, legendum, huius, ut est in aliquo Græc. cod. Suminā, singulare gaudium capio, cùm audio filios meos rectè procedere. *Benefacis cum fratres recipis.*

Charissi-

5. Charissime, fideliter facis, quidquid operaris in
fratres, & hoc in peregrinos.
6. Qui testimonium reddiderunt charitati tuae in
confectu Ecclesie; quos, benefaciens deduces dignè
Deo, ut Deo placet, iuuans illos viatico. Id signi-
ficat deducere.
7. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil acci-
pientes à Gentibus.
8. Nos ergo, debemus suscipere huiusmodi, ut coope-
ratores simus veritatis.
9. Scripsissem forsitan Ecclesie. Græc. scripsi Ec-
clesiae, pro ἡγεμόνᾳ noster legit, ἡγεμόνα ἦν, & est ea-
lectio multò aptior. Sed is, qui amat primatum ge-
rere in eis, ambitionem incusat. Diotrepes, sic lege,
non Diotrepes, ut Loua. & Regia. Si venero, non
recipit nos.
10. Propter hoc si venero, commonebo eius opera, qua
facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non
ei ista sufficient; neque ipse suscipit fratres: & eos, qui
suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit. Commonebo
ταυρύνσα, increpabo, arguam eius opera.
11. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum
est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit
Deum. i. non nouit perfectè, & vt oportet.
12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, &
ab ipsa veritate, sed & nostum testimonium perhibemus: &
noſti quoniam testimonium nostrum verum est.
13. Multi a habui tibi scribere: sed nolui per atra-
mentum & calatum scribere tibi.
14. Spero autem protinus te videre, & os ad os lo-
quemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos
nominatis, id est, sigillatim.



I V D Æ
A P O S T O L I
E P I S T O L A.

TUDÆ, alio nomine Thaddæus. Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, Minoris qui & Iacobus Alphæi. his qui sum in Deo Patre dilectis, Græc. sanctificatis. Noster pro, in ias. ias. ias. ias. siveque in quibusdam cod. Græc. legi Robertus notat. & Christo Iesu conservatis, & vocatis. Got. & in Christo. i. per Christum Iesum conservatis.

2. Misericordia vobis, & pax, & charitas adimplatur. Adimplatur, Græc. multiplicetur. Noster pro προθετιν, legit την προθετην impleatur vobis misericordia & pax.

3. Charissimi omnem sollicitudinem faciens. i. cum ardenter cuperem scribere vobis, putauit necessarium hanc ad vos scribere: scribendi vobis de communia vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecaens seu monens, exhortans παραλογων. Super certari, seu ut alij, super certare. επαγγελσαται. s. vt certetis pro tradita sanctis. i. fidelibus fide. semet tradire sanctis fidei.

4. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim clam.

clam. s. & occulte ut haeretici. Praescripti sunt in hoc iudicium impij, destinati olim in hanc damnationem seu reprobum sensum. Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. i. Euangelij libertate ad libidinem abutentes. Et solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes. i. eum qui solus est Deus & Dominus, Christum negantes, Græc. post dominatorem addunt, Deum, sed non refert. Commonere vos volo scientes omnia, quoniam Deus semel. i. prius populum de terra Aegypti saluans secundo, pro, deinde eos, qui non crediderunt, perdidit. sic nostra litera ordinetur, ut aduerbia semel & secundo inter se respondeant. Nec refert, Deus aut Iesus dicatur populum saluasse, quia iam Verbum operabatur in humana specie, ut antiqui Patres tradunt. Nec Iudeos solum puniuit.

5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.

6. Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum. i. dignitatē, in qua erant conditi. Sed dereliquerunt suum domicilium cœlum. In iudicium magni dei, vinculis aeternis sub caligine reseruauit. suprema diaboli punitio in iudicio extremo erit, cum in infernum, ignemque aeternum mittetur. sic Petrus 2. cap. 2. vers. 4. sic Sodoma, & Gomorrha.

7. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitima ciuitates simili modo exfornicata, & abeuntes post carnem alteram, dediti nefariae libidini masculorum, sic seductores facta sunt exemplum, ignis aeterni pœnam sustinentes.

8. Similiter & hi carnem quidem machulant, damnationem

nationem autem spernunt, iudices non curant. Maiestatem autem blasphemant. Reges blasphemant, sic Petr. 2. ver. 10. vbi pro, sectas, diximus Goth. habere maiestatem non male, vt ex hoc loco perspicitur. Nec dubium has epistolatas inter se responderet, & alteram ex altera explicari.

9. Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans, in Petri epistola Dominus vocatur, quia Dei personam gerebat, & eius nomine imperabat diabolo. Alteraretur de Moysi corpore. Hoc certamen in Scriptura non extat. Ex aliquo libro apocrypho id Iudas sumpsit. Fortassis absconditum Moysi corpus, ne Iudaei vt Deum colerent, diabolus in publicum proferri volebat. restitutus Michaël. De hoc fuisse certamen credi potest. Non est ausus iudicium, sententiam, supplicium Inferre blasphemie, Abul. Gen. 27. q. 5. maledictionis legit, negatque diabolo recte maledici. An verum? Sed dixit, imperet tibi Dominus, siue increpet te Deus, vt Hieron. legit contra Ruffinum, id significat.

10. Hi autem quacumque quidem ignorant, blasphemant, s. dogmata, ea blasphemant. Quacumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt; in his corrumptuntur. sic ordino. Quacumque norunt. i. peruria sunt sensui, naturaliter tanquam muta animalia, in his corrumptuntur, ventri, s. & libidini seruientes. Ita mente & corpore sunt corrupti.

11. Vae illis quia, aut quia in via Cain abierunt, Got. in viam. s. vt ille occidit fratrem, sic hi animas. Et errore Balaam mercede effusi sunt, Goth. & Grec. mercedis. q. d. errant propter mercedem vt Balaam. Denique lucra sectantur. Et in contradictione

Eione Core perierunt, vt ille Mosi restitit, sic hi suis
præfectis.

12. *Hi sunt in epulis, conuiuiis ἀγαπαῖς, suis, Gr.
vestris. Maculae στίλαι legit noster. Maculæ i. sor-
des modò στίλαι scopuli & saxa in mari, ad
quæ naues franguntur. i. insidiantur aliis in con-
uiuiis. non sincero animo ad illa eunt. conuiuantes
sine timore, semetipsoſ pascentes, nubes sine aqua, leues
vt illæ & inutiles. Quæ à ventis circumferuntur, πε-
ιφερόμεναι, Regia, conferuntur. Nimirum legit
πειφερόμεναι, vt est in quibusdam codicibus Græ-
cis. Arbores autumnales, quid mali in iis arbori-
bus? Ergo φθωτικαι, id est, quæ autumno sic-
cantur propter ardores. l. æstatis, ideò sine fructu
infructuosa, bis mortua, fructu & foliis spoliatae,
eradicatae.*

13. *Fluctus feri (in nominatiuō) maris, inquieti,
tumidi, desquamantes suas confusiones, sidera errantia,
nunquam eodem loco oriuntur, instabiles. Qui-
bus Doctoribus falsis. l. procella tenebrarum seruat
est in aeternum. Græc. caligo tenebrarum in ater-
num manet. De his prophetauit.*

14. *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam
Enoch, dicens: August. 15, de ciuit. cap. 27. negari
non posse ait Enoch scripsisse, cum id Iudas dicat.
Tertul. de habitu mali, idem sentit, & librum aut
à Noë seruatum, aut posteā diuinitus restitutum.
Annus in Beroſo suo ait eo libro duas mundi
clades contineri per aquam & ignem; & in dua-
bus illis columnis scriptum, quas à Seth posteris
excitat̄ Ioseph trād̄it̄ Antiq. lib. 1. c. 3. Verū
quibus literis; nam à Moſe primū inuentas præ-
fatione in Gen. diximus. Nempe hieroglyphicis,
quæ fuerunt antiquiores, & notæ rerum. Moſes
literas*

932 Scholia in Epist. Iudeæ Apostoli.

literas inuenit, quæ sunt notæ prolationis. Verūm
is liber Enoch à multis sæculis periit. *Ecce venit*
Dominus in sanctis millibus suis, pro, veniet Domi-
nus, vt iudicet & puniat.

15. *Facere iudicium contra omnes impios de omnibus*
operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, &
de omnibus duris. scilicet verbis, quæ locuti sunt contra
Deum peccatores impij. aut contra eum, vt est Græc.
& in multis Latin.cod.

16. *Hi sunt murmuratores, seu susurrones. Que-*
rulosi, pro, queruli, secundum desideria sua ambulan-
tes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas
quæstus causa, adulatores, seu acceptatores perlo-
narum.

17. *Vos autem charissimi, memores estote verborum,*
quæ predicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu
Christi,

18. *Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tem-*
pore venient illusores, secundum desideria sua ambu-
lantes in impietatibus.

19. *Hi sunt, qui segregant semetipso, animales, hæ-*
retici, schismatici. Spiritum non habentes. scilicet san-
ctum, qui membra omnia necit, vt spiritus in
corpoate nostro.

20. *Vos autem charissimi, superadificantes vosmet-*
ipso bonis operibus. Sanctissima vestra fidei, in Spi-
ritu sancto orantes, alij nostræ fidei. sed Latini &
Græc.cod. variant.

21. *Vosmetipso in dilectione Dei seruante, expectantes*
misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam
eternam.

22. *Et hos quidem arguite. Græc. miseremini. Ve-*
rūm Rober. tres cod. Græc. notat cum nostra le-
ctione consentientes ελέξετε, habentes. i. arguite
iudi-

iudicatos. i. cognitos, postquam eos iudicaueritis
& cognoueritis,

23. *Ilos verò saluate*, qui non ita praui sunt, nec
obdurati in malo, Græc. in timore seruare. s. ne ca-
dant, de igne rapientes. *Alijs autem miseremini*, quos
sanare non poteritis. *In timore*: metuentes yobis
ipolis, ne in similia cadatis. odientes & eam, sic lege,
non obedientes. Odientes maculatā tunicā, quæ,
s. in baptismo candida erat. quæ carnalis est, macu-
latam tunicam. i. carnis sordibus maculata, Græc.
clarior, odientes à carne maculatam tunicam.

24. *Ei autem*, qui potens est vos conseruare sine pec-
cato, & constituere ante conspectum gloriae suæ imma-
culatos in exultatione in aduentu Domini nostri Iesu
Christi, neque Græc. est, neque in Goth. neque in
cod. quibusdam Latinis. Ne in ver. quidem se-
quenti Græc. sunt illa verba.

25. *Soli Deo Saluatori nostro*, per Iesum Christum
Dominum nostrum, nec illa: gloria & magnificentia,
imperium & potestas ante omne saeculum, & nunc, &
in omnia saecula saeculorum. Amen, sed sic, *Ei autem*
qui potens est seruare eos(aut vos)sine peccato,
& constituere ante conspectum gloriae suæ imma-
culatos in exultatione (i. exultantes) soli sa-
pienti saluatori nostro gloria, & magnificentia,
imperium & potestas & nunc, & in omnia saecula,
Amen.

INDEX

I

Ab

Ac

Ad

Ad

Ad

Ad



INDEX RERVM
NOTABILIVM
QVÆ IN HOC OPERE
AFFERVNTVR ET
explicantur.

A

A RONIS filij qui fuerint.	788
Abbas farer quare dictum.	94
Abel hostiam obtulit maiorem in copia & præstantia quam Cain.	820
Abel sacrificium probauit Deus per ignem è cælo misum.	ibid.
Abraham iustificatus non ex operibus, quo sensu.	43
Abraham ante circumcisionem iustus.	45
Abraham heres est mundi per filios & per Christum.	46
Abraham pater omnium nostrum, non propagatione carnis, sed spiritus & fidei.	48
Abraham contra spem naturæ credidit in spem gratiæ.	49
Abraham immolando Isaac meruit, ut ex eodem nasceretur Christus.	484
Abraham decimarum oblatione, minorem Melchisedec se esse professus est.	758
Abrahæ fides commendatur.	828.41
Acæsus ad iustitiam per fidem.	53
Adam forma Christi, quo sensu.	61
Adam nos vno peccato maculauit, Christus nos liberat ab omnibus peccatis.	62
Adhaerens Domino unus est spiritus cum eo.	251
Adolescentum vitia.	711
Ooo	Ado

Index rerum.

Adoptio diuina fit in iustificatione.	97
Adoptio duplex, inchoata per gratiam, & perfecta per gloriā.	ibid.
Aduentus Domini vnicuique qualis erit.	693
Aduentum iudicis quinam diligant.	720
Aduentus Christi iustis magnum adseret bonum.	734
Adulterantes verbum Dei qui dicantur.	375.387
Adulterium est supergressio.	638
Ænigma quid sit.	324
Agar serua testamentum vetus & seruile significat.	498
Agimur à spiritu, sed ita ut agamus & ipsi.	93
Allegoria & typus Saræ & Agar explicatur.	497
Altare thymiamatis fuit in Sancto, vocatur thuribulum, cur?	801
Ambulare in Scripturis quid significet.	67
Ambulare secundum carnem quid.	187.430
Ambulare secundum hominem quid.	221
Ambulare cum Deo qui dicantur.	821
Amen quid significet.	12.330.595
Amor per ignem significatur.	157
Amoris diuini erga nos immensitas.	737.701
Anathema quid.	361.463
Angelorum linguae quæ sint.	317
Angeli quando cognoverint mysteria circa Ecclesiam.	539
Angeli clangendo tuba suscitabunt mortuos.	640
Angelos omnes mitti exteriū, verius est.	756
Angeli cur ventis & igni comparentur.	753
Angeli ad Ecclesiam Christi nobiscum pertinent.	830
Angeli quidam ex omnibus ordinibus ceciderunt.	106
Angustiari quid.	391
Animalis homo dicitur tripliciter.	216
Animæ regina quæ.	616
Animæ maritus duplex, duplicitèque protes.	74
Antichristi descriptio.	653
Antichristi sedes erit Hierosolymæ, non Romæ.	ibid.
Antichristum occidet Christus.	654
Anus de quibus admonenda.	732
Apòriati est primò indigere, secundò esse perplexum.	391
Apostatæ sunt contemptores & irrisores Christi & Christiæ	

Index rerum.

- stianismi. 780
Apostoli vbi & quando ordinati sint sacerdotes. 363
Apostoli, bonus odor Christi. 374
Apostolatus est summa dignitas in Ecclesia. 344
Arcæ & propitiatorij descriptio. 803
Arma Apostolorum qualia fuerint. 439
Avaritia idolorum seruitus. 614 radix omalum malorum. 692
Avaritia in actu completo est peccatum mortale. 553
Aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, sceauum, stipula, etiam quinam superadficent. 223
Cupido & appetitus corporis & carnium. 223
Baptismus est sacramentum illuminationis, &c cur. 778
Baptizari in Christo, quid sit. 66
Baptizari pro mortuis, quid sit. 347
de Bartholomaeo in nobilitate fabula reiciuntur. 204
Bella unde oriuntur. 280
Benignitas quid sit. 337
Brauum quid propriè significet. 1585
Carceratio animi in tristitia & carnis decessu. 223
Cæli quomodo peribunt cum sint æterni. 755
Cælum tertium empereum. 447
Caius hospes Apostoli & conuentuum Christianor. 190
Calceus militis Christiani. 562
Carbones ignis congerente super caput inimici. 157
Cato & sanguis quomodo regnum Dei non possidebunt. 333
Carnis opera quæ dicantur, tunc monom sicut. 292, 507
Caro concupiscit aduersus spiritum. 506
Caro est concupiscentia in carne residens. 500
Carnis nomine, quandoque ipse homo, quandoque innata homini concupiscentia designatur. 72
Castitas seruanda. 687
Castitas torborat tam corpus quam mentem. 280
Casus Adæ & reparatio Christi inter se comparantur. 61
Cauterianta conscientia hereticorum. 679

Index rerum.

Charitas tam increata quām creata diffusa est in cordibus nostris.	55
Charitas est habitus cordibus nostris inhārens.	56
Charitas Dei dupliciter intelligi potest.	105
Charitas Dei erga nos multūm commendatur.	107.787
Charitas Dei & Christi incomprehensibilis.	541
Charitas Christi maior quām ut à nobis intelligi possit. ibid.	
Charitas est spiritus & anima Ecclesie.	547
Charitas vinculum perfectionis.	616
Charitas patiens est, quia parit patientiam.	319
Charitatis studium est ubique ædificare.	334
Cherubim unde dicti.	302
Chirographum decreti exponitur.	609
Christiani veram circumcisionem habent.	584
Christiani docibiles Dei.	799
Christiani quo pretio empi.	252
Christi prædestinatio.	3
Christus à Patre datus, ut pro peccato ex iustitia satisficeret.	37
Christus magis pater noster quām Adam.	59
Christo insiti sumus ut rami arbori.	67
Christus venit in similitudine carnis peccati: non, ut omnes alii, in carne peccati.	88
Christus est filiorum Dei primogenitus ob tres rationes.	
102	
Christus quā homo, verè est filius Dei.	103
Christus ex Iudeis ortus.	110
Christus super omnia Deus benedictus.	ibid.
Christus Iudeis fuit lapis offensionis, cur?	121
Christus quo sensu finis legis.	124
Christum induere, quid sit.	263
Christus post mortem obtinuit exercitium dominij sui.	
167	
Christus quæ dona dedit,	544
Christus quomodo nos suscepit.	173
Christus minister circumcisionis.	ibid.
Christus vocatur radix Iesse.	175
Christi crux signum victoriz & triumphi.	203
Christi resurrectio fuit abolitio mortis.	341
Christus quomodo vocetur primitiæ dormientium.	343
Christi	

Index rerum.

- Christi regnum est Ecclesia. 244
Christus regnum tradet Deo & Patri. 245
Christi anima gloria est spiritus vivificans. 352
Christus quo sensu celestis. ibid.
Christus imago Dei qualis. 389.600
Christus qua homo, est caput tam Angelorum quam hominum. 527
Christum discere, est discere omnes virtutes. 549
Christus est nobis vita. 569
Christus meruit sibi resurrectionem & nomen filij Dei. 540
Christus in quo & quomodo exauditus. 774
Christus didicit obedientiam, quomodo? 759
Christus in Missa principalis offerens. 787
Christus noster fideiussor. 792
Christus quomodo lucifrat. 583
Christus est primogenitus omnis creaturæ. 600
Christus est caput Ecclesie, quo sensu. 601
Christi coram præfato confessio. 693
Christus ut homo Rex regum, & Dominus dominatum. 694
Christus omnes homines vocat. 733
Christus heres vniuersorum. 749
Christus ut homo sedet ad dexteram Patris, quo sensu. 612.751.838
Christus spiritualiunctione vinctus. 754
Christus est omnium Dominus. 755
Christus qua ratione paulo minus ab Angelis minoratus. ibid.
Christus destruxit diabolum. 762
Christus præcursor. 783
Christus rex iustitiae & pacis per regem Salem significatus. 785
Christi æternitas. 786
Christus cur vulnera reseruauerit. 806
Christus oblatus est ut multorum peccata porraret. 807
Christus vna oblatione consummavit sanctificatos. 811
Christi caro per velum significata. 813
Christus consummator noster. 837
Christus promeruit nobis iustitiam. 404

Index rerum.

- Christus loco gaudiū crucem elegit, & quodnam fuerit illud gaudium. 83
sine Christi gratia nemo potest bonum facere. 31
Circumcisio & præputium mysticè quid significant. 26
Circumcisio in spiritu. 27
Circumcisio signaculum iustitiae in Abraham. 45
Circumcisio signum fuit, non solis Iudeis, sed etiam Gentilibus. 45
Ciuitas cælestis nobis inquirenda. 852
à Claritate in claritatem, quid. 386
Clinici & lectularij, qui. 347
Clinici olim dicebantur qui baptismum differebant usque ad mortem. 219
Cœna Domini præcessit institutionem Eucharistie. 299
Cogitare secundum carnem, quid. 368
Concionator est cooperator Dei in cohersione animatum. 223
Concupiscentia lege compressa vehementius in ardescit. 78
Concupiscentia lex peccati. 84
Configurabimur Christo in claritate, id est, in gloria. 589
Conformatas imaginis Filii Dei, quia dicatur. 101
Conscientia testis & iudex operum. 22
in Conscientia Deus tribunal cuique constituit, cui. 22
Conscientia hæreticorum qualis. 679
Conscientia bona est cor purum. 664
Consummare est gloriosum facere. 774:760
Contentio verborum fugienda. 708
Contentio quid. 162
Continentia est virtus generalis. 700
Conversatio nostra in cælis est per cogitationes & per uitam. 583
Cor purum solum est bona conscientia. 664
Corona iustitiae. 749
Corpus est vas animæ. 662
Corpus est dominus animæ beatæ. 396
Corpus immortale habitaculum de cælo. 397
Corpus humilitatis quodnam. 389
Corpus nostrum & anima sunt membra Christi. 250
Corpus seruituti subiiciendum. 280
Corpus animale, quid. 352
Corpus

Index rerum.

Corpus spirituale, quid.	ibid.
Corpus mortis, quod dicatur.	85
Corpus peccati, quod dicatur.	67
Corpus nostrum cur mortuum vocetur.	91
Corporalis exercitatio est lucta & exercitatio athleta- rum.	590
Corrupti mente sunt cupidinarij.	714
Creatura noua quæ.	516
Creaturæ gemunt dum corrumpuntur & mutantur.	97
Cretones mendaces & malæ bestiæ, cur dicantur.	730
Crux Christi filius omnium benedictionum.	515
Cupiditas radix omnium malorum.	691
Cupidinarij corrupti mente. vide <i>corrupti</i> .	
Curam carnis agere quatenus liceat.	163
Cursus Pauli qualis & quantus.	719

D

D	Emas pœnitentia ductus ad Pauli obsequium re- diit.	622.721.741
D	Depositum Pauli est eius apostolatus, labores, & passio- nes pro Christo.	303.721
D	Depositum est corona iustitiae reposita apud Deum.	721
D	Depositum nomine doctrina sana intelligitur.	703
D	Deus cur vocetur Dominus Sabaoth, id est, exercituum.	120
D	Deo honor & gloria per Christum.	345
D	Deus solus nouit ea quæ Dei sunt.	214
D	Deum videre per speculum, quid sit.	324
D	Deus omnia in omnibus, quo sensu.	346
D	Deus ideo factus est homo, ut homo fieret Deus.	492
D	Deus per spem inchoatè nos confidere fecit in cœlesti- bus.	530
D	Deus est rex seculorum, quo sensu.	668
D	Deus vult omnes saluos fieri, quo sensu.	670
D	Deum in hac vita nemo videre potest, quo sensu.	695.
D	Deus est debitor iustis pro bonis operibus.	721
D	Dei in homines amor multis titulis admirandus.	675
D	In Deo ratio amandi homines, est immensa Dei bonitas, qua se hominibus vult communicare.	729

Index rerum.

Deus in humana carne ab hominibus visus.	667
Deus solus immortalis & immutabilis.	694
Deus lux est, lucemque habitat inaccessibilem.	ibid.
Deus ignis consumens est.	846
Dei vocare est creare & facere.	49
Deo nihil placet, nisi quod suum est.	406
Deus venter quis & quibus.	588
Diaconissæ in primitiva Ecclesia.	182
Dies iudicij dies iræ.	18
Diligentibus Deum quæ sicut præparata.	212
Discretio spirituum quid sit.	310
Diuitiis superbia, uti vermis pomo, innascitur.	696
Diuitiae mundi quæ sint.	137
Docere aliter, quid sit.	664
Doctrinæ veritas unde sumenda.	849
Dominari fidei, quid sit.	369
Domus Dei quæ sit.	813
Dona quæ Christus dedit, sunt dona Spiritus sancti.	544

E

Ecclesia Christianorum quatuor insignitur notis.	499
Ecclesia non potest errare in fide.	676
Ecclesia qua ratione sancta.	558
Egere gloria Dei, quid.	35
Electis omnia cooperantur in bonum.	100
Electorum Victoria qualis.	106
Electio gratia causa totius nostræ renouationis.	134
Eleemosynæ præmium æternum.	428
Elementa exordij sermonum Dei, quæ sint.	775
Epaphras Colossensium Apostolus.	746
Episcopatus est opus arduum.	673
Episcopus debet esse instar solis.	ibid.
Episcopus deberet esse quasi Angelus inter homines.	ibid.
Episcopi quomodo peccent manus citè imponendo.	687
Episcoporum virtutes.	729
Errorem in cognitione sequitur error in actione.	13
Esau sitne de numero reproborum.	113
Euangelij significata.	2
Euangelium suum quidnam Paulus vocet.	23.191
Euangelium est confirmatio & obsignatio legis & Prophetatum.	39

Fucha

Index rerum.

Eucharistia facit ut terra nobis sit cælum.	190
in Eucharistia prævia benedictio, non est ipsa consecratio.	289
Excellus mentis quid.	401
Exercitatio corporalis quæ sit.	688

F

ex Fide viuit iustus.	8
F ex Fide est initium & incrementum vitæ spiritualis.	8
Fides non est ipsa iustitia.	34
Fides non est ipsa iustitia, licet pars eius sit.	53
Fides obediens.	126
Fides est donum Dei.	146. 198. 658. 837
Fides quid sit.	819
Fides est initium subsistentiæ nostræ spiritualis.	766
Fides perfecta quæ dicatur.	318
Fides quænam salutem præstet.	474
Fides in Christo.	667
Fide nihil efficacius ad ferenda aduersa.	651
Fide stare, quid sit.	140
Fidem irritam facere est votum infringere.	685
Fides docet credere quæ non vides.	690
Fides non ficta quæ sit.	699
Fides pro fideliitate.	719
Fide intelligimus mundum esse conditum.	931
Fidem antiquorum præpositorum retinendam argumen-	
to probat Apostolus.	849
Fidelis templum Dei.	227
Fideles cur sancti dicantur.	245
Fidelis sermo, quis sit.	729
Filius splendor gloriæ Patris, ac proinde ab ipso procedit.	
750	
Filius Dei quo sensu figura Patris.	Ibid.
Filius Dei poterat orbem, quasi Atlas mundi.	Ibid.
Filiij dissidentiæ quinam sunt.	529
Fines omnium perum Dei, gloria Dei.	149
Firmum fundamentum Dei, quid.	709
Fornicatio peccatum mortale.	848
Fructus Spiritus sancti enumerantur & exponuntur.	508
Fructus propriæ tantum intelligitur in bono.	72

Index rerum.

- | | |
|---|-------|
| Fructificare Deo, quid sit. | 76 |
| Fructificare morti. | ibid. |
| Fructus iustitiae quis. | 567 |
| Fundamentum alienum quodnam vocet Paulus, & quomodo non ædificauerit super illud. | 179 |

G

- | | |
|--|------|
| G Alea salutis spem futurorum bonorum significat. | |
| 562 | |
| Galea spes salutis. | 643 |
| Galatia Asia minoris regio. | 721 |
| Gemitus inenarrabiles qui dicantur. | 99 |
| Gentes naturaliter faciunt ea quæ legis sunt, quo sensu. | |
| 21 | |
| Gentes sine gratia non possunt totam legem implere. | |
| ibid. | |
| Gentes quomodo ex non plebe factæ sint plebs Dei. | 118 |
| Gentes in fide iustitiam apprehenderunt. | 120 |
| Gloria populi Iudaici. | 109 |
| Gloria Pauli aduersus pseudoapostolos. | 276 |
| Gloria hominum est bulla, gloria Dei est solida. | 510 |
| Gloriari in Deo humilitas est. | 235 |
| Gloriandum in Domino solummodo. | 435 |
| Gloria Dei quæ sit. | 149 |
| <i>Gratia</i> , quid significet. | 189 |
| Gratia Dei quanti sit. | 189 |
| Gratiæ Dei mira est vis. | 191 |
| Gratia gratuita. | 35 |
| Gratia Dei quando in vacuum recepta fit. | 407 |
| Gratiæ vocantis efficacia. | 476 |
| Gratia gratis data. | 544 |
| Gratia complectitur omne genus beneficiorum Dei. | 957. |
| 598 | |
| Gratia nobis donata est ab aeterno dupliciter. | 701 |
| Gratia Saluatoris quæ. | 733 |
| Gratia infusa vocatur <i>vinctio</i> . | 754 |
| Gratia & cognitio quam adfert lex noua qualis? | 799 |
| Gratia & pax quid significant. | 625 |
| <i>Gratias agere Deo</i> , quid. | 10 |

Hæc

Index rerum.

H

H æreses omnes suggestit diabolus.	679
H æresis ut cancer serpit.	709
H æreticus nihil scit, quia verè nihil credit.	690
H æretici sunt vasa fracta & ex domo proiecta.	710
H æretici vitandi.	738.714
H æreticus quo sensu sit proprio iudicio condemnatus.	
739	
H æreditas filiorum Dei, quæ sit.	95
H æreditas nostra qualis.	738
H odie, quid in Scripturis significet.	752.766
H odie, est tempus vitae, gratiæ & pœnitentiaz.	766
H omo est mendax.	29
H omo vetus, & nouus homo, qui.	67.549
H omo interior quis dicatur.	84.540
H omo dupliciter est imago Dei.	615
H omines glorificati erunt imago Filij Dei.	101
H ospitalitatis officium impendendum.	847
H umanitas, quid sit.	737

I

I acob adorauit summitem virgæ Ioseph, & cū?	926
I dolum quid sit.	368
I dola coluerunt Philosophi.	11
I ephre filiam suam quomodo Deo obtulerit.	827
I erusalem vnde dicta.	784
I erusalem ciuitas sancta dicitur.	843
I esus est nomen super omne nomen.	574
I gnorans ignorabitur, quo sensu.	337
I mago in speculo, forma speculi.	385
I mortalitas est causa æternitatis.	668
I mmutabilitas est ratio immortalitatis in Deo.	ibid.
I mpossible, pro quo accipiatur.	779
I mproperium Christi portare, quid sit.	851
I mproperia Dei quo sensu tulerit Christus.	172
I ndulgentia pœnae restantis.	372
I nfirmatum virilitas.	450
I nseicem suscipere, quid sit.	173
I re prohibito.	551
I saias propter libertatem in dicendo ferrata discessus est.	130
Iſraē	

Index rerum.

Israëlitarum nomen honorabile.	109
Iudæi præcellebant Gentibus in possessione Scripturarum & eloquiorum Dei.	28
Iudæorum delictum diuitiae mundi.	137
Iudæi illuminabuntur post Gentium adimpletam con- uetionem.	143
Iudæi in fine mundi ad Christum conuertentur excepta tribu Dan.	ibid.
Iudaismus quid.	464
Iudicandi viui & mortui, quomodo?	717
Iudicans alterum seipsum condemnat.	17
Judicia Dei inscrutabilia.	147
Iugum cum infideli quis ducat.	411
Iuramentum Dei quodnam sit.	782
Iusti non certò sciunt se esse iustos.	232
Iustus ex fide viuit.	818.482
Iustus quo sensu ex fide sua viuat.	818
Iustitia vera quid.	247
Iustitia vera amitti potest.	279
Iustitiam veram nobis promeruit Christus.	404
Iustitia Dei quæ in nobis à Deo.	405
Iustitia fructus quis.	567
Iustitia salus inchoata.	531
Iustitia sola vera est, quæ ex fidé est.	583
Iustitiam operum Paulus manifestè agnoscit.	21
Iustitia Dei non tantum pro circumcisis, sed etiam pro in- circumcisis.	44
Iustitiae sex fructus & excellentiae.	54
Iustificatio & prædestinatio nostra ex meritis Christi.	35.
248	
Iustificatio per fidem non est ex operibus, sed gratuita.	42
Iustificatus per gratiam Christi legem implet.	82

L

Labor charitatis quis sit.	626
Labor fidelium non est vacuus à mercede.	356
Leui decimatus antequam natus.	789
Leuitæ omnes non erant sacerdotes, sed ex iis solùm fi- lii Aaron.	788
Lex libertatis quæ sit.	862
Lex	

Index rerum.

Lex factorum quæ.	37
Lex fidei quæ.	ibid.
Lege quisnam utatur legitimè.	665
Legis dominatus, quis.	74
Lex non iustitiam, sed iram operatur.	47
Lex data ut abundaret delictum.	63
Lex ad vitam data, quomodo facta ad mortem.	79
Lex spiritualis unde dicatur.	80
Lex membrorum quæ dicatur.	84
Lex Dei est lex mentis.	ibid.
Lex spiritus vitae, gratia Christi.	87
Lex propter transgressores posita, quo sensu.	485
Lex homines transmittit ad Christum.	486
Lex disposita per Angelos.	ibid.
Lex Christi lex fratnæ dilectionis.	512
Lex iusto non est posita, quo sensu.	665
Liberti iustitiae qui appellantur.	72
Libertas quæ significata per ablationem velaminis.	383
Libertas duplex, intellectus & affectus.	ibid:
Littera occidit, spiritus vivificat.	378
Locus datur diabolo dum fouetur ira.	550
Lux immensa est ipsa gloria Dei maiestas.	691
Lux hæc est caligo in qua habitat Deus.	ibid.

M

M anifestare & reuelare differunt.	9
M anuum impositio ordinacionem significat.	687,
785	
Maranatha quid.	362
Marcus consobrinus Barnabæ.	721
Maria Cæsobolita.	184
Mater Paulique.	465
Mediator est Christus, non quæ Deus, nec quæ homo, sed quæ Deus homo.	670
Melchisedec dignior Aaron.	774
Melchisedec vti & Christus, rex & sacerdos fuit in Ierusalem.	784
Melchisedec fuit unus è regulis Chananeorum.	785
Melchisedec fuit sine patre & matre, quo sensu?	ibid.
Melchisedec maior Leuitis & Abrahamo.	788
Membris	

Index rerum.

- Membra veteris hominis sunt motus concupiscentiae.
614
- Mensa animæ, est S. Scriptura, & lex Dei. 135
- Merces bonorum operum. 226.618.720
- Meritum Christi, morte eius completum. 151
- Merita nostra non alia sunt quam Dei dona. 720.927.
134
- Meritum bonorum operum docet Paulus. 222.829.707
- Missam esse sacrificium demonstratur. 786.791
- Missæ sacrificium quomodo frustra non iteretur, cum
Christus una oblatione consummaverit. 811
- Modestæ proprietates. 309
- Momentum quid. 394
- Mons Sion quis sit mysticæ. 843
- Mors ærumnarum terminus. 762
- Mors quomodo resolutio. 718
- Mors est peccatoris mater. 759
- Mors & passio Christi, non solum causa, sed & typus no-
stræ iustificationis. 66
- Mortui peccato qui dicantur. 63
- Mortui cur vocentur dormientes. 640
- Mortui quomodo iudicandi. 717
- Mos ascribendi salutatores absentes, haud improbandus.
188.
- Moyses mediator. 486
- Mulier quomodo saluabitur per filiorum generationem.
672
- Mulieres facile ad varia peccata inducuntur. 714
- Mulierem circumducendi consuetudo qualis. 273
- Mulierum ornatus quis. 671
- Mundus ex nihilo conditus. 826
- Munitioes contra Euangelium quænam sint. 431
- Mysterium de Iudeorum in fine sæculi conuersione. 142
- omnia Munda mundis ut intelligendum. 731
- N
- Negotia sæcularia quænam. 705
- Neminem nosse secundum carnem, quid. 402
- Neophytus quis sit, & cur non debeat creari Episcopus.
675
- Nolo, quid significet. 83
- Nomen

Index rerum.

Nomen Dei, quod, & quo sensu Christo donatum sit.	574
Nomen Domini inuocare, quid sit.	127
Nouus homo quis.	549
Noui & veteris hominis descriptio.	614
Nouitas vita, iustitia, vetustas iniustitia.	77

O

Obedientiam quomodo Christus didicerit.	774
Obedientia pro fide sape ponitur in Scripturis.	775
Obsequium seu cultus rationalis, quid.	150
Occulta dedecorum, quæ sunt.	387
Odi significatio in Scripturis.	113
Oleum exultationis cur dicatur.	754
Omnia munda mundus, quo sensu.	742
Onera aliorum portare, quid.	511
Onesimus conuersus à S. Paulo factus est Episcopus Ephesi, & martyr.	742
Onesiphori laus.	704
Opera bona unde aestimationem habeant apud Deum. 249	
Opera bona cur vocentur opus Domini.	356
Opera bona effectus sunt potentia Dei.	191
Opera fidem præcedentia à negotio iustificationis excludentur.	38
Opera bona gloriae æternæ meritoria.	395
Opera omnium per ignem examinanda.	226
Opera tenebrarum peccata.	162
Operarius inconfusibilis, quis?	708
Orandum pro omnibus.	669
Orare spiritu & mente, quid.	330
Oratio facienda in spiritu.	563
Orationis elogia & incitamenta.	645
Osculum sanctum quod dicatur.	187

P

Pacis fructus quis.	870
Paradisus est locus beatorum separatus in cælo.	447
Patuuli qui sunt.	546
Pascha est Christus in Eucharistia.	242
Passio	

Index verum.

Passionum Christi quæ defunt quo sensu adimplentur	
603	
Pastor primò se, deinde alios doceat.	683
Patientiæ necessitas.	817
Patriarchæ nomen quid sit.	787
Paulus in Apostolatum vocatus à Deo.	2
Paulus quo sensu se carnalem vocet.	81
Paulus optat sibi anathema pro fratribus.	108
Paulus videndi fratres suos desiderio æstuar.	855
Paulus quomodo pro Iudeis oret, sciens eos esse reprobatos.	123
Pauli desiderium visendi Romanos.	180
Paulus cur Petrum non salutet in epistola ad Romanos.	
187	
Paulus æterni Dei legatus.	192
Paulus sine vxore vixit, optatque omnes esse sicut ipsum.	255
Paulus metuit abiici & damnari.	281
Paulus Christum verè corporaliter vidit.	340
Paulus plus omnibus Apostolis laborauit, & quo sensu ibid.	
Paulus nec Christum nouit secundum carnem.	403
Paulus quando raptus.	446
Paulus in raptu non vidit diuinam essentiam.	448
Paulus raptus est in cælum empyreum.	ibid.
Pauli variae visiones & reuelationes.	449
Paulus an à conuerione statim venerit Ierosolymam.	
466	
Pauli vincula quām glorioſa.	536
Paulus cupit dissolui.	570
Paulus scenofactoriam artem exercuit.	659
Paulus præsciuit & prædixit suum martyrium,	718
Pauli agon, victoria, & corona.	719
Paulus quasi sol totum orbem percūrrit.	ibid.
Pauli stimulus carnis quis.	449
Paulus Phariseus ex Phariseo patre natus.	581
Paulus scipsum proponit imitandum.	587.715
Pax Dei, quæ.	592
Pax Christi exultet, quid sit.	616
Pax quasi regina imperet in anima.	ibid.
Peccata hominum non mutant Dei promissa.	79
Peccata	

Index rerum.

Peccata remittuntur per Dei condonationem , teguntur per infusionem gratiae.	43
Peccata ante legem datam non imputata.	60
Peccatum non nisi volentibus dominatur.	69
Peccatum vocatur fomes peccati, id est; concupiscentia. ibid.	
Peccati cognitio per legem.	77
Peccatum est quod fit contra legem.	77
Peccatum sine lege mortuum per legem reuixit, quo sensu & quando.	78
Peccatum peccans, siue peccator, quo sensu.	80
Peccati & delicti discrimen.	528
Peccatum est velut cancer.	146
Peccata quasi umbræ vel præeunt vel sequuntur peccato- rem.	688
Penula idem quod pallium ad frigus & pluuiam arcen- dam.	722
Perfecti quinam censendi.	586
Perseuerantia Dei donum.	133
Perseuerantia diuinæ electionis effectus.	141
Petra spiritualis quæ dicitur.	283
Petra consequens, quo sensu.	ibid.
Petrus cur ad Romanos non scripsit.	187
Petrus secundarium fundamentum Ecclesiæ.	224
Philemonis laus describitur.	743
Philemon quomodo seipsum Paulo debebat.	746
Philosophiam quam damnet Apostolus.	607
Pietas est timor & cultus Dei.	680
Pietatem pro quæstu quinam habeant?	691
Pietas fidem puram vitamque rectam complectitur.	681
Pietas ad omnia utilis.	681
Plantare & rigare quid.	222
Pœna impiorum erit æterna,	650
Potestas sæcularis ad quid sit instituta.	160
Prædestinatio nostra ex meritis Christi.	35
Prædestinationis effectus tres, vocatio, iustificatio, glori- ficatio.	103
Prædestinati sunt firmum Dei fundamentum. 782. firmi- tas hæc partim est in ipsis, partim in Deo.	783
Prædestinationis effectus pendent ex nostra coopera- tione.	ibid.

P P P Præ

Index rerum.

Prædestinationis nostræ causa efficiens est purus Dei amor, finalis verò glorificatiq; diuinæ bonitatis.	521.
523 Prædicat nemo legitimè, nisi legitimè missus.	127
Præscientia Dei & fuga peccati, duo signacula sunt prædestinationis.	709
Præscire quid apostolo.	132
Presbyter non præferendus Episcopo, & cur.	864
Primitiæ & radix populi Iudaici Patriarchæ.	138
Primitias spiritus qui habeant.	94
Prophetia quid.	152
Prophetiæ donum non est habitus manens, sed impressio transiens.	335
Prophetæ in potestate est eloqui aut facere.	ibid.
Propitiatorium erat tabula arcam tegens.	802
Propositum quid sit apud Paulum.	701
Propositum Dei quid sit.	100
Psallere sapienter, quid sit.	330
Prudentia carnis est sapere carnalia.	89
Prudentia spiritus est vita & pax.	ibid.
Purgatorium animarum.	227

Q

Quærere Dominum qui dicantur.	130
Quærere animam alicuius, quid in Scripturis.	133
Quæstiones inutiles fugiendæ.	664-738-711

R

Rapina est arrogantia.	573
Raptus quid sit.	447
Reconciliator noster Christus fuit.	602
Reformationis interioris fructus.	151
Regnum Dei in quibus principaliter consistat.	239
Rehouatio mentis in quo sita.	150
Renouatio mentis quotidie facienda.	655
Requies mystica æternæ salutis.	769
Resurgent electi ordine dignitatis, non temporis.	244
Resurrectio Christi, causa exemplaris resurrectionis ceterorum electorum, non reproborum.	344
Resurrectio mortuorum tempore passionis Christi, qualis	

Index rerum.

lis & quando facta.	343
Resurrectio Christi causa exemplaris nostra resurreccio-	
nis.	584
Romani à S. Paulo laudati.	3

5

S Abbatum Moysaicum typus quietis æternæ.	769
S acramenta Christianorum sunt nexus.	152
S eculum nequam cur vocetur.	462
S eculum quid significet.	750
S alutatio manu Pauli.	361
S alus peccatoris in hac vita inchoatur.	667
S ana doctrina vocatur depositum.	696.789
S ana doctrina est cana & prisca.	782
S ancti cum Christo sedebunt in nubibus splendidis.	641
S ancti suis orationibus nos iuuant.	314
S anctimonia semper inquirenda.	841
S anctitas est perfectissima puritas & castitas.	637
S anctitatis vera periphrasis.	636
S anctitas, quid significet.	247
S anguis Christi melius loquitur quam Abel.	844
S apere ea qua carnis sunt, quid.	89
S apere ea qua spiritus sunt, quid.	ibid.
S apere plusquam oportet, quid.	152
S apere pro discernere.	166
S apientes mundi Deus comprehendit in astutia sua.	229
S apientia vera est fides & doctrina Christiana.	230
S apientiae thesauri in Christo ut Dei Verbo.	606
S atanas quibus modis transfiguretur in Angelum lucis.	
439	
S atanam conterere sub pedibus, quid.	189
S candalizare, quid.	271
S candalum quid sit.	168
S candalizantes proximum in Christum peccant.	270
S cientia quis finis, usus & modus.	268
S cientia plenitudinem à Christo exspectare debent fi-	
deles.	608
S copus signum sagittantibus propositum significat.	586
S criptura est liber sacerdotalis.	682
S criptura ad quid utilis.	716
P p p 2	Sede

Index rerum.

Sedere ad dexteram Dei regnare est.	756
Senes quænam doceri debeant.	732
Seraphim missum quid sibi velit.	756
Sermo Scientiæ in quo consistat.	195
Sermo Dei quo sensu penetrabilior quovis gladio ancipi.	770
Sermo fidelis quis sit.	729
Seruire peccato quis dicatur.	68
Seruum domino suo stare aut cadere, quid.	165
Signacula Dei quænam sint.	709
Simplicitas quid sit.	420
Sion ciuitas Dauid ac sedes regni.	144
Sosthenes quis fuerit.	195
Speciem pietatis quinam habeant.	713
Speculantes, quid significet.	384
Spernere non manducantem, quid.	163
Spernere fratrem, quid.	167
Spes nostra confirmatur.	782
Spes promissionis apud Apostolum est spes resurrectio-	
nis.	532
Spiritus viuiscitat, littera occidit.	378
Spiritu seruire Dœ, quid sit.	581
Spiritus viuiscitat tripliciter.	379
Spiritus fidei.	393
Spiritum extingue, quid sit.	646
Spiritus sanctus est res nouo testamento promissa.	798
Spiritus sanctus ut nos adoptet in filios, se nobis communi-	
catur.	194
Spiritus sanctus operatur in nobis gemitum, robur, ahixi-	
lum & Scientiam bene orandi.	298
Spiritus sancti testimonium quodnam sit.	88+94
Spiritualis homo tripliciter dicitur,	212
Spiritualis quis dicatur & sit.	217
Spiritualis omnia iudicat quo sensu.	219+220
Spiritualis a nemine iudicatur quo sensu.	218
Stachys primus Byzantij Episcopus.	184
Stanti metuendum ne cadas.	140
Stimulus carnis quis fuerit.	449
Sufficientia est animis sibi sufficiens & contentus.	691
Superbia periculum imminet sanctissimis quibusque.	

Index rerum.

T

T<small>h</small>ædium vitæ an passus Apostolus.	368
T<small>e</small>mpus redimere, quid sit.	556
T<small>e</small>mpora aeterna siac <i>sacularia</i> quæ vocet Paulus.	192.787.
727	
T<small>erti</small>us Pauli Amanuensis.	189
T<small>e</small>stamenta quid significant.	109
T<small>e</small>stamenti noui promissio,	798
T<small>e</small>stamentum morte confirmandum.	805
T<small>e</small>stamentum nouum quod dicatur.	303
T<small>e</small>stimonium Spiritus sancti.	94
T<small>he</small>sauros quem vocet Apostolus.	390
T<small>imo</small>theus fuit primus Archiepiscopus Ephesinus.	663
T<small>imo</small>theus fuit virgo & martyr.	ibid.
T<small>imo</small>theus à Deo designatus est Episcopus.	668
T<small>imo</small>theus à puer bonæ doctrinæ sectator.	680
T<small>itu</small>s à Paulo creatus Archiepiscopus Cretæ.	725
T<small>itu</small>s permanxit virgo.	ibid.
T<small>iti</small> conuersio, sanctitas, prædicatio, mors:	ibid.
T<small>ra</small>dere in desideria cordu eorum, quid sit.	11
T<small>rad</small>itiones quæ sint.	659
T<small>rad</small>itiones ad doctrinam Christianam pertinent.	694
T<small>rad</small>itiones Ecclesiæ seruare iubet Paulus.	307.656
yis & veritas Traditionum.	301
T<small>ribulat</small>io carnis quæ vocetur.	263
T<small>ribulat</small>io hominis exterioris, est confortatio interioris.	
394	
T<small>ribulat</small>ionum leuitas & breuitas.	ibid.
T<small>ribulat</small>iones gemmæ & lapides pretiosi quibus sancti lapidantur.	95
T<small>ristit</small>ia sœculi & Dei qui differant.	417.418
T<small>ristit</small>ia quæ est secundum Deum fructus.	417
T<small>riumph</small>us Dei est passio martyrum.	374

V

V<small>asa</small> in honorem & vasa in contumeliam.	711
V<small>as</small> est corpus.	638
V<small>elamen</small> super faciem Moysi, quid significauerit.	381
V<small>elum</small> mentibus infidelium appositum.	388
V<small>enter</small> vilissima pars hominis.	249
V<small>enter</small> quo sensu destruendus.	ibid.

Index rerum.

<i>Verbum auditus</i> , quid.	632
<i>Verbum carne vestitum</i> cur vocetur speculum.	384
<i>Verba bona</i> quæ dicantur.	778
<i>Veritatem Dei</i> in iniustitia qui detineant.	9
<i>Vermis diuinitarum</i> quis.	696
<i>Videri Deus</i> cur nequit.	695
<i>Vidua vera</i> est quæ ab hominibus destituta omnem spem in Deum defigit.	684
<i>Vigilandum</i> esse semper præcipit Apostolus.	643
<i>Vincere in bono malum</i> , quid.	157
<i>Virga sceptrum</i> significat.	759
<i>Virgo</i> est sancta corpore & spiritu.	265
<i>Virgo</i> sanctitate illustris apud D. Tulerum.	158
<i>Virtus</i> in infirmitate perficitur.	507
<i>Visionis & reuelationis</i> distinctio.	446
<i>Vita Iesu</i> quæ sit.	392
<i>Vita</i> in deliciis mortis est.	684
<i>Vitia adolescentium.</i>	712
<i>Vitiosas inclinationes</i> sentire coguntur & iusti.	85
<i>Viui</i> quomodo iudicandi.	717
<i>Vnctio</i> gratia infusa dicitur.	754
<i>Vnio</i> mentis cum Deo facit illam similem esse Deo.	251
<i>Vocatio</i> secundum propositum Dei, non hominum.	100
<i>Vocatio duplex</i> , & quæ semper efficax.	102
<i>Volumen libri</i> quid sit.	810
<i>Voluntas Dei</i> bona, beneplacens & perfecta.	151
<i>Voluntatem Dei</i> facere, quid sit.	817
<i>Voluptatem</i> vincere voluptas maxima.	713.508
<i>Vota castitatis</i> probat Paulus.	685
<i>Vox Archangeli</i> eadem cum tuba Dei.	641
<i>Vri</i> quis dicatur.	256



FINIS.

